VADEMECUM THEOLOGIAE MORALIS



De mandato Rev^mi P. Fr. Ludovici Theissling, Magistri Gen. Ord. Praed., attente perlegimus opus, cui titulus est: Vademecum Theologiae moralis ab Adm. R.: P. Mag. et Iuris Doctore Fr. Dominico Prümmer, in Universitate Friburgensi Professore, conscriptum, illudque, cum et doctrinae soliditate et sermonis perspicuitate emineat, plane dignum aestimamus, ut typis denuo mandetur.

P. **Fr. Marcus M. Sales** O. P. — S. Theol. Magister.
Fr. **Iosephus Gonzalez** O. P. — Dr. Iuris canonici.

Friburgi Helvet., die 1 Ian. 1923

Imprimi permittimus

Romae, die 4 Ian. 1923

Fr. Lud. Theissling O. P.
Mag. Gen.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 19 Ianuarii 1923

Dr. Mutz, Vic. Gen.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.
Printed in Germany

PRAEFATIO AD PRIMAM EDITIONEM.

In omnibus scientiis practicis brevia compendia valde utilia sunt usui quasi cotidiano. Haec enim est humana indoles, ut post studia, quamvis sint summa cum industria perfecta, paulatim e memoria labatur scientia cum labore acquisita. Quam ob causam repetitio semper est tam necessaria, ut recte nuncupetur mater studiorum. Quae quidem repetitio non ita expedite perficitur Manualibus vel satis amplis; evadit autem multo facilior iis compendiis, quae et claritate sunt lucida et brevitate concisa. Quo fit, ut eiusmodi compendia a nonnullis scriptoribus de Theologia morali edita soleant cupide conquiri. Saepe atque instanter a me petitum est, ut ederem Manualis mei Theologiae moralis compendium. Quibus precibus obtemperans hoc opusculum iam pridem conscriptum nunc publici iuris facio. Sequor omnino methodum in Manuali meo adhibitam, ita ut doctrina illic tradita hic comprehendatur quasi in nuce. Mutationes novo iure introductas diligenter exhibeo universas. Non est cur expressis verbis notem, quod luce est clarius: clericum non sufficienter callere Theologiam moralem, si nullum alium librum nisi hunc libellum evolverit. Doctrinam enim quamvis amplam hic traditurus sim, eam tamen brevitati studens non possum satis explicare rationibus, argumentis, exemplis. Nil aliud intendi nisi ut praeberem gratum **Vademecum,** quod quasi fidelis servus comitans clericum iuvenem adiuvet ad facile praeparanda

examina praescripta, provectioris aetatis sacerdotem (maximeque) *confessarium* subsequatur ad redintegrandam doctrinam in scholis olim haustam, quae ipsi ad cotidianum usum necessaria sit.

Hoc opusculum, qualecumque id est, filiali obsequio dedico S. Dominico Patriarchae, qui abhinc septem saecula transivit in caelestem gloriam ex vita vere apostolica.

Friburgi Helvetiorum, die 4 Aug., in festo S. Dominici, 1921.

AUCTOR.

NOVAE EDITIONIS PRAEFATIO.

Nostrum «*Vademecum*» multis clericis pergratum fuisse et esse apparet ex eo, quod intra unius fere anni spatium quinque milia exemplarium empta sunt. Quod quidem notatu dignum videtur eo magis, quo complura similia opera eaque excellentia iam antea ab aliis celeberrimis scriptoribus divulgata erant. In hac nova editione, quae est duplex atque decem constat milibus exemplarium studui doctrinam ampliare, quin operis moles augeatur. In appendice afferuntur duo recentia Curiae Romanae documenta, quae ad praxim confessarii videntur utilia. Auspice Deo iterum egrediatur nostrum Vademecum, sitque fidelis servus clerici et addiscentis et applicantis theologiam moralem.

Friburgi Helvetiorum, die 6 Ian. 1923.

AUCTOR.

Canones Codicis iuris canonici allegantur brevitatis causa sola littera c.; e. g. (c. 100) significat canonem centesimum Codices iuris canonici.

Index partium.

Introductio in Theologiam moralem.

PARS I.

TRACTATUS I.
De fine ultimo hominis.

TRACTATUS II.
De actibus humanis.

TRACTATUS III.

De legibus.

TRACTATUS IV.

De conscientia.

TRACTATUS V.

De peccatis in genere.

TRACTATUS VI.

De virtutibus in genere.

TRACTATUS VII.

De fide theologica et de vitiis oppositis.

TRACTATUS VIII.

De spe theologica et de vitiis oppositis.

TRACTATUS IX.

De caritate theologica et de vitiis oppositis.

TRACTATUS X.

De virtute prudentiae et de vitiis oppositis.

TRACTATUS XI.

De virtute iustitiae et de vitiis oppositis.

SECTIO I.

De iure et de ipsa virtute iustitiae.

QUAESTIO I.

De iure ipso.

QUAESTIO II.

De virtute iustitiae in se considerata.

QUAESTIO III.

De laesione iustitiae et de reparatione iustitiae laesae.

QUAESTIO IV.

De contractibus.

SECTIO II.

De partibus potentialibus virtutis iustitiae.

QUAESTIO I.

De virtute religionis (seu de tribus prioribus Decalogi praeceptis).

QUAESTIO II.

De virtutibus pietatis, observantiae, oboedientiae (seu de quarto praecepto Decalogi).

QUAESTIO III.

De ceteris virtutibus iustitiae annexis, nempe de gratitudine, vindicatione, affabilitate, liberalitate, epikeia

TRACTATUS XII.

De virtute fortitudinis et de vitiis oppositis.

TRACTATUS XIII.

De virtute temperantiae et de vitiis oppositis.

PARS II.

De sacramentis in genere et in specie.

TRACTATUS I.

De sacramentis in genere.

TRACTATUS II.

De baptismo.

TRACTATUS III.

De confirmatione.

TRACTATUS IV.
De eucharistia.

SECTIO I.
De ss. eucharistia, prout est sacramentum.

SECTIO II.
De ss. eucharistia, prout est sacrificium.

TRACTATUS V.
De paenitentia.

TRACTATUS VI.

De poenis ecclesiasticis.

TRACTATUS VII.

De indulgentiis.

TRACTATUS VIII.

De extrema unctione.

TRACTATUS IX.

De ordine.

TRACTATUS X.

De matrimonio.

INTRODUCTIO IN THEOLOGIAM MORALEM.

1. **Notio Theologiae moralis.** Theologia moralis, si ipsum nomen inspicitur, nihil aliud est nisi theologica consideratio morum; in quantum vero est scientia, definiri potest; *scientiae theologicae illa pars, quae iudicio practico dirigit actus humanos in ordine ad finem supernaturalem.*

Theologia moralis est a) vera *scientia,* quia ex principiis tum fidei tum rationis deducit conclusiones; b) est *directiva* et non solum descriptiva actuum humanorum. Quae quidem directio non fit modo subiectivo, sicut facit conscientia, sed modo obiectivo per veritates practicas manifestatas. Tota autem haec directio tendit eo, ut homo assequatur finem suum supernaturalem.

2. **Methodus adhibenda** in Theologia morali distinguitur triplex: 1. *scholastica seu speculativa,* quae veritates morales accuratius considerat, probat atque defendit contra adversarios, quin tamen praxim neglegat; 2. *casuistica,* quae principaliter insudat ad iudicandum de singulis casibus moralibus; 3. *ascetica,* quae imprimis considerat exercitium virtutum ad perfectionem christianam adipiscendam. Optima videtur esse illa methodus, quae simul est scholastica, casuistica, ascetica, et tamen perspicua brevitate claret.

3. **Divisio totius Theologiae moralis.** Officium Theologiae moralis est: 1. ferre iudicium practicum de omnibus actibus humanis in ordine ad finem supernaturalem; 2. disserere de mediis

externis, necessariis ad hunc finem. Quae quidem media sunt gratiae divinae nobis praesertim in sacramentis largiter exhibitae. Proinde duas partes in scientia morali distinguere convenit: 1. De omnibus quae influunt in moralitatem actus humani. 2. De sacramentis. Totius igitur Theologiae moralis divisio sequenti conspectu brevi comprehenditur:

PARS I.

1. De ultimo fine et beatitudine.
2. De actibus humanis et passionibus.
3. De legibus.
4. De conscientia.
5. De peccatis in genere.
6. De virtutibus in genere.
7. De fide et vitiis oppositis.
8. De spe et vitiis oppositis.
9. De caritate et vitiis oppositis.
10. De prudentia et vitiis oppositis.
11. De iustitia et vitiis oppositis. Adicitur tractatus de contractibus.
12. De fortitudine et vitiis oppositis.
13. De temperantia et vitiis oppositis.

PARS II.

1. De sacramentis in genere et de sacramentalibus.
2. De baptismo.
3. De confirmatione.
4. De eucharistia.
5. De paenitentia, ubi adicitur tractatus de censuris et indulgentiis.
6. De extrema unctione.
7. De ordine.
8. De matrimonio.

PARS I.

TRACTATUS I.

De fine ultimo hominis.

4. **Notio et divisio finis.** *Finis est «id cuius gratia aliquid fit»* (Aristoteles), vel *id propter quod agens operatur*. Principaliores divisiones videntur esse:

1. Finis *operis* (seu intrinsecus et obiectivus), ad quem actio directe et immediate tendit ex natura sua, e. g. largitio eleemosynae tendit ex natura sua ad sublevandam necessitatem proximi. Finis *operantis* (seu extrinsecus et subiectivus) est id quod operans intendit sive principaliter sive secundario. Qui quidem finis potest, sed non necessario debet coincidere cum fine operis. Sic e. g. si largitor eleemosynae ipse intendit sublevamen pauperis, finis operis et operantis coincidunt; sin autem ipse intendit vanam gloriam vel seductionem pauperis, finis operis et operantis discordant. — Finis operis vocatur quoque obiectum morale actionis; finis vero operantis dicitur motivum morale actionis.

2. Finis *principalis* (vel primarius), qui maxime intenditur et prae ceteris agentem impellit ad agendum; finis *secundarius* (vel minus principalis), qui non ratione sui solius intenditur neque per se movet agentem, sed propter coniunctionem cum alio fine principali.

3. Finis *ultimus,* qui ita appetitur, ut in nullum alium referatur; finis *medius* (vel proximus), qui ratione sui quidem appetitur, sed tamen cum relatione et dependentia a fine altiore.

Nonnulli theologi affirmant finem medium non esse vere et proprie finem, sed aliquod solum medium ad obtinendum verum finem. Videtur esse lis de verbis.

Nihil obstat, ne finis intermedius veram habeat rationem finis, dummodo ratione sui et non ut merum instrumentum intendatur.

5. **Nota.** a) Finis principalis *potest* esse simul finis ultimus, sed non semper necesse est sic esse; e. g. finis ultimus omnium actionum hominis iusti est Deus, finis autem principalis alicuius actionis potest esse res creata.

b) Finis et bonum *materialiter* quidem sunt idem, sed *formaliter* differunt, in quantum bonum formaliter est appetibile seu conveniens appetitui, finis vero formaliter est id quod per media est assequendum.

6. **Propositio 1.** *Deus est finis ultimus hominis eiusque actuum, ita ut homo debeat omnibus suis actibus tendere ad Deum eumque glorificare.*

Praesupposita exsistentia Dei personalis et creatoris facile probatur principium: Homo omnisque creatura debet in illum finem ultimum tendere, quem Deus creando voluit obtinere. Iamvero finis, quem Deus creando sibi proposuit, non potest esse aliquid extra ipsum, sed ipse est suus finis. Secus enim Deus iam non esset infinite perfectus. Ergo Deus est finis totius creationis, atque omnes creaturae debent in hunc finem tendere, seu debent glorificare Deum. Hanc Dei gloriam *necessario* intendunt creaturae irrationales, *libere* autem creaturae rationales.

Homo tenetur Deum glorificare *omnibus* actibus suis, serviendo et oboediendo, amando atque venerando. Quare S. Paulus monet: «Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite» (1 Cor. 10, 31).

Non requiritur autem, ut homo in omnibus actibus *explicite* et *expresse* intendat gloriam Dei, sed sufficit, ut aliquando eliciat actum caritatis et sic virtualiter referat actus suos in Deum.

7. **Propositio 2.** a) *In assecutione huius finis ultimi consistit beatitudo humana;* b) *et quo perfectior est haec assecutio, eo maior est beatitudo;* c) *in nulla autem alia re hominis vera beatitudo exsistit aut etiam potest exsistere.*

Prob. a) Beatitudo convenienter definitur: *stabilis i. e. interminabilis possessio boni perfecti, quod totaliter quietat desiderium nostrum.* Atqui haec possessio obtinetur in assecutione ultimi finis, nempe Dei. Ergo in assecutione ultimi finis consistit beatitudo humana. Declaratur maior: Ad perfectam beatitudinem requiritur: *α*) stabilis seu *interminabilis* possessio boni; nam, si bonum possessum amittitur vel etiam amitti potest, iam deficit beatitudo; *β*) possessio boni *perfecti,* quod totaliter quietat desiderium nostrum; etenim bonum imperfectum nequit totaliter quietare desiderium nostrum, quippe cuius obiectum sit bonum universale. Minor syllogismi patet ex eo, quod Deus est revera ultimus finis noster, ut probatum est supra, et quod est infinite perfectus, et quod unio cum Deo semel obtenta numquam disrumpitur. Haec autem unio cum Deo, fine ultimo, fit per cognitionem et amorem.

b) Altera pars propositionis facile probatur. Etenim quo perfectius homo unitur cum Deo infinite perfecto et beato, eo perfectior et beatior fit ipse. Quo proprius enim quis accedit ad ignem calefacientem et illuminantem, eo maiorem calorem et illuminationem accipit. Ex quibus sequitur, ut singulis sanctis non aequalis beatitudo tribuatur. «In domo Patris mei mansiones multae sunt» (Io. 14, 2), dixit Christus. Omnes igitur sancti in coelo vident Deum, sed non eodem perfectionis gradu.

c) Tertia pars propositionis cum ab antiquis tum a modernis rationalistis negatur, qui putant hominis beatitudinem consistere in voluptate (Epicuraei), in virtute et in aequanima tolerantia dolorum (Stoici), vel in aliis diversis rebus creatis. Non vacat enumerare omnes sententias de summa beatitudine, quippe quae omnes sint falsae. Nullum enim prorsus bonum creatum est omnibus modis perfectum neque durat perpetuo. Ideoque nequit constituere veram beatitudinem hominis, ut ex supra data definitione beatitudinis apparet. Hinc rectissime dixit S. Bernardus: «Anima rationalis ceteris omnibus occupari potest, *repleri* non potest.»

8. **Propositio 3.** *Finis ultimus hominis* (i. e. *beatitudo perfecta*) *obtineri nequit sine gratia supernaturali, quae quidem omnibus sufficienter datur propter Christi redemptionem.*

Prob. Finis ultimus hominis consistit in intima unione cum Deo, nempe in visione divinae essentiae. Iamvero nullus intellectus creatus propriis viribus et sine gratia supernaturali potest videre Dei essentiam

Altera pars propositionis enuntiatae ex eo apparet, quod Deus indidit animae ineluctabile desiderium beatitudinis verae et perfectae. Ergo esset inconveniens, si idem Deus non dedisset sufficientia media ad istud desiderium satiandum et ad beatitudinem consequendam. Accedit quod Christus pro omnibus mortuus est et omnibus meruit gratias, ut salvi fieri possint.

TRACTATUS II.
De actibus humanis.

Caput I. De natura et divisionibus actus humani.

9. **Notio.** Tres definitiones (inter se non dissimiles) actus humani dari solent: *actus, qui procedit ex deliberata hominis voluntate,* seu: *qui procedit a ratione cognoscente et voluntate movente,* seu: *cuius homo est dominus.*

Hinc actus humani non sunt:

1. actus *vegetativae potentiae* in homine, e. g. nutritio, motus cordis etc. Homo enim non est dominus istorum actuum, quippe qui non procedant a ratione et voluntate.

2. actus eliciti *a perfecte amentibus, ebriis, infantibus usu rationis carentibus, personis sub influxu hypnotismi agentibus.* Ratio est, quia hi omnes non diriguntur a voluntate deliberata.

3. actus *primo-primi,* qui tam subito fiunt, ut antecedant usum rationis et voluntatis, e. g. repentini motus irae ex offensione inopinata. Motus autem *secundo-primi,* qui fiunt cum semiplena advertentia, sunt actus humani, licet imperfecti. Actus *secundo-secundi* sunt actus humani perfecti.

4. actus *coacti,* i. e. qui fiunt sub influxu externae violentiae. Ratio est, quia homo non est dominus horum actuum.

10. **Nota:** Idem sunt actus morales et actus humani materialiter, sed non formaliter. Actus enim dicitur humanus ex eo quod procedit a deliberata hominis voluntate; dicitur autem moralis ex eo quod est conformis vel difformis regulis morum

11. **Divisiones.** Distinguitur:

1. actus *elicitus* et *imperatus,* prout formaliter et immediate ab aliqua potentia producitur, vel prout producitur quidem ab aliqua potentia, sed ex imperio alterius potentiae seu habitus. Hinc omnis actus humanus est quidem elicitus, sed non imperatus. — Credere est actus elicitus ab habitu fidei; credere autem propter amorem Dei est actus imperatus a caritate.

Non eodem modo explicant diversi auctores notiones actus eliciti et imperati. Quare confusio est vitanda.

2. actus *internus* et *externus,* prout totaliter intra animam hominis concluditur vel exterius manifestatur. Credere est actus internus; fidem profiteri vocibus vel gestibus est actus externus. — Sunt tamen auctores, qui aliter explicant actum internum et externum.

3. actus *bonus, malus, indifferens,* prout est rectae rationi vel conformis, vel difformis, vel indifferens. Exsistunt quidem in abstracto actus indifferentes, sed non in concreto, ut infra n. 55 latius dicetur.

4. actus *naturalis* et *supernaturalis,* prout elicitur solis viribus naturalibus (e. g. cogitare, loqui) vel auxilio gratiae supernaturalis (e. g. elicere actum contritionis).

5. actus *validus* et *invalidus,* prout omnibus condicionibus a lege positiva praescriptis ad aliquem certum effectum producendum gaudet vel caret. Baptizare cum aqua potest esse actus validus; baptizare autem cum vino semper est actus invalidus.

Caput II. De principiis intrinsecis actus humani.

Principia intrinseca actus humani seu eius causae efficientes sunt cognitio et voluntas vel potius cognoscere et velle. De singulis separatim oportet agere.

Art. 1. De cognitione ad actum humanum requisita.

12. Cognitio, quae est primum fundamentum actus humani, versatur 1. circa actum ipsum et

2. circa moralitatem eius. Requiritur cognitio *actualis* seu advertentia.

Claritatis causa tractabitur 1. de advertentia; 2. de opposito seu de ignorantia; 3. de influxu ignorantiae vel inadvertentiae in actus humanos.

§ 1. De advertentia ad actum humanum requisita.

13. **Divisiones.** Advertentia distinguitur:

1. *plena* et *semiplena*, prout homo perfecte vel imperfecte attendit ad ea, quae agit. Cum semiplena advertentia solent fieri actiones durante somnolentia.

2. *distincta* et *confusa*, prout homo clare et distincte percipit actum eiusque moralitatem, vel superficiali solum modo advertit se quidem male vel bene agere, sed non clare distinguit moralitatem actus.

3. *actualis* et *virtualis*, prout homo actu attendit cum ad actionem tum ad eius moralitatem; vel prout potuit et moraliter debuit quidem attendere, sed de facto mens non plene advertit ad actum. Advertentia igitur virtualis est revera *physica* inadvertentia, cum homo reapse non advertat, tamen *moraliter* vi advertentiae et intentionis actualis praehabitae revera influit in actum eumque causat. Hinc haec advertentia virtualis sufficit: a) ad constituendum peccatum saltem veniale; b) ad validam administrationem sacramentorum; c) ad veram orationem et notanter ad Officium divinum recitandum. De singulis istis materiis sermo redibit alibi.

§ 2. De ignorantiae notione et divisionibus.

14. **Notiones.** Cognitioni opponitur ignorantia, quae definiri potest: *carentia cognitionis debitae.*

Distingui solet ignorantia: 1. a *nescientia*, quae est carentia cuiuslibet cognitionis sive debitae sive non; 2. ab *errore*, qui est actus seu iudicium procedens ex habitu ignorantiae.

15. **Divisiones.** Ignorantia distinguitur:

1. Ratione *obiecti:* ignorantia *facti* et *iuris*, prout quis ignorat aliquod factum (e. g. aliquem hominem esse haereticum), vel aliquod ius (e. g. communicationem in sacris cum haereticis esse illicitam). Ad ignorantiam iuris reducitur ignorantia quoque *poenae* infligendae transgressoribus legis. Etenim talis poena est sanctio legis eiusque pars integralis, ac proinde ignorantia poenae est partialis ignorantia legis seu iuris.

2. Ratione *subiecti* distinguitur: ignorantia *vincibilis* et *invincibilis*, prout morali adhibita diligentia depelli potest aut nequit. Moralis diligentia censetur illa, quae ab hominibus prudentibus et timoratis in talibus circumstantiis adhiberi solet.

Ignorantia vincibilis subdividitur secundum tres diversos gradus neglegentiae in: a) *simpliciter vincibilem*, quando adfuit levis neglegentia; b) *crassam* seu *supinam*, quando adfuit gravis neglegentia et nulla fere adhibita est diligentia ad depellendam ignorantiam oppositam. Haec ignorantia crassa est graviter vel leviter culpabilis, prout versatur circa gravem vel levem materiam; ac proinde ignorantia crassa et ignorantia graviter culpabilis non semper identificantur; c) *affectatam*, quae est ignorantia studiose volita ab eo, qui vult vel habere excusationem aliqualem a peccato, vel non retrahi a peccando.

3. Ratione *voluntatis* ignorantia dividitur in: a) *antecedentem*, quae praecedit omnem actum voluntatis, ita ut nulla ratione sit voluntaria; b) *consequentem*, quae sequitur ex aliquo actu voluntatis volentis directe vel indirecte illam. Ignorantia consequens et ignorantia vincibilis idem sunt realiter, sed differunt secundum conceptum. Ignorantia enim vocatur consequens, quia sequitur actum voluntatis; vocatur vero vincibilis, quia voluntas eam vincere potest.

Solet insuper distingui ignorantia *concomitans*, quae praecedit quidem omnem actum voluntatis neque est volita, ac proinde est invincibilis sicut antecedens ignorantia; attamen non est *causa operis*, sicut antecedens. Versatur in illo, qui ita dispositus est, ut actionem poneret, etiamsi sciret id, quod revera hic et nunc nescit; e. g. aliquis, qui est dispositus ad occidendum inimicum, vult in venatione occidere cervum. Attamen casu inopinato occidit revera inimicum.

§ 3. De ignorantiae et inadvertentiae influxu in actus humanos.

Praenotamen. Ad ignorantiam referendae quoque sunt inadvertentia et oblivio; quae, si sunt perfectae, aequivalent ignorantiae invincibili; sin vero sunt imperfectae, eundem influxum in moralitatem actus exercent ac ignorantia vincibilis. Duo igitur sequentia principia eodem modo valent de ignorantia et inadvertentia.

16. **Principium 1.** *Ignorantia invincibilis (antecedens) tollit voluntarium ac proinde etiam imputabilitatem actus, qui ex illa productus est.*

Ratio est, quia nihil volitum nisi praecognitum. Alexander VIII damnavit propositionem (2): «Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali» (cf. c. 2202).

17. **Principium 2.** *Ignorantia vincibilis* a) *non tollit voluntarium;* b) *minuit tamen, nisi* c) *sit affectata.*

Ratio primi est, quia, cum ipsa ignorantia vincibilis sit voluntaria, effectus quoque ex illa sequentes sunt voluntarii.

Ratio secundi est, quia hic et nunc deest perfecta cognitio et proinde etiam perfectum voluntarium. Hinc e. g. confessarius, qui ex ignorantia vincibili falsum consilium dedit, peccat minus, quam si idem fecisset cum plena scientia.

Ratio tertii est, quia ignorantia affectata solet oriri ex mala voluntate causante illam ad liberius peccandum.

18. *Scholion 1.* **De inadvertentia peccatoris consuetudinarii.** Habitus nonnulli, e. g. blasphemandi, mentiendi, possunt evadere quasi altera natura hominis, ita ut tales actus pravi fiant sine ulla advertentia. Quibus in casibus distinctione opus est: si pravus habitus est sincere retractatus per contritionem, tunc actus sine advertentia producti sunt involuntarii ac proinde inculpabiles; si habitus pravus non est retractatus, tunc singuli actus non carent culpa, quia debuerunt praevideri et praecaveri; immo tales actus sunt graviora peccata, cum procedant ex habitu inveterato libere admisso. Nihilominus in confessionali huiusmodi peccatores consuetudinarii non sunt nimis torquendi, ut numerum singulorum actuum indicent. Sufficit, si confessarius quaerit, per quodnam tempus paenitens vixerit in tali habitu, et quot actus circiter quolibet die commiserit.

19. *Scholion 2.* **De ignorantia respectu legum et poenarum ecclesiasticarum.** Quamvis nulla ignorantia excuset a legibus irritantibus et inhabilitantibus (e. g. ab impedimentis matrimonialibus, irregularitatibus), nisi aliud expresse dicatur (c. 16, § 1), tamen violatio legis *inculpabiliter* ignoratae non imputatur. Violatio legis plus minusve imputatur pro ignorantiae ipsius culpabilitate (c. 2202). Quotiescumque autem propter ignorantiam transgressio legis non fuit *graviter culpabilis,* nulla poena ecclesiastica incurritur (c. 2218, § 2). — Quantum ad ignorantiam *poenarum* ecclesiasticarum haec sunt statuta: a) ignorantia solius poenae imputabilitatem delicti non tollit, sed aliquantum minuit (c. 2202, § 2); b) ignorantia affectata non excusat ab ulla poena, ignorantia vero crassa et supina excusat a solis poenis, si lex habet verba: praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit, aliave similia; c) ignorantia alia excusat quidem a poenis medicinalibus (a censuris), non autem a vindicativis (c. 2229).

Art. 2. De voluntario.

Tractabitur 1. de quidditate et divisione voluntarii; 2. de voluntario indirecto; 3. de hostibus voluntarii.

§ 1. De quidditate et divisione voluntarii.

20. **Notio.** *Voluntarium (i. e. voluntarius actus vel effectus) est id quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis.* (Ita S. Thomas.)

Explicatur: Voluntarium procedit a principio intrinseco, nempe a facultate appetitiva. Hinc voluntarium distinguitur: 1. a *violento,* quippe quod producatur a causa extrinseca; 2. a *volito,* quod est quidem obiectum, sed non effectus facultatis appetitivae. Sic e. g. pluvia potest esse quid volitum pro agricola, sed non voluntarium.

Voluntarium procedit cum finis cognitione, quae, si est intellectualis, causat voluntarium perfectum; sin autem est tantum-

modo sensitiva, producit voluntarium imperfectum. Propter defectum cognitionis actus *naturales* (dormire, digerere cibos) et *spontanei* (actus primo-primi) non sunt actus voluntarii.

21. Divisiones. Voluntarium distinguitur:

1. *necessarium* et *liberum*, prout necessario vel libere producitur a voluntate. Voluntarium necessarium est amor beatitudinis et visio beatifica.

2. *perfectum* et *imperfectum*, prout voluntarium procedit ex perfecta et intellectuali cognitione vel ex cognitione sensitiva. Voluntarium imperfectum in brutis quoque invenitur. E. g. facere nidum est voluntarium imperfectum pro hirundine.

3. voluntarium *simpliciter* et *secundum quid*, prout voluntas in aliquod obiectum fertur sine vel cum quadam reluctantia. Sic e. g. sumere medicinam amaram est voluntarium secundum quid.

Nota. Etiam voluntarium secundum quid est verum voluntarium in casu particulari ac proinde perfectus actus moralis. Quare si tale voluntarium comparatur cum involuntario adiuncto, solet vocari voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid. Ideo in exemplo allato sumere medicinam amaram est pro aegroto voluntarium simpliciter et involuntarium secundum quid.

4. *directum* (in se) et *indirectum* (in causa), prout aliquid *in se* et immediate intenditur (e. g. furtum a fure), vel *ratione alterius*, quocum est inseparabiliter coniunctum. Sic e. g. proiectio mercium in mare ad vitandum naufragium est voluntarium indirectum; non enim in se intenditur, sed potius abhorretur; cum autem vita aliter salvari nequeat, nihilominus fit[1].

5. *positivum* et *negativum*, prout est actus positivus vel omissio actus debiti.

22. *Scholion.* **De involuntario.** Oportet distinguere involuntarium, quod accidit *contra* voluntatem, a *non voluntario*, quod fit tantummodo sine voluntate agentis. Ea, quae fiunt ex ignorantia concomitante, sunt non voluntaria, sed non involuntaria.

[1] Divisiones voluntarii sub n[is] 2, 3, 4 indicatae non ab omnibus eodem modo explicantur. Quare confusiones sedulo sunt vitandae.

§ 2. De voluntario indirecto seu in causa.

23. Principium. *Licet ponere actionem in se bonam aut indifferentem, cuius duplex aut multiplex est effectus, sc. unus alterve bonus et unus alterve malus, si:*

1. *bonus effectus est immediatus;*
2. *finis agentis est honestus;*
3. *adest causa proportionate gravis.*

Idem principium hoc quoque modo enuntiari potest: *Quattuor condiciones requiruntur, ut voluntarium indirectum malum sit licitum:* 1. *actio in se bona aut indifferens;* 2. *effectus immediatus bonus;* 3. *finis honestus;* 4. *causa proportionate gravis.*

Explicatur: 1. Ante omnia requiritur, ut actio posita sit in se bona aut saltem indifferens. Quapropter numquam licet facere actiones in se malas (mentiri, blasphemare, fornicari etc.), quamvis optimus effectus inde speretur. Ad iudicandum in praxi, num aliqua actio sit in se bona aut indifferens, iuvat inspicere, *num agens habeat (absolute loquendo) ius ponendi hanc actionem.* Sic e. g. caupo habet (absolute loquendo) ius propinandi vinum, proinde haec actio est bona vel indifferens, licet per accidens sit coniuncta cum peccato ebrietatis; econtra prorsus nemo habet ius directe occidendi innocentem, ideo actio medici directe procurans abortum est intrinsecus mala.

2. Deinde requiritur, ut *bonus effectus sit immediatus,* i. e. ut malus effectus non praecedat, sed sequatur illum. Non enim faciamus mala, ut veniant bona (Rom. 3, 8). Ceterum haec condicio

non ita multum differt a prima. Nam si primus effectus actionis est malus, et ipsa actio sit in se mala oportet.

3. Praeterea requiritur, *ut finis agentis sit honestus*. Quamvis enim bonus finis non cohonestet mala media, tamen malus finis deturpat omnia, quaecumque demum media adhibita sunt.

4. Ultimo requiritur, ut *adsit causa proportionate gravis* agendi et permittendi malum effectum. Malus enim effectus, licet sit praeter intentionem agentis, semper remanet peccatum *materiale;* immo haud raro inducit grave periculum peccati formalis. Porro non licet permittere peccatum materiale aut periculum peccati formalis sine causa proportionate gravi. Tamquam regula generalis sit:

24. Eo maior requiritur causa, quo:
1. gravius est malum indirecte volitum;
2. propinquius actio influit in hoc malum;
3. certius malum revera sequetur;
4. maior est obligatio ex officio impediendi hoc malum sequens.

§ 3. De hostibus voluntarii.

25. Praenotamen. Ut ex supra dictis patet, ad actum voluntarium duo principia requiruntur: cognitio intellectus et inclinatio voluntatis. Quare quidquid alterutrum aut tollit aut minuit, tollit aut minuit quoque voluntarium et solet vocari *hostis voluntarii*. Tales hostes enumerantur sex: 1. ignorantia, 2. violentia, 3. metus, 4. passio, 5. habitus, 6. quidam morbidi status corporis. — Tractabitur de singulis, excepta ignorantia, de qua iam supra satis dictum est.

1. De violentia.

26. **Notio.** *Violentia (coactio, vis) seu violentum est id, quod procedit a principio extrinseco, repugnante omnino eo qui vim patitur.* Quare ad violentum duo requiruntur: 1. principium extrinsecum, 2. repugnantia ex parte vim passi; ideoque nemo sibi ipsi violentiam inferre potest, cum sibi non sit principium extrinsecum.

27. **Principium.** *Solus actus externus, non autem actus internus voluntatis per violentiam extorqueri potest.*

Actus internus voluntatis, qui per violentiam externam extorqueretur, esset simul actus voluntatis et non voluntatis; quod profecto repugnat. Esset enim actus voluntatis, quia a voluntate elicitur; non esset actus voluntatis, quia voluntas totis viribus repugnat.

Actus externus, e. g. ambulare, tangere etc., cum per organa externa producantur, possunt etiam per violentiam externam extorqueri.

Corollarium. Actus interni moraliter imputantur, quantumvis homo sit violentiam passus; actus vero externi per violentiam extorti non imputantur, dummodo homo internum consensum cohibuerit (c. 2205).

2. De metu.

28. **Notio.** Metus definiri solet: «*mentis trepidatio instantis vel futuri periculi causa*». Malum, quod causat metum in mente, nondum est praesens, sed instans aut futurum, quoniam malum praesens in mente causat tristitiam et non metum.

29. Divisiones. Inter multiplices divisiones metus sequentes videntur esse principaliores:

1. metus *ab intrinseco* et *ab extrinseco,* prout causatur a causa homini intrinseca aut a causa naturali, e. g. morbo, contagione, tempestate etc., vel a causa extrinseca libera, e. g. ab homine, daemone. Nonnulli auctores vocant extrinsecum omnem metum, etiam a causa naturali causatum, e. g. metum causatum ex tempestate.

2. metus *gravis* et *levis,* prout homini imminet grave vel leve periculum. Periculum grave adest, si timetur malum a) grave, b) proxime imminens, c) difficulter declinabile. Si

vel una ex istis tribus condicionibus deest, periculum est leve. Metus gravis est vel absolute gravis, i. e. pro omni homine; vel tantum relative, i. e. pro tali homine gravis. Ad metum levem reducitur metus *reverentialis,* quo subditus timet offensam et indignationem superioris. Si tamen ex hac indignatione superioris gravia sequuntur mala pro subdito, tunc metus reverentialis potest esse gravis.

3. metus *iuste* et *iniuste* incussus, prout causatur a persona legitima et modo debito vel non.

4. metus *antecedens* et *concomitans,* prout actionem antecedit illamque causat, vel actionem comitatur illamque nedum non causat, sed potius impediret, si esset possibile. Viator movetur *ex* metu antecedente ad dandam pecuniam latroni; latro *cum* metu concomitante accipit pecuniam; timet enim, ne capiatur et puniatur.

Influxus metus in actus humanos.

30. **Principium 1.** *Metus, qui non est tam vehemens, ut impediat usum rationis, non aufert sed minuit voluntarium.*

Metus, qui totaliter impedit usum rationis, tollit voluntarium, ut per se patet; omnis autem alius metus non tollit voluntarium, quia integra manent duo principia voluntarii: cognitio et libera voluntas. Minuitur tamen voluntarium, quia actio non fieret, si metus non adesset.

31. **Principium 2.** *Leges positivae (sive divinae sive humanae) non solent obligare sub gravi metu, vel, ut dicitur, non obligant cum gravi incommodo.*

Ratio est, quia legislatores non censentur habuisse intentionem obligandi subditos ad observandas leges in tantis angustiis. — Aliquando tamen leges positivae obligant etiam cum magno incommodo, si nempe secus bonum commune aut bonum religionis periclitaretur, e. g. miles debet remanere in excubiis, quamvis timeat mortem.

32. **Principium 3.** a) *Contractus initi ex gravi metu iniuste incusso sunt quidem per se validi;* b) *possunt tamen postea rescindi;* c) *immo nonnulli contractus (et actus) ex gravi metu facti declarantur a lege positiva per se invalidi* (cf. c. 103, § 2). Ratio primi est, quia metus non tollit voluntarium ac proinde ne consensum quidem necessarium ad validitatem contractus.

Ratio secundi est, quia ille, qui ex gravi metu iniusto contractum init, passus est iniuriam, a qua potest se liberare per rescissionem contractus (c. 1684).

Ex causis sane sufficientibus nonnulli contractus vel actus sub metu gravi iniusto facti invalidantur a lege positiva, e. g. ingressus vel admissio in novitiatum, professio religiosa, sponsalia, matrimonium, vota, electio praelati, absolutio a censuris, renuntiatio beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum.

3. De passione seu concupiscentia.

33. **Notio et divisiones.** Inter diversas acceptiones verbi passionis eminent acceptio Aristotelica et Platonica.

Iuxta Aristotelem *passio est motus appetitus sensitivi ex imaginatione boni vel mali proveniens et causans transmutationem corporalem.*

Dicitur: *motus,* i. e. actio seu operatio. Dicitur: *appetitus sensitivi,* quia neque intellectus neque voluntas, sed appetitus sensitivus (concupiscibilis vel irascibilis) has actiones elicit. Dicitur: *ex imaginatione boni vel mali,* quia passiones oriuntur per vividam imaginationem alicuius boni vel mali. Dicitur: *causans transmutationem corporalem,* quia passiones vehementer afficiunt organismum corporalem, excitando e. g. palpitationes cordis, ruborem paloremve faciei etc.

Passiones in sensu Aristotelico acceptae sunt actus pure sensitivi, neque boni neque mali, exsistentes in quolibet homine (etiam in Christo).

Iuxta Platonem, stoicos, complures modernos *passiones sunt actus aut habitus inordinati appetitus sensitivi.* Quare vocantur quoque morbi animi et alliciunt hominem ad multa peccata. Tales passiones melius appellarentur *vitia.*

34. *Concupiscentia* sumitur in triplici sensu: 1. prout est idem ac passio in genere; 2. prout est passio specialis, nempe *desiderium;* 3. prout est prava inclinatio appetitus (inferioris et superioris) vitiati per peccatum originale.

Praeeunte Aristotele S. Thomas distinguit undecim passiones, quarum sex ad appetitum concupiscibilem et quinque ad appetitum irascibilem pertinent:

in appetitu concupiscibili

circa bonum	*circa malum*
amor	odium
desiderium	fuga
delectatio	tristitia

in appetitu irascibili

circa bonum	*circa malum*
spes	audacia
desperatio	timor
	ira

Influxus passionum in voluntarium.

35. **Praenotamen.** Passiones possunt dupliciter se habere ad voluntatem et rationem: *antecedenter* et *consequenter*. Passio antecedens oritur ex causis a voluntate independentibus, e. g. ex dispositione corporali, ex subitanea et improvisa commotione. Passio vero consequens oritur vel per modum *redundantiae*, quando enim voluntas vehementer appetit aliquid, oriuntur ilico motus in appetitu sensitivo; vel per modum *electionis*, quando homo deliberate eligit affici aliqua passione, ut promptius et vividius operari valeat, cooperante ipsa passione.

36. **Principium 1.** *Passio antecedens minuit voluntarium; immo si est tam vehemens, ut tollat usum rationis, tollit etiam voluntarium.*

Ratio primi est, quia talis passio aliqualiter obnubilat rationem et vehementer impellit ad actionem, ut patet e. g. in peccatis commissis ex inordinatis passionibus irae, amoris etc. Peccata ex passione antecedente facta vocantur *peccata infirmitatis*.

Ratio secundi per se patet.

37. **Principium 2.** *Passio consequens* a) *per modum electionis auget voluntarium;* b) *per modum redundantiae non quidem auget voluntarium, sed est signum intensioris voluntatis.*

Ratio primi est, quia homo ex tali passione agens non solum perfecte vult actum, sed etiam imperat appetitui sensitivo, ut mediante passione adiuvet in agendo.

Ratio secundi est, quia, si actus voluntatis est tam vehemens, ut non solum commoveat animam, sed etiam redundet in appetitum sensitivum, profecto est intensissimus.

38. ***Scholion.*** **De influxu habituum in voluntarium.** Quae dicta sunt de influxu passionum in voluntarium, valent fere etiam de influxu habituum. Est autem habitus constans inclinatio iteratis actibus comparata ad similes actus producendos. Habitus *voluntarius,* i. e. non efficaciter retractatus, auget voluntarium; est enim valde efficax adiutorium ad agendum; eodem modo influit in voluntarium, sicut passio consequens per modum electionis. Habitus *involuntarius* minuit vel tollit voluntarium; eodem enim modo influit sicut passio antecedens.

4. De quibusdam statibus pathologicis corporalibus.

Praenotamen. Nonnulli morbidi status corporales cognitionem et voluntatem minuunt aut etiam tollunt. De perfecta amentia hic sermo non est, sed tantum de sic dictis «ideis fixis» et de hysteria, quae magnum exercent influxum in voluntarium.

39. **Ideae fixae** (phobiae) multos homines valde cruciant et versantur circa infinitas fere materias. Origo earum adhuc est prorsus ignota. Ideae fixae valde minuunt voluntarium, ita ut vix in illis possit esse peccatum mortale. Ad summum est peccatum veniale, et saepe est nullum peccatum. Contra ideas fixas non datur efficacius remedium quam (praeter sapientem curam sanitatis corporalis) stricta oboedientia erga confessarium seu directorem prudentem, strenuum, praesertim patientem.

40. **Hysteria** significat morbum nervorum specialem, qui invenitur saepius in mulieribus, aliquando etiam in viris. In quo consistat accurate iste morbus, hodieque nos latet. Videtur esse *autosuggestio morbida.* Imprimis omnino oportet advertere istum morbum nequaquam esse quid probrosum neque oriri semper ex luxuria. Ideo interdum inveniuntur etiam homines piissimi, qui

laborant hoc morbo. *Confessarius maxima prudentia et cautione agat* cum hominibus hysteria laborantibus, quia secus et ipse et illi facile habebunt magna damna.

41. Signa characteristica seu symptomata hysteriae sunt:

a) *egoismus* prorsus exaggeratus et morbosus;

b) *inconstantia enormis* in affectibus (laetitiae et tristitiae, amoris et odii);

c) *defectus veritatis et veracitatis* (pseudologia phantastica). Hysterici sunt mendaces, quin tamen aliquando percipiant sua mendacia.

d) *peccata contra temperantiam* (excessus in Venere et Baccho).

42. Moralitas actuum in hysteria commissorum. Quamvis hysteria valde minuat voluntarium, tamen ordinarie illud non tollit. Proinde actus pravi commissi ab hystericis non carent omni culpa; aliquando autem non sunt peccata mortalia, etiamsi sunt contra VI praeceptum. Quare confessarius sit valde prudens et cautus iudicans de actibus hystericae personae.

Cura morbi hysterici. Praeter medicinam corporalem adhibendam hysterici debent exercere: 1. perfectam oboedientiam erga confessarium vel directorem; 2. totis viribus impugnare egoismum abnormem, exercendo opera caritatis neque nimis cogitando de semetipso.

Caput III. De moralitate actuum humanorum.

In hoc capite distinguuntur tres articuli: 1. de natura et divisione moralitatis; 2. de principiis et fontibus moralitatis; 3. de extensione moralitatis.

Art. 1. De natura et divisione moralitatis.

43. Natura moralitatis est relatio realis actus humani ad normam moralitatis. Quaenam autem sit haec norma moralitatis, valde controvertitur.

Acatholici nonnulli putaverunt normam moralitatis esse utilitatem. Hinc utilitarismus individualis (Epicurus, Diderot, Feuerbach) aut socialis (Fr. Baco, A. Comte, Stuart Mill). Alii opinati sunt normam moralitatis esse rectam rationem, ita ut homo debeat vivere secundum rectam rationem sine ullo respectu ad felicitatem (Stoici, Kant). Alii demum asserunt non exsistere normam moralitatis obiectivam et constantem, sed *subiectivum iudicium* esse unicam normam moralitatis. (Subiectivismus, scepticismus, nihilismus moralis.)

Inter *catholicos* nonnulli putabant normam moralitatis esse *liberam voluntatem divinam*, quae potuit et potest statuere moralem prorsus diversam a nostra morali (Occam, Gerson); alii autumabant moralitatem esse meram denominationem externam, aut libertatem, aut advertentiam rationis ad obiecti honestatem.

Quibus omnibus omissis tenendum est moralitatem actus consistere in eius relatione ad normam moralitatis; normam autem moralitatis obiectivam *supremam* esse *legem aeternam;* normam *proximam* obiectivam esse *rationem humanam;* normam *subiectivam* esse conscientiam uniuscuiusque hominis.

44. Species moralitatis. Tres species moralitatis assignantur: *bonitas, malitia, indifferentia moralis.* Bonitas est conformitas, malitia autem est difformitas cum lege aeterna. Indifferentia moralis competit illis actibus, qui *abstracte* et ex se neque conformes neque difformes sunt legi aeternae (e. g. deambulare). *In concreto* non exsistunt tales actus indifferentes, cum ex circumstantiis et fine semper evadant vel mali vel boni, ut infra n. 55 latius dicetur.

Art. 2. De principiis seu fontibus moralitatis.

45. Praenotamen. Postquam in art. praec. dictum est de natura moralitatis in communi, nunc oportet tractare de moralitate actuum in particulari seu in concreto. Aliis verbis: nunc quaeritur, quaenam sint elementa, quae in quolibet actu humano causant determinatam moralitatem. Quae quidem elementa vocantur *principia* seu *fontes* moralitatis; realiter enim efficiunt, ut actus sit moraliter bonus vel malus vel indifferens. A S. Thoma assignantur principia seu fontes moralitatis: 1. obiectum, 2. circumstantiae, 3. finis.

§ 1. De obiecto.

46. **Notio.** Non est sermo de physico, sed de morali obiecto. Obiectum autem morale alicuius actionis est id, in quod actio ex natura sua *primo et per se* tendit. E. g. fur aufert in ecclesia 100 marcas ad luxuriose vivendum ex hac pecunia. Obiectum morale huius actus est res aliena iniuste ablata; circumstantia istius actus est furtum commissum in loco sacro; finis vero est luxuria satianda.

Obiectum morale in se consideratum est triplex: *bonum*, si rationi et legi aeternae est consentaneum; *malum*, si est dissentaneum istis regulis; *indifferens*, si in se et abstracte consideratum neque concordat neque discordat cum istis regulis, e. g. induere vestem albam aut nigram.

Obiectum morale dupliciter spectari potest: *materialiter*, quatenus consideratur in se cum sola relatione ad legem aeternam; *formaliter*, quatenus eius moralitas percipitur a conscientia agentis. Obiectum materialiter malum constituit materiale peccatum, obiectum vero formaliter malum facit peccatum formale.

47. **Principium.** *Prima et essentialis moralitas actus humani desumitur ab obiecto moraliter considerato.*

Ratio est, quia prima et essentialis moralitas actus humani ea est, quae est fundamentum immutabile omnis alterius moralitatis supervenientis. Iamvero ex obiecto morali habetur fundamentum immutabile moralitatis. Res magis clarescit exemplo. Obiectum morale adulterii est violatio thori alieni. Porro istud

obiectum morale remanet fundamentum immutabile, quaecumque demum circumstantiae et fines adulterii superveniant. — Neque quis dicat in actibus moralibus priorem esse respectum ad finem quam ad obiectum actus. Nam finis est vel obiectivus seu finis operis, et tunc est idem atque obiectum morale; vel est finis subiectivus seu finis operantis, et tunc iam praesupponit moralitatem ex obiecto.

§ 2. De circumstantiis.

48. **Notio.** Circumstantiae morales sunt condiciones morales, quae ad substantiam moralem actus iam constitutam accedunt eamque modificant, e. g. circumstantia personae consanguineae in fornicatione. — Iam ab antiquis temporibus solebant enumerari septem circumstantiae, quae hoc versiculo exprimuntur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

49. **Principium 1.** *Actus humanus desumit quoque aliquam moralitatem ex circumstantiis moralibus.*

Ita omnes. Ratio est, quia, sicuti valor rei physicae augetur vel minuitur ex eius circumstantiis, ita moralitas actus humani mutatur ex circumstantiis moralibus. Praeterea Concilium Tridentinum praecipiens in confessione declarandas esse circumstantias speciem peccati mutantes manifeste supponit, circumstantias mutare moralitatem actus.

Ut autem circumstantiae influant in moralitatem, requiritur: a) ut sint revera *morales*, i. e. ut habeant specialem conformitatem vel difformitatem cum ratione; b) ut haec moralitas ab agente aliqualiter cognoscatur et intendatur.

50. **Principium 2.** *Circumstantiae quaedam totaliter mutant speciem moralitatis, quaedam autem solummodo mutant gradum moralitatis.*

Ratio primi est, quia quaedam circumstantiae habent omnino specialem et specificam conformitatem vel difformitatem cum ratione. E. g. circumstantia rei sacrae habet in furto omnino specialem et specificam difformitatem; graviter enim laedit virtutem religionis, dum econtra simplex furtum non laedit nisi virtutem iustitiae.

Ratio secundi est, quia nonnullae circumstantiae non habent conformitatem vel difformitatem diversam a moralitate obiecti, e. g. auferre rem alienam est furtum habens moralitatem pravam determinatam; auferre autem rem alienam in magna quantitate est circumstantia, quae auget quidem malitiam, sed non laedit aliam virtutem nisi iustitiam.

51. Divisio circumstantiarum moralium.

1. Distinguuntur circumstantiae speciem mutantes et non mutantes.

2. Circumstantiae speciem mutantes solent subdividi in speciem *moralem* mutantes, quae laedunt diversas virtutes; et speciem *theologicam* mutantes, quae faciunt ex peccato veniali peccatum mortale; e. g. furtum parvae materiae est peccatum leve, furtum vero magnae materiae est peccatum mortale.

3. Circumstantiae speciem (moralem) non mutantes subdividi solent in *aggravantes* et *minuentes*, prout malitiam alicuius actus augent vel minuunt. Circumstantiae autem aggravantes iterum subdividuntur a) in *leviter*, b) in *notabiliter*, c) in *infinitum* aggravantes. Circumstantiae in infinitum aggravantes sunt illae, quae ex peccato levi faciunt peccatum grave; sunt proinde eaedem, quae speciem theologicam mutant.

§ 3. De fine.

De solo fine subiectivo seu de fine operantis hic sermo est; non autem de fine operis, quippe qui sit idem ac obiectum morale, de quo iam dictum est supra § 1.

52. Principium 1. *Finis quoque (subiectivus) est fons moralitatis.*

Ratio est, quia finis seu motivum operantis potest habere specialem conformitatem vel difformitatem cum lege aeterna et recta ratione.

53. Principium 2. *Finis operantis potest* a) *actum ex obiecto indifferentem reddere bonum vel malum;* b) *actum ex obiecto bonum reddere magis vel minus bonum, immo et malum;* c) *actum ex obiecto malum reddere magis vel minus malum;* d) *actum vero ex obiecto malum numquam efficere bonum.*

Ad a) Deambulatio est actus ex obiecto indifferens, qui tamen redditur moraliter bonus, si exercetur ex bono fine, e. g. ex oboedientia; fit autem maius, si exercetur ex malo fine, e. g. propter culpabilem curiositatem. Ratio est doctrina primi principii.

Ad b) Eleemosynam dare est actus ex obiecto bonus, qui, si fit ex voto, evadit magis bonus; si fit ex vana gloria, quae tamen non est nisi finis partialis, est minus bonus; si fit ex vana gloria, quae est finis principalis, est malus. Fuerunt theologi docentes finem pravum semper deturpare *totum* opus bonum, sed hodie communissime admittitur, finem pravum partialem et inadaequatum esse quidem in se malum, sed nihilominus remanere aliquid boni in opere ceteroquin ex obiecto bono. Nam si levis inordinatio finis totam bonitatem actus aliunde boni destrueret, vix ullus bonus actus perficeretur a nobis. Quare admitti oportet, unum actum posse esse bonum et malum ex diverso capite, nempe bonum ex obiecto, malum ex circumstantia aut fine, dummodo tamen finis malus ne sit adaequata causa actionis.

Ad c) Qui furatur ad habendam pecuniam pro ebrietate, facit maius peccatum, quam si solum furtum committit; qui vero furatur ad habendam pecuniam pro eleemosyna, minus quidem peccat, sed revera peccat, quia malitia actus provenientis ex malo obiecto morali remanet.

Ad d) Finis bonus numquam potest iustificare mala media. Ideoque S. Paulus monet: «Non faciamus mala, ut veniant bona» (Rom 3, 8). Ratio autem intrinseca est, quia moralitas mala ex obiecto proveniens ita repugnat rectae rationi, ut per nullum finem extrinsecum mutari queat.

54. Principium 3. *Homo tenetur sibi praefigere in omnibus suis actionibus finem honestum, qui saltem implicite refertur in Deum; non autem licet agere ob solam voluptatem.*

Hoc principio respondetur ad quaestionem: quaenam intentio in agente sit necessaria, ut eius opera sint bona. Doctrina autem proposita medium locum tenet inter duas alias extremas, quarum altera exigit in omnibus actibus *actualem* vel saltem *virtualem* relationem in Deum (Baius, Iansenius); altera econtra asserit, ad honestatem actus sufficere, ut nihil fiat contra rectam rationem, quin ulla intentio alia sit necessaria. Saltem implicitam relationem actus in Deum esse necessariam sequitur ex propositionibus damnatis, in quibus asseritur solam voluptatem esse licitum motivum agendi: «Licet

comedere et bibere usque ad satietatem absque necessitate ob solam voluptatem, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui» (Innocentius XI, prop. 8; cf. prop. 9). Iam S. Thomas (Contra Gent. 3, 26) docuit: «Delectatio est propter operationem, et non e converso.» Licet quidem agere *cum* delectatione, sed numquam licet agere *propter* solam voluptatem. — Non stricte requiri actualem vel virtualem relationem actuum in Deum, sequitur ex eo, quia nullibi tale strictum praeceptum invenitur.

In praxi consulendum est, ut homo frequenter se suosque actus devoveat Deo, attamen homo sequens rectam rationem in omnibus actibus censetur habere etiam rectam intentionem.

Art. 3. De extensione moralitatis.

Tractabitur 1. de actuum indifferentia; 2. de moralitate actus et eventus externi.

§ 1. De actuum indifferentia.

Praenotamen. Non est sermo de actibus hominis, sed de actibus humanis et quidem secundum eorum moralitatem, non secundum eorum meritum supernaturale.

55. **Principium.** *In abstracto, non autem in concreto exsistunt actus moraliter indifferentes.*

Ratio primi est, quia actus humani abstracte considerati desumunt moralitatem ex solo obiecto. Iam vero sunt obiecta moraliter prorsus indifferentia, e. g. ambulare, pingere, comedere.

Ratio secundi est, quia actus humani in concreto semper procedunt ex aliquo fine subiectivo. Qui finis si est bonus (praesupposita bonitate obiectiva actus), etiam actus est bonus; si vero est malus, etiam actus est malus.

56. ***Scholion.*** **De influxu doctrinae propositae in ascesim.** Doctrina de moralitate bona vel mala cuiuslibet actus deliberati simul *consolatoria* et *excitatoria* est pro hominibus bonae voluntatis. Etenim si nullus est actus moraliter indifferens, tunc homo sequens rectam rationem etiam in minimis actiones bonas peragit; immo et meritorias, si est in statu gratiae sanctificantis. Quod sane est valde consolatorium. Deinde excluduntur sic dictae «imperfectiones», quae sunt actus neque boni neque mali. Praesertim tales imperfectiones vocari solent voluntariae omissiones operis boni, quod est de mero consilio, e. g. omittere auditionem Missae diebus ferialibus. Quae quidem omissiones, si fiunt ex ratione sufficienti, sunt actus boni, secus sunt actus mali. Per se igitur talis omissio Missae sine ulla sufficienti ratione facta esset materia sufficiens confessionis; cum autem in praxi satis difficulter distinguatur, utrum adfuerit causa sufficiens necne, hinc communiter et recte docent moderni theologi, sic dictas *«imperfectiones»* non esse materiam sufficientem absolutionis. — Valde excitatorium est ad bonum, si istae «imperfectiones» saepe considerantur ut vera peccata, licet venialia.

§ 2. De moralitate actus externi et eventus sequentis.

57. **Principium.** *Non per se, sed aliquando per accidens auget actus externus moralitatem actus interni.*

Ratio primi est, quia actus externus non habet propriam et distinctam libertatem, sed totam, quantam habet, habet ex interno voluntatis actu, cuius est complementum. Ergo actus externus, si seiunctus consideratur, nec etiam habet aliquam moralitatem propriam; ac proinde per se neque augere neque minuere valet moralitatem actus interni. Hinc in S. Scriptura passim non minus laudatur aut redarguitur perfecta volitio, ac si illa opere fuisset completa, e. g. Abraham aeque remuneratur pro volito sacrificio, ac si revera filium immolasset.

Ratio secundi sunt complures circumstantiae, quae propter actum externum accedunt ad actum internum. Sic e. g. propter actum externum voluntas fertur in obiectum cum maiore *intensitate, duratione.* Ex actu externo oriuntur scandala, pronitas ad peccandum, excommunicatio, obligatio restitutionis etc. Quae cum ita sint, actus externus peccati omnino est declarandus in confessione; nam quamvis per se non augeat malitiam peccati, tamen confessarius nequit sufficienter iudicare de condicione et obligatione paenitentis, si nescit, utrum peccatum sit solummodo internum an etiam externum.

58. **Eventus** praevisus et aliquo modo intentus auget bonitatem et malitiam actus (sive per se sive per accidens sequatur). Etenim eo melior vel peior est actus, quo melior aut peior est voluntas hunc actum producens. Iamvero melior vel peior est voluntas illius, qui praevidens et intendens bonos aut malos eventus ex suo opere secuturos id facit, quam si nihil horum praevideret et intenderet. — Minime requiritur ad augendam moralitatem, ut eventus sit directe intentus, sed sufficit, ut sit indirecte intentus, i. e. ut potuerit et debuerit

praevideri. Ceterum hic oportet attendere ad ea, quae supra n. 23 dicta sunt de voluntario indirecto.

Caput IV. De merito actuum humanorum.

59. Notio. *Meritum* stricte sumptum est *proprietas boni actus, qui dignus est praemio,* vel in concreto: *est ipse actus bonus, prout est praemio dignus.*

Divisiones. 1. Distinguitur meritum *de condigno* et *de congruo,* prout operi bono debetur ex iustitia aut saltem ex promissione facta, vel tantum ex quadam congruitate aut decentia. E. g. fidelis servus meretur de condigno salarium stipulatum, de congruo autem quaedam dona heri.

2. Meritum cum de condigno tum de congruo subdividitur in stricte et minus stricte dictum. Meritum de condigno *strictum* seu de stricta iustitia est actus, qui aequivalet praemio obtento, quod proinde recusari nequit sine manifesta laesione iustitiae. Tale meritum est iustum salarium stipulatum pro servo fideli. In ordine supernaturali solius Christi Dei actus habuerunt meritum de condigno stricte dictum. Meritum de condigno *latius dictum* est actus, qui aliqualiter, non autem perfecte aequivalet praemio. Hoc modo homo iustus meretur vitam aeternam, quia est quaedam condignitas inter opera ex gratia supernaturali facta et vitam aeternam. — Meritum de congruo *stricte dictum* includit veram congruitatem inter opus et praemium, e. g. hoc modo homo iustus et amicus Dei potest mereri alteri conversionem. Meritum de congruo *late dictum* est potius impetratio quaedam quam meritum. Sic homo potest mereri vel potius impetrare perseverantiam finalem.

60. Condiciones requisitae ad meritum supernaturale solent enumerari sex:

1. ut opus sit liberum,
2. ut opus sit bonum,
3. ut opus fiat in obsequium praemiantis, i. e. Dei, seu adsit saltem aliquis influxus caritatis,
4. status viatoris,
5. status gratiae sanctificantis,
6. promissio Dei.

61. Obiectum meriti est id, quod homo actibus suis mereri potest apud Deum.

1. *De condigno* homo iustus mereri potest: a) vitam aeternam, b) augmentum gratiae et gloriae. (Conc. Trid. sess. 6, c. 32 de iustif.) Homo in statu peccati mortalis exsistens nihil mereri potest neque de condigno neque de congruo stricte dicto.

2. *De congruo late dicto* homo *iustus* mereri potest: a) perseverantiam finalem; b) reparationem post peccatum mortale forte futurum. *De congruo stricte dicto* homo mereri potest: a) bona temporalia; b) gratias actuales immo et conversionem pro aliis hominibus.

3. Adagium: «Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam» intellegendum est cum limitatione, sc. facienti cum gratia actuali.

TRACTATUS III.
De legibus.

Praenotamen. Consideratis actibus humanis oportet tractare de normis moralitatis eorum. Norma autem moralitatis sunt lex aeterna aliaeque leges iustae et applicatio earum, nempe conscientia. Proinde prius agendum est de legibus et deinde de conscientia. Totum tractatum de legibus, qui aeque necessarius est in Theologia morali ac in Iure ecclesiastico et civili, dividimus in tria capita:

1. de notione et divisionibus legis in genere;
2. de lege a Deo lata seu de lege divina;
3. de lege humana.

Caput I. De notione et divisionibus legis.

62. Notio. *Lex est quaedam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui communitatis curam habet, promulgata.*

Dicitur: *ordinatio rationis* (Verordnung der Vernunft, ordonnance de la raison) ad significandam propriam causam legis, nempe rationem practicam.

Dicitur: *quaedam ordinatio*, quoniam non omnis ordinatio rationis est lex; praeceptum[1] enim et consilium quoque sunt ordinationes rationis. Ad hoc ut ordinatio rationis sit lex, praeter alia (infra dicenda) requiritur, ut sit ordinatio a) efficax et praeceptiva; b) firma, stabilis, perpetua.

Dicitur: *ad bonum commune;* quibus verbis designatur finis necessarius cuiuslibet legis. Hinc tyrannorum praecepta, quae non vergunt in bonum communitatis, non sunt verae leges. Bonum autem communitatis a legibus procuratur vel *directe* (pacifica cohabitatio civium) vel *indirecte*, in quantum nonnullae leges (privilegia) prius causant bonum privatum et mediante hoc bono privato conducunt ad bonum commune.

Dicitur: *ab eo, qui communitatis curam habet;* quibus verbis significatur auctor legis seu legislator, qui non est alius nisi ille, qui habet curam communitatis idque *perfectae*. Ergo e. g. paterfamilias nequit ferre leges proprie dictas.

Dicitur: *promulgata*. Nulla enim ordinatio superioris potest *actu* obligare subditos, nisi sit sufficienter manifestata. Probabilius promulgatio ad integritatem legis quidem pertinet, sed non ad eius essentiam.

63. **Divisiones.** Non vacat afferre omnes divisiones legis; principaliores videntur esse sequentes:

1. Ratione *auctoris* distinguitur lex *divina* et *humana*, prout ab ipso Deo vel ab homine lata est. Lex autem divina subdividitur in *aeternam, naturalem, positivam*, prout est ratio divinae sapientiae aeternae, vel indita creaturis rationalibus, vel positive lata in V. et N. Testamento.

2. Ratione *obiecti* distinguitur lex *affirmativa* et *negativa*, prout praecipit positionem aut omissionem alicuius actus; e. g. «honora parentes» est lex affirmativa; «furtum ne facias» est lex negativa. Notandum est adagium: *Lex affirmativa obligat semper, sed non pro semper*, i. e. non obligat, ut quolibet momento actus praescripti ponantur; *Lex negativa obligat semper et pro semper*, i. e. obligat, ut quolibet momento omittatur actus prohibitus.

[1] Praeceptum, licet aeque gravem obligationem imponere valeat ac lex, tamen multipliciter differt a lege. Etenim a) ad legem ferendam requiritur potestas iurisdictionis, ad praeceptum imponendum sufficit potestas dominativa; b) lex intendit bonum commune, praeceptum autem saepe bonum privatum; c) lex per se est perpetua, praeceptum autem per se temporaneum.

Caput II. De lege divina.

Lex divina est triplex, ut iam dictum est, sc. aeterna, naturalis, positivo-divina. De singulis singulatim agendum est.

Art. 1. De lege aeterna.

64. **Notio.** Communiter adducuntur duae definitiones legis aeternae: altera S. Augustini, altera S. Thomae. Definitio augustiniana: «*Lex aeterna est ratio divina vel (et) voluntas Dei ordinem naturalem conservari iubens, perturbari vetans.*» Definitio thomistica: «*Lex aeterna . . . est ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum et motuum.*» (Vulgo: Weltregierungsplan.)

Lex aeterna comprehendit ordinem cum physicum tum moralem mundi; principalius autem attingit ordinem moralem. Ab hac lege aeterna omnes aliae leges derivantur, et in tantum sunt leges, in quantum saltem non repugnant illi.

Art. 2. De lege naturali.

65. **Notio.** Inter diversas explicationes datas de lege naturali (morali) videtur melior definitio data a S. Thoma dicente: «*Lex naturalis nihil aliud est quam participatio legis aeternae in creatura rationali.*» Quae quidem participatio, quatenus producitur a Deo, est lex naturalis *obiective* considerata; quatenus autem cognoscitur ab homine, est lex naturalis *subiective* accepta. Dicitur haec lex naturalis, quia, a) ubi primum homo nascitur, subditur illi; b) quia non complectitur nisi praecepta, quae ex *ipsa natura hominis* deducuntur; c) quia cognosci potest ex solo lumine

naturali rationis humanae, quin requiratur magisterium divinum aut humanum.

66. Exsistentia legis naturalis negatur non tantum ab omnibus atheistis, sed etiam ab iis, qui non admittunt supremam normam obiectivam moralitatis; immo etiam a compluribus iuristis modernis, qui non admittunt aliam legem proprie dictam nisi positivam. Nihilominus absolute certa est exsistentia legis naturalis 1. ex S. Scriptura, «cum gentes, quae legem (Mosaicam) non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt; eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.» 2. ex Leone XIII (Encycl. *Praestantissimum* d. 20. Iunii 1888): «Talis est princeps omnium lex naturalis, quae scripta est et insculpta in hominum animis singulorum.» 3. ex testimonio intimo cuiusque conscientiae. 4. ex testimonio omnium populorum.

67. **Subiectum** legis naturalis est omnis homo omnium temporum et locorum. Quare etiam infantes et amentes subditi sunt legi naturali, ac proinde non licet eos inducere ad transgrediendam eam, e. g. ad mentiendum, quamvis ipsi non peccent formaliter transgrediendo, quia carent usu rationis.

68. **Obiectum** legis naturalis est *ordo moralis necessario observandus et naturali ratione cognitus;* praecepta autem legis naturalis distinguuntur tripliciter:

a) praecepta prima et universalissima, e. g. bonum est faciendum;

b) praecepta secundaria, quae facile cognoscuntur ab omni homine, e. g. praecepta Decalogi;

c) conclusiones remotae, quae per ratiocinium plus minusve difficulter deducuntur ex praeceptis primariis et secundariis, e. g. abortus directus est semper illicitus.

69. **Proprietates** legis naturalis sunt: a) *universalitas,* quatenus omnes omnino homines obligat; b) *immutabilitas,* quatenus non potest mutari ab intrinseco; c) *indispensabilitas,* quatenus non admittit neque dispensationem proprie dictam neque epikeiam. Legem naturalem esse dispensabilem, Scotus nonnullique alii docuerunt, sed haec sententia est relinquenda, cum lex naturalis fundetur in ipsa essentiali condicione naturae humanae, quae est immutabilis. Facta autem, quae afferuntur de dispensationibus concessis in lege naturali, non sunt dispensationes *proprie dictae.* Sic e. g. quando Deus iussit Abraham occidere filium Isaac, non dispensavit in quinto praecepto Decalogi, sed ipse supremus vitae Dominus, cuius nutu cotidie multa milia hominum moriuntur, disposuit de vita Isaac auferenda. A fortiori nulla potestas creata, neque Summus Pontifex neque princeps civilis, potest dispensare in lege naturali[1].

Item *epikeia* proprie dicta non est possibilis in lege naturali. Etenim epikeia est benigna interpretatio mentis legislatoris, ubi deficit lex. Iamvero lex naturalis utpote lata a providentissimo legislatore numquam deficit.

70. **Ignorantia** legis naturalis a) quoad *primaria praecepta* non est possibilis in homine, qui habet perfectum usum rationis. Ista enim principia sunt omnino evidentia. b) quoad *remotas conclusiones* certo est possibilis in hominibus non solum rudibus, sed etiam doctis, e. g. omne verum matrimonium esse ex iure naturali indissolubile; c) quoad *secundaria praecepta* est possibilis quantum *ad tempus.* Ipse S. Augustinus putat aliquam mulierem Antiochenam potuisse credere adulterium

[1] Quomodo intellegendae sint dispensationes pontificiae in matrimonio rato, quod ex lege naturali insolubile est, videsis in nostro Man. Theol. mor. I, n. 155.

sibi esse faciendum ad liberandum a morte proprium maritum. Experientia etiam constat nonnullos pueros ignorare ad tempus malitiam pollutionis. Ignorantia autem talis non potest perpetuo durare, quia legis naturalis praecepta secundaria (et notanter praecepta Decalogi) sunt tam facilia cognitu, ut in eorum transgressione ratio mox incipiat rebellare vel saltem dubitare. Quod quidem experientia iterum comprobat.

Art. 3. De lege divina positiva.

71. **Necessitas.** Praeter legem divinam naturalem necessaria est lex divina positiva, 1. quia principia legis naturalis (secundaria) obnubilantur pravis passionibus, moribus et exemplis, ut abunde constat ex historia paganorum; 2. quia genus humanum ad beatitudinem non solum naturalem, sed etiam supernaturalem destinatum est. Impossibile autem est pervenire ad beatitudinem supernaturalem nisi observando leges supernaturales, quae a Deo datae sunt.

Praecepta positivo-divina V. Testamenti fuerunt a) moralia, b) iudicialia, c) caerimonialia; Novi autem Testamenti sunt moralia (de virtutibus exercendis), et praesertim ordinantia oblationem sacrificii et susceptionem sacramentorum.

72. **Subiectum** legis divinae in V. Testamento fuerunt Iudaei eorumque proselytae; in N. Testamento sunt omnes homines sive baptizati sive non baptizati.

Dispensatio legis divinae tunc solummodo a Summo Pontifice concedi valet, quando aliqua lex fundatur super aliquo actu humano libero. Sic e. g. matrimonium ratum est dispensabile, quia fundatur super libero consensu coniugum.

Caput III. De lege humana.

Caput istud longum dividitur in novem articulos: 1. de auctore legis humanae; 2. de eius obiecto; 3. de eius subiecto; 4. de eius promulgatione et acceptatione; 5. de eius obligatione; 6. de modo implendi hanc obligationem; 7. de eius interpretatione; 8. de eius cessatione, ubi sermo erit de dispensatione, privilegio, consuetudine; 9. de lege civili eiusque obligatione morali.

Art. 1. De auctore legis humanae.

73. 1. **Summus Pontifex** potestatem legislativam exercere potest in universa Ecclesia et qualibet parte eius ac quidem independenter ab episcopis aut oecumenico concilio.

Nostris temporibus hanc potestatem legislativam Summus Pontifex exercere solet mediantibus S. Congregationibus Romanis, quae hodie exsistunt undecim: 1) S. Officium, 2) Consistorialis, 3) de disciplina Sacramentorum, 4) Concilii, 5) negotiis Religiosorum sodalium praeposita, 6) de Propaganda Fide, 7) Sacrorum Rituum, 8) caerimonialis, 9) pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, 10) de seminariis et de studiorum Universitatibus, 11) pro Ecclesia Orientali.

74. 2. **Concilia oecumenica** habent amplissimam facultatem ferendi leges. Episcopi in concilio oecumenico congregati non sunt meri consiliarii Papae, sed veri legislatores; quapropter etiam quilibet solet subscribere actis concilii: «Definiens subscripsi.» Decreta concilii oecumenici non sunt verae leges, nisi sunt confirmatae a S. Pontifice, qui, cum sit supra omne concilium, potest mutare decreta approbata concilii oecumenici cuiusque. Sic Pius X mutavit decretum «Tametsi» a Concilio Tridentino latum.

75. 3. **Episcopi**[1]) leges ferre possunt pro sua dioecesi et quidem vel per seipsos, vel per

[1] Eandem facultatem legislativam, qua pollent episcopi, pollent Administrator Apostolicus permanenter institutus (c. 315, § 1), Vicarius et Praefectus Apostolicus (c. 294, § 1), Abbates et Praelati nullius, qui saltem tribus paroeciis praesunt (c. 323, § 1; c. 319).

concilia plenaria provincialiave, vel per synodos dioecesanas. Episcopi enim positi sunt a Spiritu Sancto «regere Ecclesiam Dei» (Act. 20, 28). In synodo dioecesana potestas legifera competit soli episcopo, non autem parochis aliisque membris synodi; in concilio provinciali vel plenario potestas legifera residet apud episcopos coadunatos. Super decreta synodi dioecesanae episcopus potest propria auctoritate dispensare; non autem super decreta concilii provincialis aut plenarii nisi in casibus particularibus et iusta de causa (c. 291, § 2).

4. De aliis legislatoribus ecclesiasticis hic non vacat tractare, cum haec materia pertineat potius ad ius ecclesiasticum quam ad Theologiam moralem. Solummodo iuvat notare abbatissas aliasque superiorissas religiosas non posse ferre leges proprie dictas, quoniam carent iurisdictione ecclesiastica; possunt tamen praecepta et statuta emittere.

76. **De potestate legifera civili.** Cum societas civilis sit societas perfecta et in suo ordine independens, habeat potestatem legiferam oportet. Quae quidem potestas solet hodie exerceri a sic dictis «Parlamentis», saltem in illis regnis, quae sunt aut res publicae aut monarchiae constitutivae.

Art. 2. De obiecto legis humanae.

77. **Obiectum** legis humanae necessario habet iuxta S. Thomam tres condiciones: 1. quod *religioni congruat*, i. e. quod nihil contineat contrarium legi divinae; 2. quod *disciplinae conveniat*, i. e. quod sit conforme legi naturali, 3. quod *saluti proficiat*, i. e. quod conducat ad bonum communitatis.

Ad has condiciones facile reducuntur omnes aliae, quae solent enumerari ab aliis auctoribus, e. g. quod obiectum legis debeat esse honestum, iustum, possibile, utile communitati, loco temporique conveniens etc. —

Specialis est difficultas, num obiectum legis humanae possint esse a) actus interni; b) actus heroici.

78. **Actus interni** aut sunt a) *mere interni*, qui sistunt in intellectu et voluntate, ita ut aut nullo modo aut tantum *per accidens* cum actu externo coniungantur, e. g. meditatio, applicatio Missae; aut sunt b) *mixte interni*, qui quidem ab intellectu et voluntate producuntur, sed ad actum externum referuntur sive ex natura sua sive ex certa lege morali, e. g. advertentia in oratione mentali, contritio in confessione, dispositio interna ad digne suscipiendam communionem paschalem. De istis actibus internis duo constant apud omnes, et unum controvertitur:

1. Constat actus *mixte internos* posse praescribi a lege humana tam ecclesiastica quam civili. Ratio est, quia lex humana potest praescribere, ut actus fiant humano modo et sine deceptione proximi. Iamvero nonnulli actus externi praescripti a lege, nisi accederet interna intentio agentis, non fierent humano sed mechanico modo atque deciperent alios. E. g. si testis, qui ex lege tenetur iurare, interius cohiberet intentionem iurandi, ageret mechanico modo et deciperet alios.

2. Constat potestatem *civilem* non posse praecipere actus *mere internos*, quippe qui ad finem societatis civilis sc. ad salutem terrenam directe parum conferant.

Acerrime disputatur, num Ecclesia possit praecipere actus *mere internos*. Negare videtur S. Thomas, expresse negant Suarez, Schmalzgrueber, Billuart, Benedictus XIV; et S. Alphonsus vocat probabiliorem hanc sententiam negantem. Affirmant Sylvius, Elbel, Concina, Noldin, Bouquillon, complures alii moderni. Sententia negativa fulcitur hoc argumento: Ecclesia potest praecipere, quod potest iudicare et punire. Atqui Ecclesia nequit iudicare et punire actus mere

internos, quoniam illos non cognoscit. Ergo ... Sententia affirmativa nititur duobus argumentis: a) Ecclesia ea omnia praecipere valet, quae necessaria sunt ad proprium finem spiritualem obtinendum. Iamvero etiam actus mere interni necessarii sunt ad istum finem. Ergo ... Deinde b) Ecclesia revera praecipit nonnullos actus mere internos, e. g. parochis applicationem Missae pro populo, actum contritionis ad lucrandam indulgentiam. Nefas autem est dicere, Ecclesiam praecipere aliquid, quod eius competentiam excedit.

In praxi hodie sat communiter admittunt theologi, actus mere internos posse praecipi:

1. in foro conscientiae a confessario;

2. quando Ecclesia determinat vel explicat ius divinum, e. g. susceptionem communionis paschalis;

3. quando superiores regulares legitima praecepta dant subditis vi voti oboedientiae ligatis. Quare e. g. superior religiosus potest subdito suo sacerdoti praecipere, ut Missam celebret iuxta intentionem statutam. Ita S. C. de rel. d. 3. Maii 1914.

79. **Actus heroici** ordinarie nequeunt praecipi a lege humana, quia sunt nimis difficiles, immo pro maiore parte populi impossibiles. Lex autem, quae ordinarie praecipit nimis difficilia aut etiam impossibilia, non est lex utilis ac proinde cessat. Nihilominus actus heroici possunt praecipi in duobus casibus: 1. si id stricte exigit bonum commune, e. g. bellare pro patria; 2. si quis libere se obligavit etiam ad actus heroicos, e. g. sorores, quae libere inserviunt etiam cum periculo vitae aegrotis.

Art. 3. De subiecto legis humanae.

Praenotamen. Supra iam dictum est, subiectum legis divinae naturalis et positivae esse omnem hominem. Subiectum legis civilis sunt omnes illi, qui a respectivo legislatore legitime designantur. Remanet igitur sola quaestio, quodnam sit subiectum legis ecclesiasticae.

80. **Principium.** *Legibus mere ecclesiasticis subiciuntur omnes et soli homines baptizati, habitualiter usu rationis gaudentes, idque post septimum aetatis annum.*

Dicitur 1: *omnes* homines baptizati ... quod constat ex Concilio Tridentino sess. 7, can. 8 de bapt. definiente: «S. q. d., baptizatos liberos esse ab omnibus S. Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, A. S.» Idem constat ex Codice iur. can., c. 12. Ergo etiam omnes haeretici et schismatici, dummodo sint valide baptizati, subiacent legibus Ecclesiae catholicae, e. g. impedimentis matrimonialibus iuris ecclesiastici. Aliquando tamen explicite aut tacite ab earum observatione eximuntur. Sic e. g. Pius X in decreto «Ne temere» haereticos expresse exemit ab obligatione contrahendi matrimonium coram parocho quantum ad validitatem sacramenti. Iuxta complures theologos Ecclesia *tacite* eximit haereticos et schismaticos, dummodo extra Ecclesiam catholicam nati et educati sint, ab observatione ieiunii, ab assistentia Missae etc. aliisque praeceptis *ad individualem sanctificationem spectantibus.*

Dicitur 2: *soli* homines baptizati ... quia non-baptizati utpote non-membra Ecclesiae non subiacent legibus mere ecclesiasticis. Ita saltem per se; nam *per accidens,* quando sc. non-baptizati relationem ineunt cum baptizatis, obligantur legibus ecclesiasticis. Ideo e. g. paganus contrahens matrimonium cum muliere catholica debet observare legem ecclesiasticam circa impedimentum disparis cultus.

Dicitur 3: *habitualiter usu rationis gaudentes.* Quare amentes, infantes non subiacent legibus ecclesiasticis, ac proinde licite possunt e. g. manducare carnes feria VI[a]. Pro subiectione aliquarum legum non sufficit simplex usus rationis, sed requiritur aetas provectior, e. g. pro lege ieiunii.

Dicitur 4: *idque post septimum aetatis annum.* Quare si infans iam ante primum septennium gaudet habituali usu rationis, nihilominus non tenetur legibus mere ecclesiasticis, ut infra dicetur.

Propter specialia dubia etiam specialiter tractandum est de subiectione: 1. infantium et impuberum; 2. ipsius legislatoris; 3. peregrinorum et vagorum.

§ 1. De infantibus et impuberibus ut legi subditis.

Notiones. Ante primum septennium completum homo vocatur *infans* seu puer vel parvulus; a septennio usque ad pubertatem legalem adeptam (sc. ad annum aetatis decimum quartum completum pro pueris, ad annum autem duodecimum completum pro puellis) appellatur *impuber;* usque ad annum vigesimum primum completum vocatur *minor* et deinde *maior.*

81. Principium 1. *Infantes non tenentur legibus mere humanis, etiamsi usum rationis reapse iam adepti sunt.*

Ita sententia hodie certa et statuta a Codice iur. can., c. 12: «Legibus mere ecclesiasticis non tenentur . . . qui, licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur.» Ratio est, quia «legislator attendit id, quod communiter habetur et in pluribus accidit» (S. Thomas). Proinde si in aliquo casu iam adest usus rationis in infante ante septennium, nihilominus legislator (ordinarie) non vult ligare suis legibus talem infantem.

Nota. Praecepta confitendi peccatum mortale et suscipiendi s. communionem non sunt praecepta mere ecclesiastica, sed etiam divina. Quapropter infans, qui e. g. est certo sibi conscius peccati mortalis, tenetur confiteri etiam ante primum septennium aetatis.

82. Principium 2. *Impuberes tenentur legibus humanis suo statui convenientibus, dummodo tamen specialis exemptio ne sit illis concessa ex iure scripto aut consuetudinario.*

Ratio est, quia impuberes censentur habere sufficientem usum habitualem rationis. Sunt tamen nonnullae leges, cum ecclesiasticae tum civiles, quibus impuberes non subiacent, e. g. lex ieiunii. Immo generaliter statutum est a Codice iur. can., c. 2230: «Impuberes excusantur a poenis latae sententiae et potius punitionibus educativis, quam censuris aliisve poenis gravioribus vindicativis corrigantur.»

§ 2. De ipso legislatore ut subiecto propriis legibus.

83. Praenotamen. *Distinctio* duplex est praemittenda: 1. Vis legis est altera praeceptiva, altera coactiva, prout inducit ad observantiam legis aut punit transgressorem legis. 2. Legislator aut est persona *singularis,* e. g. Papa, episcopus, aut aliquod *collegium legislativum,* e. g. concilium provinciale, parlamentum.

Principium 1. *Singula membra alicuius collegii legislativi tenentur legibus ab hoc collegio latis, sicut ceteri subditi.*

Sic e. g. membra parlamenti tenentur legibus a parlamento latis, episcopi tenentur legibus in concilio provinciali latis, quamvis hi possint dispensare in casu particulari.

Principium 2. *Legislator, qui tamqam persona singularis leges tulit, tenetur suis legibus non quoad vim coactivam, sed quoad vim praeceptivam tantum, idque modo indirecto.*

S. Thomas de hac re dicit: «Princeps dicitur solutus a lege quantum ad vim coactivam legis; nullus enim proprie cogitur a seipso, lex autem non habet vim coactivam nisi ex principis potestate. . . . Sed quantum ad vim directivam legis princeps subditur legi propria voluntate. . . . Unde quantum ad Dei iudicium (i. e. in foro conscientiae) princeps non est solutus a lege quantum ad vim directivam eius» (S. theol. 1, 2, q. 96, a. 5, ad 3). Si enim princeps ipse non observat leges, facile scandalum oritur et nervus disciplinae rumpitur

§ 3. De peregrinis et vagis, prout subiciuntur legibus localibus.

84. Notiones. *Domicilium* in loco aliquis acquirit a) simulac in illo habitat cum animo perpetuo vel saltem indefinito tempore ibi permanendi; b) per decennalem commorationem in aliquo loco, quamvis defuerit animus ibi perpetuo manendi (c. 92).

Quasi-domicilium in loco aliquis acquirit a) quando in illo habitat cum animo ibi permanendi per

maiorem partem anni, si nihil inde avocet, b) quando revera per maiorem partem anni (i. e. saltem per semestre et unum diem) in aliquo loco commoratus est.

Incola vocatur, qui habitat in suo domicilio.

Advena vocatur, qui in suo quasi-domicilio adest.

Peregrinus ille est, qui versatur extra locum proprii domicilii aut quasi-domicilii.

Vagus seu vagabundus, qui nullibi habet domicilium aut quasi-domicilium.

85. **Principium 1.** *Peregrinus non tenetur legibus stricte territorialibus:* 1. *sui domicilii aut quasi-domicilii;* 2. *loci peregrinationis, nisi in tribus casibus:* a) *si secus scandalum aliudve detrimentum oriretur incolis;* b) *in contractibus ineundis;* c) *in poenis inflictis propter delictum commissum.* (Cf. c. 14 et c. 1566.)

Ratio primi est, quia leges stricte territoriales non obligant nisi incolas aut advenas territorii. Aliud est de legibus *personalibus*.

Ratio secundi est, quia peregrinus non est subditus legislatori istius loci. Excipiuntur autem tres casus recensiti, in quibus non iam lex positiva territorialis, sed potius ipsa lex naturalis obligationem inducit. Etenim ipsa lex naturalis prohibet, ne peregrinus praebeat scandalum aut detrimentum, quod praecipue accideret, si non observaret leges de contractibus ineundis et de poenis subeundis propter delicta commissa.

86. **Principium 2.** *Peregrinus tenetur legibus communibus, quae in loco suae actualis commorationis observantur, quamvis in loco sui domicilii aut quasi-domicilii istae leges legitime sint abolitae aut suspensae* (c. 14, § 1, n. 3).

Ratio est, quia dispensatio concessa pro aliquo determinato territorio non valet extra hoc territorium. Hinc Germanus peregrinus Romae in Parasceve nequit uti dispensationibus concessis pro Germania.

87. **Principium 3.** *Peregrinus potest uti privilegiis et indultis territorii, ubi versatur.*

Ratio est, quia talia privilegia et indulta censentur concessa pro omnibus, non solum incolis sed etiam peregrinantibus (cf. c. 881, § 1; c. 927).

88. **Principium 4.** *Vagi tenentur omnibus legibus loci, ubi hic et nunc versantur* (c. 14, § 2).

Ratio est, quia vagi secus essent melioris condicionis quam omnes alii, quod est incongruum. In nonnullis materiis, et praesertim quoad celebrationem matrimonii, latae sunt speciales leges pro vagis.

Art. 4. De promulgatione et acceptatione legis.

89. **Notio.** Promulgatio legis est eius authentica manifestatio facta a legislatore. Ideoque promulgatio differt tam a legis divulgatione quam a notitia; quippe quae sint aliquid privatum et non authenticum.

Necessitas promulgationis. Quamvis promulgatio verius non pertineat ad ipsam essentiam legis, tamen nulla lex humana obligat subditos, antequam sit authentice promulgata. Quare Codex iur. can. c. 8, § 1 simpliciter statuit: «Leges instituuntur, cum promulgantur.» Non quidem necesse est ut lex unicuique manifestetur aut actu sit nota, sed requiritur et sufficit, ut unusquisque subditus *possit notitiam legis habere.*

Leges Summi Pontificis solent iuxta disciplinam vigentem promulgari in Periodico «Acta Apostolicae Sedis», neque obligare nisi expletis tribus mensibus a die, qui Actorum numero appositus est (c. 9).

Acceptatio legis ex parte populi non est necessaria, ut leges humanae inducant obligationem.

Hinc Alexander VII damnavit propositionem (28): «Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.»

Ratio est, quia potestas legifera legitimi *principis* non pendet a populo.

Nullae leges ecclesiasticae indigent acceptatione ex *parte gubernii civilis*. Ecclesia enim est societas perfecta, autonoma, a gubernio civili prorsus independens. Ideoque sic dictum «Regium Placet» neque pro promulgatione neque pro acceptatione legis ecclesiasticae requiritur. Nonnumquam autem in Concordatis Ecclesia libere concessit gubernio civili aliquod ius interveniendi in rebus ecclesiasticis.

Art. 5. De obligatione legis humanae.

90. Exsistentia obligationis. Legem humanam iustam (sive ecclesiasticam sive civilem) aliquam inducere obligationem in conscientia certum est. Dicit enim S. Paulus: «Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. ... Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam» (Rom 13, 1 sqq.).

91. Qualitas obligationis. Obligatio legis est 1. gravis vel levis; 2. directa vel indirecta, i. e. vi ipsius legis vel vi adiunctorum eius. Quaenam obligatio in singulis legibus sit gravis vel levis, hoc pendet cum ex adiunctis materiae et finis, tum etiam aliqualiter ex intentione legislatoris, quippe qui materiam ex se gravem praecipere possit sub levi. Legislator autem non valet materiam undequaque levem sub gravi praecipere, quia id imponeret onus intolerabile subditis, et talis lex non esset in veram utilitatem communitatis. — In praxi licet perspicere gravitatem obligationis:

a) ex ipsis verbis legis;

b) ex gravitate poenae, quam legislator minatur transgressoribus;

c) ex interpretatione doctorum atque ex praxi subditorum.

92. *Scholion.* **De contemptu formali legis.** Si quis transgreditur quamcumque legem (etiam per se solummodo sub levi obligantem) ex contemptu formali, graviter peccat, quia talis contemptus includit gravem rebellionem contra ipsam legitimam auctoritatem. Contemptus formalis non adest in transgressione legis: a) si quis ex passione, infirmitate, tentatione legem non observat; b) si quis contemnit aut parvi facit rem quidem praeceptam, sed non praecise quia est praecepta; c) si quis contemnit superiorem non ut superiorem, sed ut personam privatam, e. g. propter eius vilitatem aliasve imperfectiones. In praxi satis raro accidit contemptus vere formalis.

93. Extensio obligationis. Lex obligat:

1. *ad sui cognitionem.* Quapropter quilibet subditus pro sua capacitate et munere debet sibi comparare sufficientem cognitionem legum positivarum.

2. *ad adhibenda media ordinaria*, quae ad eius observationem *proxime* sunt necessaria.

Dicitur: ad adhibenda media *ordinaria* et *proxime* necessaria, non autem extraordinaria et remote necessaria. Obligatio adhibendi ista media includit obligationem vitandi *impedimenta proxima* obligationis. Ideoque non licet sine proportionata causa facere aliquid, quod *proximam* impletionem legis impediat: e. g. non licet sine causa proportionata die ieiunii suscipere laborem extraordinarium, qui reddat impossibile ieiunium.

Lex non semper directe, sed aliquando indirecte obligat in conscientia; quod locum habet a) in lege poenali; b) in lege irritante; c) in lege fundata in falsa praesumptione. De singulis singulatim agendum est.

§ 1. De lege poenali.

94. Notio et divisio. *Lex poenalis ea est, quae directe et immediate non obligat sub aliqua culpa morali, sed sub poena tantum.*

Tales leges censentur statuta complurium institutorum religiosorum, quae directe non obligant sub culpa neque mortali neque veniali; item multae ordinationes gubernii civilis (e. g. Polizeiverordnungen).

Distingui solent leges *pure* et *mixte* poenales.

Quid sit lex *pure poenalis*, non eodem modo a diversis auctoribus explicatur. Iuxta D'Annibale aliosque lex pure

poenalis ea est, quae *disiunctive* praeceptum aut poenam imponit, ita ut in arbitrio nostro sit positum aut rem praeceptam peragere aut poenam subire; e. g. modernae leges circa vectigalia statuunt: nemo introducat tabacum in Galliam; quodsi autem facit, debet solvere talem summam. Est igitur in arbitrio hominis positum aut non introducere tabacum aut solvere taxam impositam. — Billuart, Koch aliique rectius docent, legem pure poenalem esse illam, quae quidem vere praecipit aliquid faciendum omittendumve, sed transgressoribus imponit quidem poenam sed non culpam theologicam. Sola *culpa iuridica* statuitur et punitur.

Lex *mixte poenalis* imponit simul obligationem vere et directe moralem et poenam temporalem transgressoribus: e. g. clerici beneficiati debent dicere Officium divinum; quod si neglegunt, non solum peccant, sed etiam amittunt fructus beneficiales. — Praeter leges poenales exsistunt insuper humanae leges *simpliciter praeceptivae*, quae imponunt obligationem moralem, quin ullam poenam temporalem statuant, e. g. lex audiendi Missam diebus dominicis et festivis.

95. **Exsistentia** legum pure poenalium a nonnullis auctoribus negatur, communissime autem admittitur cum a theologis tum a communi aestimatione populi, qui habet nonnullas leges civiles non ut directe obligantes in conscientia. Ratio autem est, quia legislator per solas leges poenales sufficienter obtinet bonum commune, quin sit necessarium directe ligare conscientias subditorum.

Transgressio legis poenalis *indirecte* causat culpam moralem, a) si orta est ex culpabili neglegentia aut inordinata passione aut formali contemptu; b) si transgressor renuit acceptare poenam iuste impositam. — Poenae *ferendae sententiae* non incurruntur ante specialem sententiam iudicis competentis; poenae autem *latae sententiae*, si sunt negativae vel privativae, ordinarie subeundae sunt sine ulla sententia ulteriore declaratoria iudicis; sin vero sunt *positivae*, non sunt subeundae, nisi prius iudex id expresse declaravit.

Nota. Codex iur. can., c. 2218, § 2 statuit: «Non solum quae ab omni imputabilitate excusant, sed etiam quae a gravi, excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur.» Quotiescumque igitur delinquens non commisit grave peccatum, e. g. propter ignorantiam inculpabilem, metum, aestum passionis, non incurrit poenas ecclesiasticas in tale delictum latas. Nihil autem obstat, ne leviter delinquenti imponantur paenitentiae.

§ 2. De lege irritante.

Praenotamen. Non est sermo nisi de lege irritante humana; nam leges irritantes iuris naturalis et divini, e. g. impedimenta dirimentia consanguinitatis lineae rectae, ligaminis, suum effectum irritantem semper producunt, quin ullus homo dispensare valeat.

96. **Notio.** *Lex irritans ea dicitur, quae irritat aut saltem rescindibilem statuit (expresse vel aequivalenter) aliquem actum propter defectum determinatum* (c. 11).

Differt ergo lex irritans a lege prohibente. Lex enim prohibens reddit actus oppositos *illicitos*, lex vero irritans istos actus reddit invalidos aut invalidandos. — Lex irritans potest actum annullare dupliciter: 1. *ipso iure*, et tunc actus est irritus inde ab initio; 2. *post sententiam iudicis*, et tunc actus est validus, donec iudex eum irritaverit.

97. *Effectus legis irritantis in foro externo* minime impediuntur per ignorantiam, bonam fidem, metum agentis (cf. c. 16). Hinc e. g. impedimenta dirimentia reapse exsistentia irritant matrimonium etiam eorum, qui in bona fide illud contraxerunt.

Effectus legis irritantis in foro interno non videntur oriri ante sententiam iudicis, si agitur de lege *civili* mere irritante. Ratio est, quia, quamvis legislator civilis certe habeat potestatem irritandi aliquos subditorum actus etiam in foro interno, attamen recte praesumitur non imponere talem obligationem, quoniam finem legis potest obtinere per solam irritationem civilem in foro externo. Post sententiam autem iudicis leges

civiles irritantes obligant etiam in foro interno. Leges irritantes *ecclesiasticae* etiam ante sententiam iudicis reddunt actum vel irritum vel rescindibilem in foro interno. Quapropter breviter dici potest: Lex ecclesiastica, quae irritat ipso iure aliquem actum, illi omnem valorem et obligationem subtrahit in foro tam externo quam interno. Hinc e. g. sponsalia, quae non sunt inita iuxta formam a lege praescriptam, neque in foro externo neque in foro interno ullam obligationem pariunt (c. 1017, § 1).

§ 3. De lege fundata in falsa praesumptione.

98. **Notio et divisio.** *Praesumptio,* prout nunc de ea loquimur, *est coniecturatio ex rationabilibus signis collecta.* (Rechtsvermutung, présomption.)

Distinguitur praesumptio *communis periculi* et *particularis facti.* Prima adest, quando legislator praesumit in quibusdam circumstantiis adesse commune periculum: e. g. legislator praesumit ex lectione librorum prohibitorum oriri periculum perversionis ideoque prohibet lectionem huiusmodi librorum. Altera praesumptio locum habet, quando legislator vel iudex praesumit ex indiciis aliquod factum particulare, licet id stricte probari nequeat. — De alia divisione praesumptionis, sc. in praesumptionem iuris et hominis, vide nostrum Man. Theol. mor.

99. **Principium 1.** *Lex fundata in praesumptione communis periculi obligat, quamvis periculum praesumptum in casu particulari revera non adsit* (c. 21).

Ratio est, a) quia lex nondum cessat, etsi eius finis in aliquo casu particulari cessat, ut infra latius dicetur; b) quia secus multis perniciosis illusionibus daretur ansa. Hinc lex

ecclesiastica prohibitionis pravorum librorum obligat etiam illum, qui putat sibi non imminere ex lectione periculum perversionis.

Principium 2. a) *Lex fundata in praesumptione facti obligat in foro externo, donec falsitas facti probata sit;* b) *in foro autem interno huiusmodi lex non obligat.*

Ratio primi est, quia praesumptio tam diu in foro externo pro veritate haberi debet, quamdiu eius falsitas non est probata.

Ratio secundi est commune adagium: Praesumptio debet cedere veritati.

Art. 6. De modo adimplendi legem.

Sufficit adducere sequentes propositiones, quae facile intelleguntur.

100. 1. *Plus requiritur ad legis impletionem quam ad non-transgressionem.* Ratio est, quia ad non-transgressionem sufficit nihil agere contra legem, dum pro impletione legis semper requiritur verus actus humanus et moralis.

2. Ad legis impletionem non requiritur, ut opus praeceptum fiat ex habitu virtutis aut ex caritate, seu aliis verbis: *sufficit substantia actus, non autem requiritur modus virtuosus.*

3. Ad legis impletionem non requiritur intentio satisfaciendi praecepto, dummodo adsit intentio saltem implicita perficiendi opus praeceptum, vel brevius: *Ad impletionem legis non requiritur oboedientia formalis, sed sufficit materialis.*

4. *Eodem actu pluribus praeceptis non formaliter sed tantum materialiter diversis satisfieri potest.* Praecepta de eadem materia sunt formaliter diversa, quando lata sunt propter motivum prorsus speciale; secus habentur materialiter diversa.

5. *Eodem tempore pluribus praeceptis de diversis materiis satisfieri potest:* a) *si opera prae-*

cepta sunt compossibilia; b) *si legislator id non prohibuerit.*

101. ***Scholion.*** **De tempore obligationis implendae.** Cum leges soleant determinare non solum ipsum opus praestandum, sed etiam tempus praestationis, hae regulae sunt attendendae:

1. Si tempus determinatum est *ad finiendam obligationem,* extra hoc tempus (i. e. neque ante neque post) lex neque debet neque potest impleri. Hinc e. g. obligatio Missae dominicalis nequit impleri neque sabbato neque feria II.

2. Si tempus determinatum est *ad urgendam obligationem,* elapso hoc tempore nihilominus urget obligatio, quae quantocius est implenda. Hinc e. g. is, qui tempore paschali non sumpsit communionem (sive culpabiliter sive inculpabiliter), debet postea quantocius communionem recipere.

3. Si tempus obligationis legis *iam coepit,* et si tunc aliquis praevidet se postea fore impeditum, tenetur legem implere, antequam impedimentum occurrerit. Hinc e. g. si sacerdos praevidet mane, se post meridiem non posse recitare Officium, debet mane recitare totum Officium. Tempus obligationis enim iam coepit. Econtra sacerdos, quamvis praevideat se crastina die non posse recitare Matutinum et Laudes, hodie non stricte tenetur hanc recitationem anticipare. Tempus enim obligationis nondum coepit, et sacerdos non stricte tenetur uti privilegio anticipationis.

Art. 7. De interpretatione legis.

Interpretatio legis necessaria est ob duplicem causam 1. quia lex aliquando obscura est; 2. quia dubium oritur, num lex se extendat ad casum extraordinarium occurrentem. In primo casu habetur interpretatio simplex, in altero usuvenit epikeia.

§ 1. De simplici interpretatione.

102. Notio et divisio. *Interpretatio est genuina legis explicatio.*

Distinguitur ratione *auctoris:*

Interpretatio *authentica, usualis, doctrinalis,* prout data est vel a competenti auctoritate iuridica (c. 17, § 1), vel a consuetudine legitime in populo introducta, vel ab hominibus doctis et timoratis. Interpretationi usuali similis est interpretatio *iudicialis,* seu iurisprudentia, seu auctoritas rerum similiter iudicatarum, quae in iudiciis obtinet.

Distinguitur ratione *indolis:*

Interpretatio *comprehensiva, extensiva, restrictiva,* prout declarat ea quae revera in lege lata continentur, vel extendit legem latam ultra limites hucusque exsistentes, vel restringit legem arctius, quam hucusque vigebat.

103. Principium. a) *Interpretatio authentica per modum legis data vim legis habet ac proinde obligat sicut ipsa lex;* b) *interpretatio usualis et doctrinalis, quae tacente ipso legislatore (qui facile reclamare posset) in praxim deducitur, admittenda et observanda est.*

Ratio primi est, quia interpretatio authentica provenit a competenti auctoritate, quae valet etiam novam obligationem imponere[1].

Ratio secundi est, quia iuxta commune adagium consuetudo est optima legum interpres (c. 29), et quia homines docti et timorati apprime valent percipere sensum legis.

104. Regulae observandae in interpretatione doctrinali:

1. Imprimis attendendum est ad finem proximum legis et ad mentem legislatoris.

2. Verba legis in sensu proprio sunt explicanda secundum significationem in textu et contextu consideratam (c. 18), nisi sequatur aliquod inconveniens, quod iure merito praesumitur esse contra intentionem legislatoris.

3. Odia restringi et favores convenit ampliari.

4. In obscuris minimum est sequendum.

5. Lex specialis posterior legi generali anteriori derogat; non autem vice versa lex generalis posterior derogat legi speciali anteriori, nisi tamen hoc specialiter et clare statuatur.

§ 2. De epikeia.

105. Notio. *Epikeia* (ἐπιείκεια = aequitas) *est benigna et aequa interpretatio non ipsius legis sed*

[1] De hac re statuit Codex iur. can. c. 17, § 2 et 3: «Interpretatio authentica per modum legis exhibita eandem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur et debet promulgari. Data autem per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res, pro quibus data est.»

mentis legislatoris, qui praesumitur in aliquo casu particulari extraordinario suspendere legem, ex cuius stricta observatione aliquid nocivum vel nimis onerosum sequeretur. Epikeia (quae est actus iustitiae legalis et reducitur ad partem prudentiae, quae vocatur gnome) in hoc differt a simplici interpretatione, a) quod haec recte illustrat legem obscuram, epikeia autem legem manifestam praetermittit ex praesupposita intentione legislatoris; b) quod interpretatio comprehendit omnes casus alicuius legis, epikeia autem nonnisi casum singularem.

106. Regulae pro usu epikeiae.

1. Epikeia locum habere potest, «quoties lex redderetur nociva aut valde onerosa et observatu difficilis» (S. Alphonsus).

2. Epikeia nequit licite adhiberi:

a) si superior, qui dispensationem legis concedere valet, facile adiri potest;

b) si agitur de clara *lege naturali*, et probabilius etiam si agitur de lege irritante (ecclesiastica).

Art. 8. De cessatione legis.

107. Praenotamen. Lex cessare potest vel totaliter vel secundum solam obligationem temporalem. De utroque modo singulatim agendum est. Obligatio temporaliter cessare potest: a) propter impotentiam subditi; b) propter dispensationem superioris; c) propter privilegium oppositum. De his tribus oportet tractare. Lex ipsa totaliter cessat: a) per revocationem; b) per cessationem finis totalis; c) per consuetudinem contrariam. Etiam de his dicendum erit.

§ 1. De cessatione obligationis legis propter impotentiam.

108. Notiones. Impotentia est vel *absoluta* vel *moralis*, prout homo omnino non vel tantum difficillime valet observare legem.

Principium. a) *Impotentia absoluta excusat ab omni lege;* b) *impotentia autem moralis non*

excusat quidem a lege naturali; c) *solet autem excusare ab omni lege positiva* (excepta irritante).

Ratio primi est, quia iuxta commune adagium «Ad impossibile nemo tenetur.»

Ratio secundi est, quia laesio legis naturalis est intrinsecus mala. Iamvero omnibus viribus est vitandum id, quod est intrinsecus malum. Hinc e. g. numquam nec etiam in extrema necessitate licitum est mentiri, directe procurare abortum. Sin autem in casu particulari oritur conflictus inter duas leges naturales, e. g. inter praeceptum non sumendi rem alienam et obligationem tuendi seipsum in extrema necessitate, tunc observanda est lex potior, relicta lege minore.

Ratio tertii est, quia impotentia moralis reddit actum ita difficilem, ut maior pars hominum talem actum (ceteroquin ex ipsa natura non necessarium) numquam aut saltem rarissime sit praestitura. Si igitur legislator, praevidens tantas praevaricationes legis, nihilominus obligaret homines versantes in impotentia morali, lex esset bono communi nociva ac proinde non esset vera lex. Quamobrem commune adagium dicit: «*Nulla lex positiva obligat cum magno incommodo.*» Hoc adagium valet etiam de lege *divina positiva.* Hinc e. g. paenitens excusatur a divina lege integritatis in confessione, si adest grave incommodum externum.

Per accidens (praecipue propter adiunctam legem naturalem) aliquando lex positiva obligat etiam cum gravissimo incommodo, si sc eius violatio cederet a) in odium religionis, b) in magnum detrimentum communitatis, sicut ostendit exemplar Eleazaris non manducantis carnem.

109. Quaeres. *Licetne voluntarie producere impotentiam observandi legem?* Resp. Applicandae sunt regulae de voluntario indirecto. Ordinarie autem licet apponere causas sic dictas *eximentes* a lege, i. e. licet se subtrahere iurisdictioni legis humanae. Sic e. g. licet egredi e territorio ad evitandas leges particulares istius territorii, e. g. licet ire in aliam dioecesim ad confitendum peccatum reservatum.

§ 2. De cessatione obligationis legis per dispensationem.

110. Notio et divisio. *Dispensatio est relaxatio legis vel solius eius obligationis in casibus particularibus facta a competenti auctoritate ex causa speciali et sufficienti* (cf. c. 80).

Distinguitur:

1. dispensatio *valida* et *invalida*, prout effectum intentum revera producit vel non.

2. dispensatio *licita* et *illicita*, prout est vestita omnibus etiam accidentalibus condicionibus a iure requisitis, vel prout illi desunt quaedam accidentalia.

3. dispensatio *subrepticia* et *obrepticia*, prout in petitione dispensationis aliquid *verum manifestandum* celatum aut aliquid *falsum* declaratum fuit. A nonnullis autem auctoribus dispensatio subrepticia et obrepticia promiscue sumuntur.

111. **Auctor dispensationis** est ipse legislator vel eius delegatus vel eius successor vel eius superior (c. 80).

1. *Summus Pontifex* dispensare potest: a) in omnibus legibus ecclesiasticis; b) in lege divina, in qua ius divinum quasi oritur a voluntate humana, ut sunt vota, iuramentum promissorium, matrimonium ratum.

2. *Episcopus* dispensare potest: a) in omnibus legibus et statutis particularibus suae dioecesis, nisi tamen sint in *forma prorsus specifica* approbata a Summo Pontifice. Episcopus potest in casu particulari ex iusta causa dispensare etiam in decretis latis a concilio provinciali (c. 291, § 2); b) etiam in legibus communibus Ecclesiae, dummodo agatur α) de casu urgentis necessitatis, β) de casibus frequenter occurrentibus in materiis non ita gravibus, e. g. in lege abstinentiae, γ) de lege dubia, si agitur de dubio facti et de legibus, in quibus Rom. Pontifex dispensare solet (c. 15), e. g. de dubio defectu corporis pro ordinationibus; c) in nonnullis legibus communibus, quarum dispensatio episcopo ex iure competit, e. g. in quibusdam irregularitatibus, in proclamationibus matrimonialibus (c. 82). — *Auctoritate delegata* solent episcopi habere amplas facultates dispensandi.

3. *Superior religiosus* auctoritate ordinaria dispensare potest: a) in legibus et statutis proprii instituti, nisi tamen id sit circa aliqua statuta specialiter prohibitum; b) in legibus communibus pro subditis suis sicut episcopi; gaudent enim superiores religiosi (institutorum clericalium exemptorum) iurisdictione quasi episcopali in proprios subditos (cf. c. 990 1245).

4. *Parochus* generatim nequit auctoritate ordinaria dispensare in lege ecclesiastica (c. 83), valet autem dispensare in nonnullis casibus singularibus, e. g. de observantia festorum, abstinentiae, ieiunii (c. 1245, § 1).

5. *Confessarii religiosi*, qui habent privilegia Mendicantium, possunt dispensare:

a) in omnibus votis, exceptis α) votis publicis, β) votis in favorem tertii emissis, γ) duobus votis privatis reservatis, sc. castitatis perfectae et ingrediendi in religionem votorum sollemnium, si ista vota emissa fuerant absolute et post completum annum 18 aetatis (c. 1309);

b) in iuramento promissorio;

c) in omnibus irregularitatibus, in quibus episcopi *iure ordinario* dispensare possunt;

d) in voto privato castitatis, quando immediate ante matrimonium unus alterve sponsorum istud votum in confessione declarat, neque tempus suppetit petendi dispensationem a competenti auctoritate.

112. 6. *Confessarii omnes* ex iure communi dispensare possunt in casibus occultis urgentioribus, in quibus Ordinarius adiri nequit et periculum imminet gravis damni vel infamiae:

a) super omnibus irregularitatibus *ex delicto* provenientibus, excepta α) irregularitate orta ex

voluntario homicidio aut ex procuratione abortus; β) irregularitate deducta ad forum iudiciale. — Haec autem dispensatio limitatur ad *exercitium* ordinis iam suscepti, non autem se extendit ad suscipiendos ordines (c. 990);

b) super observatione poenae vindicativae (c. 2290), cum onere tamen intra mensem recurrendi ad competentem superiorem; sin autem iste recursus est moraliter impossibilis, confessarius potest absolute dispensare;

c) super omnibus impedimentis matrimonialibus ex iure ecclesiastico introductis, exceptis duobus, sc. eo quod oritur ex presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, si ista affinitas orta est ex matrimonio consummato (c. 1045).

113. **Subiectum dispensationis** sunt ii, qui saltem aliquo modo subduntur iurisdictioni dispensantis; dispensatio enim est actus iurisdictionis, qui nequit exerceri in non-subditos. Dico autem: *aliquo modo* subditi. Hinc iuxta praesentem disciplinam Ecclesiae aliquando dispensari possunt peregrini, religiosi exempti ab episcopo dioecesano vel a confessario.

114. **Condiciones ad dispensationem** enumerantur tres a Concilio Tridentino (sess. 25, c. 18 de reform.): 1. causa sufficiens; 2. cognitio istius causae; 3. gratuita concessio dispensationis.

1. *Causa sufficiens.* Solent distingui dispensationis causae a) *internae* (difficultas observandi legem) et *externae* (bonum commune); b) *motivae seu canonicae* quae per se solas sufficiunt ad obtinendam dispensationem, et *impulsivae* quae per se solas non sufficiunt, sed alias causas corroborant.

115. Principium: *Dispensatio concessa sine sufficienti causa est* a) *semper illicita, a quocumque demum data est; est autem* b) *invalida, si data est ab auctoritate delegata* (c. 84, § 1).

Ratio primi est, quia dispensatio est vulnus legis, quod non licet infligere sine sufficienti causa.

Ratio secundi est, quia auctoritas delegata excedit limites suae delegationis, si sine sufficienti causa dispensat in lege superioris.

Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite petitur atque licite et valide conceditur (ib. § 2).

2. *Cognitio causae dispensationis* requiritur ad licite dispensandum. Non solum adsit oportet sufficiens causa, sed etiam cognosci debet a dispensante, quippe qui secus irrationabiliter ageret. Modus huius cognitionis habendae solet praescribi pro foro externo, non item pro foro interno.

3. *Gratuitas dispensationis* requiritur ad vitandos simoniacos abusus. Nihilominus licet exigere aliquam remunerationem pro expensis Cancellariae. Sin autem Ordinarii eorumve Officiales occasione concessae dispensationis emolumentum ullum exigunt, debent restituere (c. 2056).

116. **Vitia dispensationis** possunt ad tres species reduci, nempe ad defectum 1. *iurisdictionis* (deest auctoritas competens), 2. *iustitiae* (deest iusta causa), 3. *voluntatis* (deest libertas in dispensante, qui laborat errore vel metu). De duabus prioribus speciebus iam dictum est; restat dicendum de errore vel metu.

1. *Error* seu deceptio oritur in dispensante vel ex eo quod aliquid falsi ipsi narratur (dispensatio obrepticia), vel ex eo quod aliquid veri manifestandum ipsi occultatur (dispensatio subrepticia). — Error dispensantis vitiat dispensationem datam, nisi a) dispensatio concessa sit «Motu proprio», b) error versetur circa mere accidentales circumstantias.

2. *Metus* non invalidat dispensationem, nisi sit gravis et iniuste incussus. Aliqui auctores rectius docent, nullum omnino metum invalidare dispensationem, cum omnis actus positus ex gravi metu, etiam iniuste incusso, sit validus, nisi iure aliud caveatur (c. 103, § 2).

117. **Cessatio dispensationis** (habentis tractum successivum) accidere potest a) ex parte dispensantis, b) ex parte dispensati, c) ex parte causae finalis.

1. *Ex parte dispensantis* dispensatio cessat a) per legitimam revocationem, b) per mortem (sive physicam sive moralem) dispensantis, sed solummodo si data fuerit cum clausula: «ad beneplacitum nostrum» vel alia aequipollenti (c. 86 et 73).

2. *Ex parte dispensati* dispensatio cessat per renuntiationem legitimam. Ad hoc ut renuntiatio sit legitima, requiritur, a) ut inde non laedatur ius communitatis aut tertiae personae; b) ut superior acceptaverit renuntiationem. — Per simplicem *non-usum* dispensatio (quae aliis non est onerosa) non cessat. Sin autem est aliis onerosa, eam destruere potest legitima praescriptio.

3. *Ex parte causae finalis* tunc solummodo cessat dispensatio, si causa vere *finalis et unica* totaliter cessavit. Ceterum difficulter statui potest regula generalis de hac cessatione. Etenim in dispensatione voti, ieiunii, impedimentorum matrimonii etc. non eodem modo cessat dispensatio, si cessavit causa finalis; quare e. g. si Berta dispensata fuerit a voto castitatis ad matrimonium ineundum unice propter prolem susceptam legitimandam, dispensatio cessat, si proles mortua fuerit ante matrimonium.

118. **Interpretatio dispensationis.** 1. Ipsa facultas dispensandi, si est generalis, *late* est interpretanda, quia est res favorabilis. Facultas dispensandi autem in *casu particulari* stricte est interpretanda (c. 85).

2. Ipsa dispensatio ordinarie est *stricte* interpretanda, quia censetur esse vulnus legis (c. 85). Late interpretanda est dispensatio, quae concessa est a) «motu proprio»; b) ad bonum publicum; c) toti communitati et non singulari personae; d) ab ipsa lege et inserta est in Codice iuris can.

§ 3. De cessatione obligationis legis per privilegium.

119. **Notio.** Privilegium sumitur vel *obiective* vel *subiective*, et iterum utroque modo vel late vel stricte.

Privilegium *obiective et late sumptum* est quaelibet lex particularis. In hoc sensu iura episcoporum, parochorum etc. vocantur privilegia.

Privilegium *obiective et stricte sumptum* est *lex privata specialem favorem contra vel praeter ius commune concedens*, vel brevius: *privata lex favorabilis*.

Privilegium *subiective sumptum* nihil aliud est nisi facultas ipsa agendi iuxta privilegium obiective (late vel stricte) consideratum.

120. **Divisio.** Inter multas divisiones privilegiorum solae sequentes indicantur tamquam principaliores:

1. *ex parte subiecti:* privilegium *personale* et *reale*, prout primario coniungitur cum aliqua persona vel cum aliqua re (e. g. loco, officio, confraternitate etc.). Ad instar privilegiorum realium habentur illae facultates, quae solent habitualiter delegari episcopis, superioribus regularibus etc. Proinde istae facultates non cessant morte aut amotione indultarii (c. 66, § 2).

2. *ex parte obiecti:* privilegium *favorabile* et *odiosum*, prout solum favorem vel etiam praeiudicium (aliis) causat. Privilegium odiosum est e. g. exemptio a tributis concessa alicui; nam

ex eo, quod iste est exemptus, alii cives maiora tributa solvere debent.

3. *ex parte motivi:* privilegium *gratiosum* et *remuneratorium,* prout conceditur ex mera liberalitate superioris aut tamquam merces pro meritis.

4. *ex parte modi concessionis:* privilegium concessum *«motu proprio»* vel *«ad instantiam»*, prout conceditur tamquam favor specialissimus et late interpretandus vel ad petitionem prius porrectam.

121. **Acquisitio privilegiorum** fieri potest tripliciter:

1. directa concessione; 2. communicatione; 3. praescriptione seu consuetudine (c. 63).

Directe concedere privilegium non valet nisi ille, qui habet potestatem ferendi leges; privilegium enim est privata lex, ut dictum est.

Communicatione privilegia acquiruntur illa, quae sunt concessa alicui personae morali, quacum alia persona moralis habet sic dictam communicationem privilegiorum vi alicuius indulti pontificii. Inter diversos ordines religiosos exsistebat privilegiorum communicatio, quae tamen in posterum sublata est (c. 613, § 1).

Praescriptione vel *consuetudine* privilegium acquiritur, sicuti isto medio etiam aliqua lex abrogatur. Cf. infra n. 127.

122. **Interpretatio privilegiorum** est res ardua. Eadem fere valent, quae dicta sunt de interpretatione legum. Gèneratim autem privilegia favorabilia sunt late interpretanda, stricte autem privilegia odiosa (cf. c. 68).

Non-usus privilegiorum. Privilegia *pure personalia et favorabilia* possunt libere renuntiari et non adhiberi in praxi; favores enim non sunt obtrudendi. Privilegia vero, quae vergunt in utilitatem totius communitatis vel alicuius status, nequeunt renuntiari aut non adhiberi in casu particulari. Hinc e. g. clericus nequit renuntiare privilegio canonis.

§ 4. De cessatione ipsius legis.

123. Lex ipsa tripliciter cessare potest: 1. per revocationem a legitimo superiore factam; 2. per cessationem finis totalis; 3. per consuetudinem contrariam. De consuetudine in paragrapho sequenti specialiter tractabitur.

Revocatio legis fieri potest vel totaliter vel partialiter. Namque potest adhiberi:

1. *abrogatio,* quae est totalis abolitio;
2. *derogatio,* quae est partialis abolitio legis facta per competentem auctoritatem;
3. *subrogatio,* quae est additio ad legem iam exsistentem;
4. *obrogatio,* quae est abolitio legis per legem contrariam posteriorem.

Iidem possunt totaliter vel partialiter revocare legem, qui potuerunt illam condere. Regula generalis hac in re est:

Lex generalis posterior derogat aut abrogat quidem anteriorem oppositam legem generalem, non autem particularem, nisi id sit clare statutum.

Ratio primi est, quia opposita se excludunt.

Ratio secundi est, quia lex particularis, utpote inde ab initio tamquam aliqua exceptio legis generalis lata, censetur tam diu durare, quamdiu non est clare et certo revocata. (Cf. c. 6, n. 1; c. 22).

124. **Cessatio finis totalis** seu causae motivae adaequatae, ob quam lex lata est, producit cessationem ipsius legis. Sic e. g. quando episcopus praescripsit orationem pro recuperanda Papae sanitate, mortuo Papa, oratio cessat. Sin autem finis legis non cessat nisi in casu particulari aut pro particulari persona, lex nondum totaliter cessat, nisi ex observatione legis oriretur magnum incommodum.

§. 5. De consuetudine.

125. **Notio.** *Consuetudo* (prout hic sumitur) *est ius quoddam seu lex introducta moribus populi cum consensu legislatoris.* In tractatu de paenitentia tractatur de consuetudine materiali, i. e. de habitu acquisito ex iteratis actibus. Hic agitur de consuetudine, in quantum legem aliquam aut condit aut abrogat aut interpretatur. Non est confundenda haec consuetudo cum praescriptione. Videsis differentias in nostro Manuali.

Divisiones: 1. Ex parte *finis* seu effectus distinguitur consuetudo *secundum legem, praeter legem, contra legem,* prout legem exsistentem vel confirmat et explicat, vel extendit, vel abolet.

2. Ex parte *extensionis* distinguitur consuetudo generalissima, generalis, specialis, specialissima, prout viget vel in tota Ecclesia, vel in quadam provincia, vel in aliqua urbe, vel in aliqua communitate privata. Consuetudo specialissima abusive vocatur consuetudo, cum sit potius aliquod indultum vel statutum.

3. Ex parte *modi* distinguitur consuetudo *iudicialis* (usus forensis, iurisprudentia) et *extraiudicialis,* prout in iudicio vel extra iudiciale tribunal viget.

126. **Requisita ad legitimam consuetudinem** sunt: 1. materia apta; 2. subiectum capax; 3. consensus legislatoris.

1. *Materia apta* consuetudinis est mos rationabilis et stabilitus legitima praescriptione.

Quare quae sunt contra legem naturalem vel divinam aut contra rectam rationem, numquam possunt obtinere vim legis per consuetudinem. Pariter consuetudo exsistens, quae in iure expresse reprobatur, iam non est rationabilis (c. 27, § 2). Huiusmodi consuetudines reprobatae sunt in novo Codice viginti una. — Legitima praescriptio, i. e. duratio per 40 integros annos, accedat oportet ad rem aptam.

2. *Subiectum capax* consuetudinis introducendae est sola communitas, cui lex proprie dicta imponi potest.

Quapropter e. g. dioecesis, ordo religiosus etc. consuetudinem introducere valent, non autem privatae familiae. Insuper requiritur, ut consuetudo introducatur a) a maiore parte communitatis; b) actibus iteratis et spontaneis; c) cum animo vel se obligandi vel aliquam obligationem respuendi. Probabilius ad consuetudinem legitimam initio non requiritur *bona fides,* dummodo cetera requisita adsint (cf. S. Alphonsus, Theol. mor. I 107).

3. *Consensus legislatoris* omnino necessarius est, ut vim legis obtineant mores communitatis (cf. c. 25).

Qui quidem consensus est vel *expressus,* si sc. superior competens consuetudinem disertis verbis approbat; vel *legalis* seu *iuridicus,* si sc. datur per ipsam legem, quae permittit consuetudines oriri; vel *tacitus,* si sc. superior tacet, etsi facile reclamare potest contra consuetudinem orientem. Unusquisque ex his tribus consensibus sufficit.

127. **Effectus consuetudinis legitimae** sunt tres iuxta S. Thomam dicentem: «Consuetudo et habet vim legis et legem abolet et est legum interpretatrix.» De consuetudine interpretante legem nihil dicendum superest; valent enim ea, quae supra n. 103 sq. dicta sunt de interpretatione usuali legis.

1. Consuetudo *obligatoria* seu condens novam legem hodie valde rara est; anterioribus autem temporibus haec consuetudo videtur introduxisse obligationem clericorum privatim recitandi Officium divinum et impedimentum matrimoniale disparis cultus.

2. Consuetudo *abrogatoria,* debitis condicionibus vestita, valet abrogare *quamcumque* legem humanam, ut patet ex Decretalibus (c. 11, X. 1, 4). Ideo etiam nonnulla decreta disciplinaria Concilii Tridentini per consuetudinem abrogata sunt.

128. **Cessatio consuetudinis** vim legis habentis eodem modo fieri potest ac cessatio legis;

quapropter recolenda sunt ea, quae supra n. 123 dicta sunt de cessatione legis. Sed animadvertendum est ordinarie, i. e. nisi expresse aliud caveatur: a) legem non revocare consuetudines centenarias aut immemorabiles; b) legem generalem non revocare consuetudines particulares (c. 30).

Art. 9. De lege civili eiusque obligatione.

129. I. **Obligatio legum civilium.** «Christianos teneri ad observantiam civilium legum, etiamsi latae fuerint a principibus infidelibus, dummodo istae christianae religioni et morali evangelicae non opponantur, nullus est dubitandi locus nullumque dubitationi locum relinquit Apostolus, qui, nulla facta inter sublimiores potestates distinctione, inquit: ‚Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non enim est potestas nisi a Deo. . . .' Ex hoc apertissimo testimonio manifestum est, summos in civili gubernio imperantes suis subditis ferre leges posse, quae eos etiam in conscientia obligent. Quod ratio etiam suadet boni publici, arcendi sc. a civilibus societatibus anarchiae monstrum, cane peius et angue; et praeclara commendant exempla primorum christifidelium, qui civilibus gentilium principum legibus obtemperarunt, quousque sine fidei bonorumque morum dispendio id facere potuerunt.» Ita Instructio S. C. de Prop. Fide ad Vicarium Apost. Siami quaerentem, num lex civilis vetans sub poena mortis commercium opii obliget in conscientia (Collect. de Prop. Fid. n. 815). Quare prorsus falsa est sententia asserens omnes leges civiles modernas esse leges pure poenales. Ad discernendam qualitatem obligationis sequentes regulae possunt servire:

130. *Regula 1.* Leges civiles iura statuentes seu *dominium transferentes* ordinarie obligant in conscientia ex vera iustitia commutativa.

Ratio est, quia tales leges sunt iustae determinationes legis naturalis, et sine earum observatione bonum publicum laederetur et pacifica civium cohabitatio esset impossibilis. Hinc e. g. leges civiles, quae concedunt usumfructum in bonis filiorumfamilias, quae filiis partem legitimam hereditatis assignant, obligant in conscientia.

Regula 2. Leges irritantes civiles obligant in conscientia post sententiam iudicis.

Ita sententia longe probabilior. Hinc si iudex declaravit invalidum aliquod testamentum informe, id etiam in foro conscientiae est habendum tamquam invalidum. (Cf. c. 1513.)

Regula 3. In dubio de obligatione morali alicuius legis civilis subditi directe non peccant transgredientes huiusmodi legem.

Regula 4. Nisi adsit manifesta laesio iuris naturalis, divini aut ecclesiastici, subditi semper *possunt* sequi etiam in conscientia ordinationes legum civilium. Patet per se.

131. II. **Leges civiles de tributis solvendis.** Tributum est pecunia, quam cives praestare debent ex lege civili eo praecise fine, ut publicis sumptibus reipublicae satisfiat.

Quamvis vectigal non raro sumatur in eodem sensu ac tributum, tamen melius sumitur pro pecunia, quae est solvenda propter merces in aliquod regnum vel oppidum introductas, vulgo: Zoll, douane, custom.

Hodie innumerae fere species tributorum exsistunt, quae tamen satis convenienter ad duas categorias reduci possunt, sc. ad tributa *directa*, quae post determinata intervalla a persona nominatim designata solvi debent, seu quae immediate *personae* imponuntur sive ratione bonorum sive ratione artis vel negotii. Tributa *indirecta* ea sunt, quae directe imponuntur *rebus*, e. g. ratione mutationis iurium per contractus emptionis-venditionis vel per successionem vel per transvectionem etc. Ad tributa indirecta reducuntur vectigalia.

Obligatio tributorum *iustorum est vera obligatio etiam in foro conscientiae.*

Ita docent omnes theologi catholici, et manifeste eruitur ex S. Scriptura: «Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.» Sic respondit Christus quaerenti: «Licet censum dare Caesari, annon?» «Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal» (Rom. 13, 5—7).

Non autem exsistit vera obligatio in conscientia solvendi tributa, nisi sunt iusta. Ad iustitiam tributorum requiruntur tria: 1. *auctoritas legitima,* sc. impositio ab iis, qui habent legitimam curam communitatis; 2. *iusta causa,* i. e. verum bonum publicum procurandum; 3. *debita proportio* in imponendis tributis iuxta facultatem singulorum civium.

Diversae sententiae de qualitate obligationis tributorum.

132. *Sententia 1.* Omnia tributa iusta obligant *ex iustitia commutativa.*

S. Alphonsus vocat hanc sententiam communissimam et probabiliorem citans 23 auctores. Ratio est, a) quia cives vi contractus impliciti tenentur expensas ferre, quae necessariae sunt pro bono communi; quod quidem fit solvendo iusta tributa; b) quia tributa iusta civilia eodem modo obligant ac iusta tributa ecclesiastica, e. g. decimae. Iamvero communissime docent theologi, iusta tributa ecclesiastica obligare ex iustitia commutativa.

Sententia 2. Omnia tributa iusta obligant ex sola *iustitia legali.*

Ita complures moderni, putantes tributa non magis obligare quam ceteras leges civiles, quae profecto non obligant nisi ex iustitia legali.

Sententia 3. Omnia tributa iusta non obligant aliter quam *leges mere poenales.*

Ita pauci moderni, quorum rationes sunt: a) communis aestimatio populi habet leges tributarias pro mere poenalibus; b) moderni legislatores civiles non curant de obligatione morali in conscientia; c) secus essent peioris condicionis homines timorati, qui solvunt tributa, quam mali, qui conantur totis viribus defraudare tributa.

Sententia 4. Tributa directa obligant in conscientia, tributa vero indirecta sunt leges pure poenales.

Ita post Ballerini magna pars theologorum modernorum, quorum ratio principalis fundatur in communi aestimatione populi.

133. Resolutio practica. 1. Cum in modernis civitatibus haud parva pars tributorum sit certe iniusta, non sunt inquietandi fideles, qui modicas defraudationes tributorum fecerunt; generatim autem monendi sunt, ut solvant tributa iusta.

2. Fraudatores tributorum *indirectorum* ordinarie mitius tractari possunt quam fraudatores tributorum directorum. Ratio est, quia sat communis aestimatio moderna populi tamquam mere poenales habet leges de tributis indirectis, saltem si ex tali defraudatione non instituitur verum commercium lucrativum.

3. Tributorum *exactores ex officio* graviter peccant, immo ad restitutionem tenentur, si fraudatoribus scienter favent. Laedunt enim graviter contractum initum fideliter implendi officium susceptum.

4. Qui data opera et per modum commercii defraudant tributa indirecta, solent peccare graviter, quia a) se exponunt maximis periculis et b) solent adhibere media valde illicita. Etiam videntur teneri ad restitutionem, si per defraudationes continuatas aliis mercatoribus notabile damnum causaverunt.

134. III. **Lex civilis de militia peragenda** per se obligat in conscientia, quia militia est necessaria ad defensionem patriae. Militia non est aliud nisi tributum *personale.* Per accidens talis lex non obligat, si sc.: a) est iniusta, e. g. si clerici exempti coguntur militare armis; b) si milites adiguntur ad militiam in bello manifeste iniusto. Satis communiter docent theologi moderni legem de militia peragenda obligare ex

iustitia legali. In tribus autem casibus haec lex obligat ex iustitia commutativa: 1. si quis libere et ex contractu se militiae adscripsit; 2. si quis ex sua dolosa subtractione causavit, ut alius determinatus civis cogatur militare; 3. si medicos vel alios officiales largitionibus corrupit, ita ut ad militiam inhabilis declaretur.

TRACTATUS IV.
De conscientia.

Sequenti ordine agemus: 1. de notione et divisione conscientiae; 2. de conscientia vera et erronea; 3. de conscientia laxa; 4. de conscientia perplexa et scrupulosa; 5. de conscientia certa et dubia; 6. de variis systematis moralibus; 7. de educatione conscientiae.

Caput I. De notione et divisione conscientiae.

135. **Notio.** Omissis aliis significationibus conscientia hic sumitur, prout est *iudicium seu dictamen intellectus practici ex principiis communibus, dictans de bonitate vel malitia alicuius actus faciendi (vel facti).*

Dicitur 1: *iudicium seu dictamen intellectus practici,* quia conscientia non est potentia neque habitus, sed *actus,* nempe applicatio scientiae ad aliquod particulare factum. Quae quidem applicatio est iudicium seu dictamen intellectus practici. Ergo conscientia non est actus neque intellectus speculativi neque voluntatis.

Dicitur 2: *ex principiis communibus dictans.* Conscientia enim principia communia sive fidei sive rationis naturalis supponit ut vera, illa autem applicat ad casum particularem. Ergo conscientia minime iudicat de veritatibus fidei et rationis, sed determinat, num actus faciendus (vel factus) sit conformis iustis legibus exsistentibus.

Dicitur 3: *de bonitate vel malitia alicuius actus faciendi (vel facti).* Etenim conscientia est regula subiectiva morum, ut supra n. 43 dictum est; ac proinde actus est subiective

bonus vel malus iuxta iudicium conscientiae. Proprium et primarium officium conscientiae est iudicare de actu *faciendo;* ex consequenti autem conscientia iudicat quoque de actu iam facto.

136. **Scholion. De differentia inter conscientiam, synderesim, scientiam moralem, prudentiam, legem naturalem.**

1. *Synderesis* est habitus primorum principiorum moralium, cuius actus est dictare *in genere:* bonum esse faciendum, malum esse omittendum; conscientia autem *in casu particulari* dictat, quid sit faciendum omittendumve. Synderesis numquam errat, conscientia potest errare.

2. *Scientia moralis* deducit ex principiis conclusiones *obiectivas;* conscientia autem est aliquid prorsus *subiectivum,* quod potest concordare vel discordare cum scientia morali.

3. *Prudentia* est virtus ac proinde habitus; conscientia est actus, ut dictum est. Prudentiae autem actus aliquando coincidit cum conscientia.

4. *Lex naturalis* includit principia *obiectiva* moralitatis, conscientia autem haec principia applicat ad iudicandum de actu faciendo vel omittendo.

137. **Divisiones.** 1. *Ratione actus* distinguitur conscientia *antecedens,* quae indicat de actu faciendo; et *consequens,* quae iudicat de actu facto. Conscientia antecedens actum faciendum vel a) praecipit, vel b) prohibet, vel c) consulit, vel d) permittit. Conscientia consequens actum factum vel approbat causans spiritualem laetitiam, vel reprobat causans sic dictos remorsus conscientiae.

2. *Ratione conformitatis cum lege aeterna* distinguitur conscientia *vera* seu recta, quae ex principiis veris recte deducit aliquem actum esse licitum; et *falsa* seu erronea, quae ex principiis falsis, *reputatis tamen veris,* dictat aliquid esse licitum, quod reapse est illicitum.

Conscientia erronea subdividitur in: a) *scrupulosam,* quae ex futilibus et prorsus spernendis rationibus iudicat aut potius timet, ne mala sit actio, quae revera non est talis; b) *perplexam,* quae ex utraque parte peccatum apprehendit, sive omittatur sive committatur actio; c) *laxam,* quae ex leviore ratione iudicat, aut omnino non adesse peccatum aut non adesse tam magnum peccatum, sicuti revera est. Quae quidem conscientia laxa supremum gradum attingit in conscientia *cauterizata,* quae ex diuturno habitu peccandi omnia vel saltem quaedam peccata parvi pendet; d) *pharisaicam,* quae magna peccata parvi facit, econtra quasdam res minoris momenti magni facit; sicut fecerunt pharisaei.

3. *Ratione assensus* distinguitur: conscientia *certa,* quae sine prudenti formidine errandi firmiter iudicat aliquem actum esse licitum vel illicitum; *probabilis,* quae iudicat aliquem actum esse probabiliter licitum vel illicitum; *dubia,* quae anceps haeret de liceitate vel illiceitate actus.

Conscientia dubia in hoc sensu accepta revera est contradictio in terminis. Etenim conscientia est essentialiter dictamen vel iudicium, dubium autem est suspensio seu negatio iudicii. Multo igitur melius esset, si iam nemo loqueretur de conscientia dubia, sed solummodo de dubio morali solvendo. Nonnulli autem moderni promiscue sumunt conscientiam dubiam et probabilem.

Caput II. De conscientia vera et erronea.

138. Principium 1: *Homo tenetur adhibere seriam sollicitudinem ad semper habendam conscientiam rectam.*

Ratio est obvia; etenim conscientia est moralitatis norma proxima, quae dirigere debet totam nostram vitam moralem. Maxime autem interest habere normam rectam et non falsam vitae nostrae moralis. — Media ad obtinendam conscientiam rectam sunt: a) diligens cognitio legum, quae vitam moralem regunt; b) consilii exquisitio apud peritos facta; c) oratio ad patrem luminis; d) remotio impedimentorum, quae sunt praecipue tenebrae peccatorum nondum remissorum.

139. Principium 2: *Homo tenetur sequi conscientiam praecipientem aut prohibentem, non solum quando est recta, sed etiam quando est invincibiliter erronea.*

Consulto dicitur: *praecipientem* aut *prohibentem;* nam, si conscientia aliquem actum permittit aut tantum consulit, tunc non adest stricta obligatio sequendi eam. Quod sequenda sit conscientia *recta,* per se patet; quod autem etiam conscientia invincibiliter erronea sequenda sit, apparet ex eo, quod ille, qui agit contra conscientiam, agit contra normam subiectivam moralitatis ac proinde peccat. Hinc e. g. qui invincibiliter errando putat se debere mentiri pro amico salvando, tenetur mentiri et mentiendo non committit peccatum formale; qui certo putat hodie esse ieiunium praeceptum, quod tamen revera non est, et non obstante tali convictione non ieiunat, committit peccatum formale.

140. Principium 3: *Non licet sequi conscientiam vincibiliter erroneam, sive praecipiat sive permittat; nec tamen etiam licet agere contra talem conscientiam; sed error deponendus est ante actionem.*

Ratio est, quia, ut infra probabitur, sola conscientia certa est licita regula morum. Iamvero conscientia vincibiliter erronea non est conscientia certa, et qui cum tali conscientia ageret, se exponeret periculo peccandi. — Qui laborat conscientia vincibiliter erronea, debet eam deponere quaerendo veritatem per media opportuna; quodsi nequit deponere eam, supersedeat ab actione; quodsi nec etiam supersedere potest ab actione, eligat id quod securius est.

Caput III. De conscientia laxa.

141. Causae conscientiae laxae sunt complures: 1. *prava educatio et conversatio.* Patet eheu nimis ex cotidiana experientia; 2. *passiones vehementes inordinatae,* quae solent obnubilare intellectum eiusque rectum iudicium impedire; 3. *vita diu in vitiis immersa,* quae solet producere obnubilationem immo et caecitatem spiritualem.

142. Remedia conscientiae laxae sunt: 1. *oratio* devota et assidua ad Deum, patrem luminis; 2. *confessio sacramentalis,* in qua confertur gratia et instructio recta; 3. *amotio causarum.*

Caput IV. De conscientia perplexa et scrupulosa.

143. 1. **Conscientia perplexa** ea est, quae ex utraque parte timet peccatum, sive faciat sive omittat actum. E. g. aliquis meticulosus, cui incumbit cura infirmi, putat ex una parte se peccatum committere, si die festo non assistat Missae, ex altera vero parte timet, ne peccet contra caritatem, si infirmum domi relinquit solum.

Regula observanda. Si ille, qui laborat conscientia perplexa, actionem suspendere et interim consilium capessere potest, profecto ad hoc tenetur; sin autem hoc moraliter est impossibile, tunc eligat id quod sibi minus malum videtur; sin autem nec valet discernere, quid sit minus malum, libere potest eligere alterutram partem; nam nemo tenetur ad impossibile et nemo necessario peccat.

Si perplexitas orta est ex culpa praecedente, e. g. si confessarius ex culpabili defectu scientiae nescit, utrum debeat absolvere paenitentem necne, tunc valent ea, quae supra n. 17 dicta sunt de ignorantia vincibili et culpabili.

144. 2. **Conscientia scrupulosa** est potius timor inanis quam iudicium sanae mentis. Talis conscientia est vera tortura aeque fere pro paenitente ac pro confessario. Minime autem confundenda est cum *conscientia tenera*, quae refugit omnia etiam parva peccata. Quare oportet animadvertere ad signa conscientiae scrupulosae.

Signa: a) nimia anxietas circa praeteritas confessiones;

b) prolixae accusationes circumstantiarum, quae ad rem non pertinent;

c) pertinacia iudicii, quae confessarii decisionibus acquiescere recusat.

Causae conscientiae scrupulosae interdum (licet satis raro) sunt *supernaturales*, sc. Deus, diabolus; multo saepius sunt *naturales*, et quidem vel *morales*, e. g. nimia fuga humanae conversationis, conversatio cum hominibus meticulosis, occulta superbia etc.; vel *physicae*, nempe dispositio pathologica cerebri, cordis, nervorum, intestinorum.

Remedia scrupulorum sunt: a) *remotio causarum*, ideoque non raro oportet invocare auxilium periti medici;

b) *perfecta oboedientia* sapienti directori praestanda;

c) *labor corporalis aut spiritualis distrahens mentem a scrupulosis cogitationibus ac honesta recreatio*;

d) *fervens et assidua oratio* ad Deum, patrem luminis et auctorem pacis.

Caput V. De conscientia certa et dubia.

Agemus: 1. de conscientia certa; 2. de conscientia dubia, vel potius de modo agendi in dubio morali.

Art. 1. De conscientia certa.

145. **Notiones.** Ut iam dictum est, conscientia certa absque prudenti formidine errandi iudicat aliquem actum esse licitum vel illicitum.

Certitudo moralis (de qua sola hic sermo est) dividitur sub triplici respectu, sc. est: a) *stricta* seu *perfecta*, quae prorsus excludit omne rationabile dubium; vel *lata* seu *imperfecta*, quae nititur quidem gravi motivo, sed contra quam quaedam leviores rationes militant;

b) *speculativa*, quae respicit rei veritatem obiective spectatam sine relatione directa ad casum practicum; vel *practica*, quae respicit actum hic et nunc ponendum;

c) *directa*, quae oritur ex principiis internis claris manifeste demonstrantibus moralitatem alicuius actus; vel *indirecta*, quae obtinetur ex principiis quae dicuntur reflexa, ad quae infra sermo redibit.

146. **Principium.** a) *Sola conscientia certa (sive directe sive indirecte) est recta regula*

morum; b) ad licite autem agendum ordinarie sufficit certitudo late dicta.

Ratio primi est, quia ille, qui absque morali certitudine de liceitate sui actus agit, peccat se exponendo indebite periculo proximo formaliter offendendi Deum.

Ratio secundi est, quia aliquando non potest obtineri nisi certitudo *lata* in nostris actionibus. Ad impossibile autem nemo tenetur. Idem constat ex propositione (3) damnata ab Alexandro VIII: «Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.»

Etenim etiam probabilissima opinio non est absolute certa, sed gaudet sola certitudine late dicta Sin igitur licet sequi opinionem probabilissimam, non semper requiritur certitudo absoluta, sed sufficit certitudo late dicta.

Art. 2. De conscientia dubia, i. e. de dubio morali.

147. **Notiones.** Dubium stricte dictum est suspensio assensus et iudicii circa aliquam propositionem; ideoque opponitur non solum certitudini, sed etiam suspicioni et opinioni, in quibus habetur verus assensus, licet imperfectus et cum formidine errandi. In dubio mens est quasi staterae lingula, quae in aequilibrio posita neque in unam neque in alteram partem declinat. — Veteres auctores distinguebant cum S. Thoma relate ad assensum tres gradus: 1. dubium, in quo deest assensus; 2. opinio et suspicio, in quibus adest assensus imperfectus; 3. scientia et fides, in quibus adest firmus assensus sine errandi formidine. — Moderni auctores non solent distinguere nisi duos gradus, sc. assensum certum sine errandi formidine seu certitudinem, et assensum incertum cum fortitudine errandi seu dubium.

Divisiones dubii. 1. Dubium *iuris* et *facti,* prout non certo constat de exsistentia vel alicuius iuris (seu legis) vel alicuius facti particularis.

2. Dubium *positivum* et *negativum,* prout errandi formido nititur gravibus vel insufficientibus motivis.

3. Dubium *speculativum* et *negativum.* Primum spectat obiectivam moralitatem alicuius actus humani sine directa tamen relatione ad eum hic et nunc ponendum. Tale dubium speculativum exsistit circa omnes quaestiones controversas, in quibus moralistae in utramque partem disputant, e. g. num testamentum informe valeat in conscientia. Alterum dubium, nempe practicum, versatur circa moralitatem actus hic et nunc ponendi, e. g. num liceat istum librum periculosum legere.

148. **Principium.** *Numquam licet agere cum positivo dubio practico.*

Ratio sequitur ex dictis. Etenim si requiritur ad licite agendum certitudo late dicta, non licet agere cum positivo dubio practico, quia secus homo se exponeret proximo periculo formaliter peccandi. Si igitur oritur positivum dubium practicum de liceitate alicuius actionis, oportet aut supersedere ab actione aut deponere dubium practicum. Duplex autem exstat via deponendi tale dubium: altera directa, altera indirecta. *Directe* deponitur dubium, si per seriam investigationem veritatis tandem certitudo obtinetur. Quodsi haec directa depositio impossibilis est, *indirecte* deponitur dubium per sic dicta principia reflexa.

149. **Principia reflexa** seu indirecta sunt quaedam normae generales, quae quidem directe et per se rem, de cuius veritate investigatur, non probant, sed tamen quasi reflectunt proprium lumen super obscurum dubium practicum illiusque tenebras pro momento actionis disiciunt. Principaliora principia reflexa sunt:

1. Lex dubia non obligat.
2. In dubio standum est, pro quo stat praesumptio.
3. In dubio melior est condicio possidentis.

1. *Lex dubia non obligat,* quoties agitur de sola liceitate et non de valore actus. Quidquid est de veritate huius principii, quod a nonnullis theologis acerrime impugnatur, tamen, consentientibus omnibus modernis theologis, nequit applicari in sequentibus casibus:

a) si agitur de valore sacramentorum;

b) si agitur de absolute necessariis ad salutem, e. g. in periculo vitae aeternae pars tutior est eligenda;

c) si agitur de certo iure tertii. Hinc e. g. iudex nequit iudicium ferre secundum opinionem probabilem, relicta opinione certo probabiliore.

2. *In dubio standum est, pro quo stat praesumptio.* Quod quidem principium videtur esse optimum et iam fuit admissum in Decretalibus Gregorii IX. Super hoc principio fundantur omnia alia principia reflexa, illudque videtur recte applicatum plene sufficere ad solvenda omnia dubia practica.

3. *In dubio melior est condicio possidentis.* Hoc principium est fundamentum aequiprobabilismi et vocatur breviter principium possessionis. Quantum ad materiam *iustitiae commutativae*, est verissimum et iam habetur in Decretalibus Gregorii IX, merito autem extenditur etiam ad alias materias; attamen eius applicatio in praxi non caret difficultatibus, et non semper recte fit.

Caput VI. De variis systematis moralibus.

150. **Notio.** Nomine systematis moralis intellegitur *methodus obtinendi in dubio practico certitudinem moralem.* Enumerantur septem systemata moralia:

1. **Rigorismus** seu Tutiorismus rigidus docet semper esse eligendam partem tutiorem, licet opinio favens libertati sit probabilissima. Ita Ioan. Sinnichius, doctor Lovaniensis († 1666), et Iansenistae. Hoc systema est damnatum ab Alexandro VIII, qui d. 7. Dec. 1690 damnavit propositionem: «Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.»

151. 2. **Tutiorismus** mitigatus docet licitum esse sequi opinionem minus tutam, faventem libertati, dummodo sit probabilissima. Ita nonnulli doctores Lovanienses (Steyart, Opstraet) et quidam alii, e. g. Henricus a S. Ignatio, Gerdil. Hoc systema, licet non sit condemnatum ab Ecclesia, tamen hodie merito reicitur ab omnibus ut nimis durum et impossibile in praxi.

152. 3. **Probabiliorismus** docet licitum esse sequi opinionem faventem libertati, dummodo sit manifeste probabilior quam opinio favens legi. Hoc systema communissime admissum fuit ante Medinam, hodie autem paucas asseclas habet propter magnas difficultates, quas patitur in praxi.

153. 4. **Aequiprobabilismus** hac propositione continetur: «In concursu oppositarum opinionum aeque vel fere aeque probabilium licet sequi opinionum faventem libertati, quandocumque dubium est de legis *exsistentia;* in dubio vero facti de legis *cessatione* pergit lex obligare.» (Ita Aertnys C. SS. R.) Concordat igitur hoc systema aliqualiter cum Probabiliorismo, in quantum docet hominem posse sequi opinionem certo probabiliorem faventem libertati, *debere* autem sequi opinionem legi faventem, si haec est certo probabilior. Principalis defensor huius systematis est S. Alphonsus, quem praeiverunt Eusebius Amort, Rassler aliique; quem sequuntur omnes Redemptoristae et complures alii.

154. 5. **Probabilismus purus** docet: quando agitur non de valore sed de liceitate actus, semper esse licitum sequi opinionem certo probabilem libertati faventem, quamvis opinio favens legi sit multo probabilior.

Distinguitur alicuius sententiae probabilitas diverso modo, nempe 1) *interna,* quae fundatur super rationes ex natura rei desumptas ad probandam eius veritatem; *externa,* quae fundatur super auctoritates doctorum. Iam censetur aliqua opinio externe probabilis, si illam tenent quinque vel sex graves auctores, vel saltem unus prorsus eximius doctor, ut S. Thomas, S. Alphonsus.

2) *solide, dubie, tenuiter* probabilis, prout sententia nititur solidis et firmis aut dubiis aut tenuibus argumentis.

3) *absolute* et *comparative* probabilis, prout eius argumenta seorsum et in se spectata, i. e. independenter ab opinione opposita, apparent gravia, vel prout eius argumenta etiam comparata cum argumentis oppositae sententiae retinent suam gravitatem. Systemati Probabilismi primus omnium favit Bartholomaeus Medina O. P., quem secuti sunt innumeri fere theologi usque ad nostros dies.

155. 6. **Probabilismus laxus** seu simpliciter Laxismus docet, licitum esse sequi opinionem non solum certo probabilem, sicut vult Probabilismus, sed etiam probabiliter aut tenuiter probabilem. Ita Thomas Tamburinus, Caramuel, Bauny, Moya aliique. Hoc systema hodie obsoletum est et videtur esse damnatum ab Innocentio XI proscribente propositionem (3): «Generatim, dum probabilitate intrinseca seu extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.»

156. 7. **Systema compensationis** seu **rationis sufficientis** docet licitum quidem esse sequi opinionem certo probabilem

libertati faventem, relicta opinione probabiliore legi favente, sed cum tunc adsit periculum peccati, requiri compensationem seu causam sufficientem ad sic agendum. Qua deficiente oportet sequi opinionem probabiliorem. Ita Potton, Manier, Laloux aliique recentiores.

Conclusio practica. Si praescindas a Rigorismo et Laxismo, unumquodque systema ex declaratis toleratur ab Ecclesia, ideoque confessarius nullum ius habet obtrudendi suum systema paenitenti, vel stricte exigendi aliquid a paenitente, ad quod non tenetur iuxta aliud systema. Quare confessarius potest quidem prudenter consulere opiniones tutiores et probabiliores, sed nequit eas stricte imponere. In praxi eligat eas opiniones, quae, consideratis omnibus circumstantiis, praevidentur meliorem fructum producere pro spirituali salute paenitentis.

Caput VII. De educatione conscientiae.

157. Maxime interest, ut conscientia hominis sit recta, non autem falsa. Ex recta enim conscientia uberrimi fructus, ex falsa vero conscientia lugenda damna oriuntur. Ad obtinendam conscientiam rectam multum inservit eius educatio, quae fit mediis cum naturalibus tum supernaturalibus.

Media *naturalia* sunt: a) bona educatio inde ab infantia praestanda; b) perfecta sinceritas hominis cum seipso, quae obtinetur fideli, continua, candida perscrutatione propriae conscientiae.

Media *supernaturalia* sunt: a) fervens oratio ad Deum, patrem luminis; b) pugna strenua contra inordinatas passiones cum adiutorio divinae gratiae; c) sacramentalis confessio et oboedientia praestita directori spirituali.

TRACTATUS V.

De peccatis in genere.

Agemus: 1. de natura peccati; 2. de divisione peccatorum; 3. de peccatorum distinctione specifica; 4. de peccatorum distinctione numerica; 5. de peccatorum causis; 6. de peccatorum effectibus; 7. de peccatis internis; 8. de peccatis sic dictis capitalibus.

Caput I. De natura peccati.

Diversa nomina peccato imponi solent in S. Scriptura, e. g. inoboedientia, contemptus Dei, iniquitas, impietas, praevaricatio, insipientia, offensa Dei. Haec ultima denominatio apprime explicat malitiam peccati.

158. **Definitio realis.** *Peccatum est praevaricatio legis divinae* (S. Ambrosius), vel: *Peccatum est dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei aeternam* (S. Augustinus).

Cum omne peccatum sit actus humanus et moralis, requiritur advertentia ex parte intellectus et consensus ex parte voluntatis. Si alterutrum deest, desit peccatum (formale) oportet. Omne peccatum est vera offensa Dei, neque invenitur peccatum mere *philosophicum*, quod quidem esset contra rectam rationem, non autem culpam theologicam induceret.

Caput. II. De divisione peccatorum.

159. Peccatum *originale* et *personale*, prout est originalis iustitiae privatio nobis transmissa per nativitatem, vel prout est a nostra voluntate personali commissum. Peccatum personale subdividitur in:

peccatum *actuale* et *habituale*, prout est actus (omissio) transiens vel habitus (macula) remanens. Peccatum actuale subdividitur in:

1. peccatum *commissionis* et *omissionis*, prout est actus contra praeceptum negativum (e. g. fur-

tum) vel omissio contra praeceptum affirmativum (e. g. omissio Missae).

2. peccatum *cordis, oris, operis,* prout committitur vel sola mente vel verbis vel externo opere.

3. peccatum *ignorantiae, infirmitatis, malitiae,* prout causatur aut ex ignorantia aut ex passione minuente voluntarium aut ex sola mala voluntate.

4. peccatum *in Spiritum Sanctum, in caelum clamans, capitale.* Haec divisio est disparata. *Peccatum in Spiritum Sanctum* est peccatum commissum ex formali contemptu alicuius gratiae nos retrahentis a peccando. Solent enumerari sex peccata in Spiritum Sanctum: praesumptio, desperatio, impugnatio agnitae veritatis christianae, invidentia fraternae gratiae, obstinatio, impaenitentia. — *Peccata in caelum clamantia,* quorum malitia praesertim propter enormem laesionem ordinis socialis quasi in caelum clamat, sunt quattuor: homicidium, sodomia, oppressio orphanorum et viduarum, retentio mercedis operariis debitae. — *Peccata capitalia,* ex quibus tamquam ex radicibus alia peccata pullulant, sunt septem: inanis gloria, invidia, avaritia, ira, luxuria, gula, acedia.

5. Peccatum *formale* et *materiale,* prout est transgressio legis voluntaria et libera, vel prorsus involuntaria.

6. Peccatum *mortale* et *veniale,* prout destruendo gratiam sanctificantem causat mortem animae vel solummodo minuit fervorem caritatis. Haec divisio est maximi momenti, ideoque plenius explicandum est, quid sit peccatum mortale et veniale.

160. Essentia peccati mortalis importat: 1. aversionem a Deo; 2. conversionem graviter inordinatam ad creaturas; 3. laesionem gravem naturae rationalis et ordinis socialis.

Condiciones requisitae ad peccatum mortale sunt tres:

1. *materia gravis,* quae pensanda est ex obiecto et circumstantiis, et quae a nobis cognoscitur imprimis per magisterium Ecclesiae aut theologorum. In nonnullis peccatis quaelibet materia censetur gravis, ideoque ista peccata vocantur gravia *ex toto genere suo* (e. g. luxuria, blasphemia etc.); in aliis autem peccatis potest exsistere levis materia (e. g. furtum, ieiunium), ac proinde etiam levis culpa. Vocantur ista peccata gravia *ex genere suo.*

2. *advertentia plena* ad moralitatem actus. Quare deficiente hac advertentia peccata semper sunt levia (vel nulla) ex imperfectione actus, uti solet dici.

3. *plenus consensus,* qui semper censetur adesse, si exsistit plena advertentia sine violentia externa. Ergo metus et passio consensum quidem minuunt, sed non tollunt, neque tollunt peccatum mortale, dummodo advertentia plena adfuerit.

In praxi saepe grave dubium occurrit, utrum tria requisita ad peccatum mortale revera adfuerint in casu particulari, necne. Tunc confessarius, investigatione inefficaciter facta, relinquat id iudicio Dei; praecaveat autem futura pericula peccandi. Paenitens, qui dubitat de uno ex tribus requisitis, rem candide exponat confessario eiusque iudicio sese submittat.

Signa imperfectae advertentiae et consensus:

1. si quis semidormiens vel semiebrius actum commisit;

2. si quis sui fere impos fuit, e. g. ex vehementissima passione subitanea;

3. si quis laborat statibus vel affectibus pathologicis, e. g. hysteria, mania, phobia;

4. si quis vere et firmiter asserit, se numquam id facturum fuisse, si antea serio cogitasset;

5. si quis percipiens tentationes statim agitur et tristatur propter suam timoratam conscientiam.

161. Essentia peccati venialis consistit in quadam deordinatione, non autem in totali aversione ab ultimo fine; est igitur quasi morbus, non autem mors animae.

Distinguuntur peccata venialia triplicis generis: 1. *ex genere suo,* nempe ea peccata, quorum obiectum morale non constituit nisi levem deordinationem, e. g. mendacium iocosum; 2. *ex parvitate materiae,* nempe ea peccata, quae quidem ex se sunt gravia, tamen ob levem eorum materiam sunt leves deordinationes, e. g. furtum oboli; 3. *ex imperfectione actus,* quando deest plena advertentia aut plenus consensus, e. g. cogitationes obscenae semideliberatae.

Quamvis ex sola multiplicatione peccata venialia numquam possint fieri mortalia, tamen nihilominus aliquando ex peccato veniali fit mortale, e. g. ex conscientia erronea, ex fine graviter malo operantis, ex multiplicata materia coalescente (e. g. in furto).

Ad discernenda peccata venialia a mortalibus consulenda est auctoritas a) S. Scripturae, b) Ecclesiae, c) Doctorum.

Caput III. De distinctione specifica peccatorum.

162. Cum Concilium Trid. sess. 14, c. 7 doceat, in confessione esse manifestanda peccata mortalia iuxta speciem et numerum, confessarius debet cognoscere regulas distinctionis cum specificae tum numericae peccatorum.

S. Thomas desumit distinctionem specificam peccatorum ex *obiectis formaliter diversis.*

Scotus ex oppositione ad diversas virtutes.

Vazquez ex oppositione ad diversa praecepta.

Specie non re istae tres regulae differunt, quae solent exprimi his versiculis:

Obiectum, virtus, diversa praecepta modusque
Dant speciem peccatis diversumque reatum.

In praxi cognoscuntur peccata tamquam specifice distincta, si:

1. opponuntur *diversis virtutibus.* Aliud est peccatum e. g. contra virtutem iustitiae et aliud contra virtutem temperantiae;

2. opponuntur eidem virtuti sed *diverso modo,* e. g. per excessum, per defectum etc. Quare furtum specifice distinguitur a calumnia, quamvis utrumque peccatum opponatur eidem virtuti, nempe iustitiae;

3. opponuntur praeceptis non materialiter sed *formaliter diversis.* Censentur autem praecepta formaliter diversa, si lata sunt ex motivo intrinseco diverso. Sic e. g. furtum, quod prohibetur praecepto cum naturali tum divino tum civili, nihilominus non est nisi unum peccatum, quia haec tria praecepta prohibent furtum ob idem motivum internum; econtra sacerdos, qui laedit castitatem, committit duplex peccatum specifice distinctum, quia transgreditur duo praecepta formaliter diversa, quippe quae habeant diversa motiva interna, nempe motivum temperantiae et religionis.

Caput IV. De distinctione numerica peccatorum.

163. In hac re attendere oportet ad prudentem hominum aestimationem, cum saepe sit moraliter impossibile invenire accuratum numerum peccatorum. Tamquam regulae generales haberi possunt:

1. *Quoties adest specifica distinctio, toties a fortiori est numerica distinctio peccatorum.*

Hinc e. g. homo, qui committit adulterium, non solum duo specifice sed etiam duo numerice distincta peccata committit.

2. *Tot sunt peccata, quot sunt voluntatis actus moraliter interrupti.*

Interrumpi autem censentur actus humani a) per revocationem, b) per voluntariam cessationem ab actu; cessatio enim voluntaria est implicita revocatio. Sin autem cessatio non est voluntaria sed coacta per alias occupationes necessarias, tunc distinguere oportet inter actus mere internos, mixte internos, externos.

Actus *mere interni,* ut e. g. cogitationes obscenae (sine desiderio) interrumpuntur per interruptionem physicam. Cum autem in praxi sit saepe impossibile indicare accuratum numerum talium cogitationum, sufficit confiteri: habui obscenas cogitationes, quae per tantum circiter tempus duraverunt.

Actus *mixte interni* seu desideria prava non videntur interrumpi per involuntariam cessationem, saltem si feruntur in unum obiectum obtinendum. Hinc e. g. qui desiderat furari 100 marcas, sed, timens ne capiatur, aufert hanc summam per partes et multis intervallis interpositis, non videtur nisi unum peccatum committere.

Actus *externi* non videntur interrumpi per cessationem involuntariam, dummodo a) cessatio ne diu duret; b) actus ne sint in se moraliter totales (cf. sequentem regulam). Hinc iuvenes miscentes obscena verba non committunt nisi unum peccatum, etiamsi per interventum heri debent per dimidiam horam cessare a locutione obscena; econtra iuvenis, qui se polluit et post dimidiam horam idem facit, committit duo peccata, quia perfecit duos actus in se moraliter completos et totales.

3. *Tot sunt peccata, quot sunt obiecta moraliter totalia, quamvis attingantur eodem actu voluntatis, immo et eodem actu externo.*

Censentur obiecta moraliter totalia, quae sunt completa in se neque ad invicem ordinantur sicut media ad finem. Haec regula, etsi non ab omnibus admittitur, videtur tamen vera, cum obiectum moraliter totale et completum attingatur etiam ab actu voluntatis moraliter completo et circumscripto. Hinc qui unica explosione vult occidere decem homines, committit decem homicidia; qui unico impudico sermone vult seducere quinque pueros, committit quinque peccata. Econtra qui intendens copulam cum muliere immediate ante vel post copulam turpia loquitur, aspicit, tangit etc., non committit nisi unum peccatum, quia omnes isti actus non sunt nisi partes unius obiecti totalis.

Caput V. De causis peccatorum.

164. **Principium.** *Causa adaequata efficiens peccati neque est Deus neque diabolus neque quid aliud, sed sola perversa voluntas peccantis.*

Quod Deus non sit causa peccati, est de fide, definitum in Concilio Trid. sess 6, c. 6 de iustif.

Quod neque diabolus neque alia causa possit infallibiliter movere ad peccatum, patet ex eo, quod libertas hominis interna a nemine potest auferri. Ergo homo semper potest resistere tentationibus ad peccatum.

Tentationes autem ad peccatum, licet non producant infallibiliter peccatum, tamen vehementer incitant. Tentationes proveniunt 1. a prava concupiscentia, 2. a mundo, 3. a diabolo. Consentire tentationi est peccatum, ut per se patet; oportet igitur tentationi dissentire aut saltem non consentire.

Remedia tentationum sunt vigilantia, humilitas, fiducia in Deum, fervens oratio, frequens usus sacramentorum etc.

Caput VI. De effectibus peccatorum.

165. 1. *Effectus peccati mortalis* sunt:
- a) amissio gratiae sanctificantis;
- b) amissio virtutum infusarum[1] necnon donorum Spiritus Sancti;
- c) amissio omnium meritorum;
- d) foedissima macula animae;
- e) remorsus conscientiae;
- f) reatus poenae aeternae.

166. 2. *Effectus peccati venialis* sunt:
- a) privatio nitoris animae;
- b) difficultas in exercitio virtutum;

[1] Exceptis fide et spe.

c) subtractio multarum gratiarum;
d) dispositio ad peccatum mortale;
e) reatus poenae temporalis.

Ampliorem explicationem istorum effectuum vide in nostro Manuali Theol. mor. 392 sqq.

Caput VII. De peccatis internis.

167. **Notio.** Peccata interna vocantur ea, quae intra cor hominis perficiuntur et exterius non apparent. Sunt tria: delectatio morosa, gaudium peccaminosum, desiderium pravum.

168. **Delectatio morosa** *est peccaminosa complacentia de aliqua repraesentatione prava nobis ab imaginatione exhibita (sine desiderio).*

Dicitur a) *morosa,* non a temporis mora, quasi requireretur tempus sat longum, sed quia voluntas in ista prava complacentia libere moratur, licet forte per pauca momenta. Dicitur b) *de aliqua repraesentatione prava ab imaginatione nobis exhibita* ad designandum eius obiectum, quod non est opus externum, sed imago phantasiae. Dicitur c) *sine desiderio,* quia, si desiderium pravum accedit, iam novam malitiam moralem accipit.

Delectatio versari potest circa quattuor obiecta: 1. circa *ipsum opus externum,* e. g. circa ipsam fornicationem; 2. circa *opus externum repraesentatum per imaginationem,* e. g. circa fornicationem neque factam neque faciendam, sed circa phantasticas imagines istius rei; 3. circa *modum* subtilem et ingeniosum, quo opus malum factum est (Gaunerstreich, filouterie); 4. circa *cognitionem operis mali,* e. g. moralista delectatur, quod valeat ostendere intrinsecam malitiam fornicationis.

Delectatio prima est ipsum peccatum operis externi.

Delectatio altera est delectatio morosa, de qua nunc sermo est, et est eiusdem malitiae ac opus malum, ad quod refertur. Nemo enim delectaretur de istis repraesentationibus, nisi voluntarie inclinaretur ad ipsum opus malum, quamvis illud exterius nolit perficere.

Delectatio tertia per se quidem non est mala, saepe autem est periculosa.

Quarta delectatio licita est, immo laudabilis, si fit ex recta intentione.

Principium. *Delectatio morosa de obiecto graviter malo per imaginationem repraesentato est peccatum mortale et specificatur ex ipso obiecto eiusque circumstantiis.*

Ratio est, quia illicita imaginatio et illicitum opus imaginatum moraliter habent eandem malitiam essentialem. Actus enim externus non auget moralitatem.

Unde qui delectationem morosam habuit de adulterio, aliter peccat, quam si delectatus est de incestu. Attamen in praxi ordinarie sufficit, ut paenitens confiteatur se habuisse tot cogitationes contra castitatem, quin addat alias circumstantias. Etenim huiusmodi cogitationes *(quibus non coniungitur desiderium pravum)* non ita distincte cum omnibus circumstantiis exhibent obiectum; solent cito transire, et est moraliter impossibile praesertim post longum tempus omnes earum circumstantias in confessione declarare.

169. **Gaudium peccaminosum** *est deliberata complacentia de re mala peracta sive a se sive ab aliis.*

Est igitur quaedam approbatio peccati prius peracti, ideoque etiam eiusdem prorsus malitiae est ac peccatum prius peractum. — Ad istud gaudium revocantur iactantia de peccato commisso et tristitia de opere malo non patrato.

170. **Desiderium pravum** *est deliberata complacentia de aliquo peccato faciendo,* vel est optatio faciendi aliquid moraliter malum.

Hoc desiderium dividitur in *efficax,* quod est verum et firmum propositum faciendi peccatum; et *inefficax,* quod non est nisi quaedam velleitas sine firmo proposito.

1. Desiderium *efficax* actionis malae est peccatum omnino eiusdem speciei et malitiae ac externus actus, in quem fertur.

Patet, quia tota malitia actus humani fundatur in perversa voluntate, neque ullam novam moralitatem addit actus externus. Quare Christus dixit: «Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo» (Mt 5, 28).

2. Desiderium *inefficax* seu condicionatum alicuius mali a) semper est otiosum et subinde periculosum, quoniam per illud phantasia perturbatur et tempus teritur. Ad quid enim istae velleitates! b) non est per se peccatum, si condicio apposita auferat malitiam actus, e. g. vellem comedere carnes, nisi esset feria VI; c) est autem per se peccatum, si in illo invenitur inordinatio, non obstante apposita condicione. Hinc e. g. est peccatum dicere: fornicarer, nisi esset infernus.

Notanda pro praxi. Si paenitens generaliter confitetur: habui pravas cogitationes, confessarius prius quaerat: fueruntne voluntariae vel involuntariae? A paenitente, qui respondit, cogitationes fuisse voluntarias, quaerat: fueruntne adiuncta prava desideria cogitationibus? Si paenitens respondet negative, solummodo indagandus est numerus approximative accuratus pravarum cogitationum, non autem istarum obiecta specie diversa, e. g. utrum cogitaverit de fornicatione, de adulterio etc., ut patet ex dictis n. 168. Sin autem paenitens respondit se habuisse prava desideria, utique declarare debet obiecta specie diversa talium desideriorum, e. g. utrum desideraverit fornicationem, adulterium etc. Aliquando tamen paenitentes rudes nequeunt distinguere delectationem morosam a desiderio pravo. Tunc confessarius non tenetur quaerere de obiectis talium actuum.

Caput VIII. De peccatis capitalibus.

171. Notio. *Peccatum (vel melius vitium) capitale illud est, ex quo alia vitia et peccata tamquam ex fonte profluunt.* Angelicus doctor potius adhibet verbum vitii quam peccati capitalis, ad significandum hic agi de *habitibus* seu propensionibus pravis, quae ex iteratis actibus ortae sunt. Ideo e. g. ille, qui semel ebrius fuit, nondum proprie habet vitium ebrietatis.

Numerus. Secundum S. Gregorium Magnum solent enumerari septem vitia vel peccata capitalia: 1. inanis gloria; 2. avaritia; 3. luxuria; 4. invidia; 5. gula; 6. ira; 7. acedia.

Malitia peccatorum capitalium non semper excedit malitiam aliorum peccatorum; immo non quilibet actus vitii capitalis est peccatum mortale, e. g. actus invidiae, irae, acediae saepe non sunt nisi peccata levia.

Nihilominus paene semper est in statu peccati mortalis is, qui scienter et libenter vitia capitalia, i. e. propensiones vitiosas, fovet neque strenue repugnat.

S. Thomas non enumerat inter vitia capitalia superbiam, quam vocat reginam et initium omnium peccatorum. Quia tamen superbia et inanis gloria sunt affines, de iis simul tractamus.

172. 1. De superbia et inani gloria.

Superbia est inordinatus appetitus propriae excellentiae (S. Thomas).

Distinguitur superbia *completa,* quae ita se extollit, ut Deo eiusque legibus se subicere renuat, quasi talis subiectio esset laesiva suae excellentiae. Haec superbia est peccatum mortale, quia est contemptus Dei vel vices gerentium eius. Altera superbia est *incompleta,* qua quis salva subiectione Deo et superioribus debita se nimis extollit. Talis superbia per se est peccatum veniale, cum eius inordinatio non sit gravis. Omnis superbia est vitium valde periculosum, a) quia etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant; b) quia nihil vivit in nobis prius et moritur tardius; c) quia non ita facile detegitur.

Filiae superbiae sunt: praesumptio, ambitio, inanis gloria, iactantia, hypocrisis, contentio, inoboedientia.

Remedia sunt: sincera cognitio sui ipsius, consideratio humilitatis Christi, exercitium humilitatis.

Inanis gloria est appetitus inordinatus manifestationis propriae excellentiae.

Dum igitur superbia generaliter appetit inordinate propriam excellentiam, inanis gloria imprimis quaerit *manifestationem* seu inordinate appetit gloriam apud homines.

173. 2. De avaritia.

Avaritia est immoderatus amor habendi possessiones seu divitias.

Avaritia, quae laedit *iustitiam,* est peccatum mortale ex genere suo; quae autem opponitur soli virtuti liberalitatis, est per se peccatum veniale.

Filiae avaritiae sunt: obduratio cordis, inquietudo seu inordinata sollicitudo erga bona terrena, violentia in acquirendis bonis, fallacia et fraus.

Remedia: consideratio vanitatis omnium bonorum terrestrium, meditatio exempli Christi.

174. 3. De luxuria.

Luxuria est inordinatus appetitus delectationis venereae.

Est peccatum mortale ex toto genere suo.

Filiae sunt: caecitas mentis, inconsideratio, inconstantia, amor sui et odium Dei, affectus praesentis saeculi et horror futuri.

Remedia sunt: humilis et frequens oratio, sacramentorum frequentatio, otii fuga, temperantiae exercitium, fuga occasionum.

De luxuria infra in tractatu de vitiis contra temperantiam sermo redibit.

175. 4. **De invidia.**

Invidia est tristitia de bono alterius, quod aestimatur proprium malum eo, quod minuit nostram excellentiam vel gloriam.

Invidia est ex genere suo peccatum mortale, quia directe opponitur caritati.

Filiae sunt: odium, susurratio, detractio, afflictio in prosperis proximi et exsultatio in eius rebus adversis.

Remedia sunt: exercitium fraternae caritatis; exercitium humilitatis; consideratio malorum, quae ex invidia oriri solent.

176. 5. **De gula.**

Gula est inordinatus appetitus edendi et bibendi.

Est ex genere suo peccatum veniale, quia non continet tam gravem inordinationem moralem; haud raro autem evadit peccatum mortale ratione pessimorum eius effectuum.

Filiae sunt: hebetudo mentis, multiloquium et scurrilitas, inepta laetitia, immunditia cuiuslibet generis.

Remedia sunt: consideratio pravorum effectuum, exercitium temperantiae, fuga occasionis, praesertim si agitur de potu inebriante.

De gula et specialiter de ebrietate sermo redibit infra n. 501 sqq.

177. 6. **De ira.**

Ira est inordinatus appetitus vindictae.

Ira secundum se spectata, prout est passio inordinata, est peccatum veniale; est autem grave peccatum ex genere suo, prout est inordinatus appetitus vindictae. Ratio primi est, quia in tali ira non invenitur nisi levis inordinatio; ratio secundi est, quia inordinate appetere vindictam laedit caritatem et quandoque iustitiam. Ira spectata in suis effectibus est grave vel leve peccatum, prout isti effectus debuerunt praevideri et graviter leviterve repugnant rectae rationi.

Filiae irae enumerantur a S. Thoma sex: indignatio, tumor mentis, clamorosa locutio, blasphemia, contumelia, rixa.

Remedia sunt: 1. praecavere causas; 2. statim et strenue resistere motibus irae; 3. considerare exemplum Christi.

178. 7. **De acedia.**

Acedia est tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum divinum (S. Thomas), vel est tristitia de mediis salutis a Deo nobis collatis et praescriptis.

Acedia est ex genere suo peccatum mortale, quia adversatur caritati erga Deum.

Filiae sunt: torpor circa praecepta, evagatio circa illicita, pusillanimitas, desperatio de salute.

Remedia sunt: considerare pessimos effectus, qui ex acedia sequuntur; meditari de praemio aeterno.

TRACTATUS VI.
De virtutibus in genere.

Dividitur iste tractatus in tria capita: 1. de natura virtutum; 2. de virtutibus moralibus acquisitis; 3. de virtutibus infusis.

Caput I. De natura et distinctione virtutum.

179. **Notio.** *Virtus est, quae bonum facit habentem et opus eius bonum reddit* (Aristoteles). Haec definitio valet imprimis de virtute morali, quae reddit bonum et ipsum hominem et eius opus. Altera definitio data a S. Augustino est de virtutibus infusis: *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur et nemo male utitur, et quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Essentia virtutis clarius cognoscitur, si comparatur cum donis fructibusque Spiritus Sancti et cum beatitudinibus.

180. **Dona Spiritus Sancti** *sunt habitus concomitantes gratiam sanctificantem, quibus homo bene disponitur ad recipiendas illustrationes et motiones Spiritus Sancti.* In donis igitur est ipse Spiritus Sanctus, qui movet hominem ad bonum; in virtutibus autem homo movetur a recta ratione cum adiutorio gratiae. Enumerantur septem dona Spiritus Sancti, nempe: donum sapientiae, intellectus, scientiae, consilii, pietatis, fortitudinis, timoris.

Donum *sapientiae* (quod respondet virtuti *caritatis*) est habitus divinitus infusus, quo mens redditur facile mobilis a Spiritu S. ad contemplanda divina et ad iudicandum cum de illis tum de humanis secundum *rationes divinas*. — Sapientiae primus effectus est filialis timor Dei; supremus autem effectus est dulcis pax in hominis corde.

Donum *intellectus* est lumen supernaturale homini habitualiter datum, quo facile et intime *apprehendit* veritates fidei.

Donum *scientiae* (quod vocatur quoque scientia sanctorum) reddit hominem aptum, ut ex quodam spirituali gustu et affectu caritatis iudicet per *causas inferiores* de omnibus in ordine ad finem supernaturalem. — Dona intellectus et scientiae adiuvant et perficiunt virtutem *fidei*.

Donum *consilii* (quod adiuvat et perficit virtutem *prudentiae*) reddit hominem aptum ad iudicandum et praecipiendum singulares actiones.

Donum *pietatis* (quod adiuvat et perficit virtutem *iustitiae*) reddit hominem aptum ad venerandum Deum ut *patrem* benignissimum et homines ut *filios Dei*.

Donum *fortitudinis* (quod adiuvat et perficit virtutem *fortitudinis*) roborat animum singulari fiducia evadendi quaecumque mala et perveniendi ad vitam aeternam.

Donum *timoris* (quod adiuvat et perficit virtutem *spei*) impellit hominem ad profundissime reverendum Dei maiestatem.

181. **Fructus Spiritus Sancti,** qui enumerantur duodecim a S. Paulo (caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas), sunt *actus humani, qui ex donis Spiritus Sancti eliciuntur et quadam sancta et sincera delectatione nos reficiunt.*

Beatitudines (quae a S. Matthaeo enumerantur octo, a S. Luca autem quattuor) sunt *actus eximii virtutum et donorum, quatenus peculiari quadam ratione ducunt ad beatitudinem cum terrestrem tum imprimis coelestem.*

182. **Distinctiones virtutum** sunt:

1. ratione *originis:* virtutes *acquisitae* et *infusae*, prout propriis actibus ab homine acquiruntur vel a Deo simul cum gratia sanctificante infunduntur.

2. ratione *obiecti:* virtutes *intellectuales*, *morales*, *theologicae*. Virtutes intellectuales perficiunt hominem quantum ad cognitionem veri (sive speculativi sive practici); enumerantur quinque: intellectus, scientia, sapientia, prudentia, ars. — Virtutes morales perficiunt potentias hominis ad bene et recte agendum circa media ad finem ultimum. Omnes istae virtutes reducuntur ad quattuor principaliores, quae proinde vocantur virtutes cardinales, nempe: prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia. — Virtutes theologicae illae sunt, quae habent Deum ut obiectum directum et quae a solo Deo nobis infunduntur et revelantur. Sunt tres virtutes theologicae: fides, spes, caritas.

Caput II. De virtutibus moralibus acquisitis.

183. **Exsistentia** virtutum moralium acquisitarum est certa, cum certum sit, hominem posse viribus suis naturalibus bonos actus elicere. Porro ex iteratis bonis actibus oriuntur boni habitus seu virtutes. Virtutes morales acquisitae absque gratia et caritate sunt quidem verae sed imperfectae virtutes, quia hominem non reddunt perfecte bonum.

184. **Proprietates** virtutum acquisitarum enumerantur quattuor: 1. consistunt in medio; 2. sunt connexae; 3. sunt inaequales; 4. durant post hanc vitam.

1. *Virtus moralis consistit in medio,* i. e. neque per excessum neque per defectum declinat a recta ratione. Distinguitur duplex medium, nempe *rationis*, quod observat debitam proportionem; *rei*, quod insuper observat omnimodam aequalitatem inter rem et debitum. Medium rei non observatur nisi a virtute iustitiae.

2. *Virtutes morales sunt connexae,* i. e. si una virtus moralis *perfecta* adest, adesse omnes alias oportet; et si una deest, omnes desint necesse est. Vinculum, quod omnes virtutes *supernatu-*

rales concatenat, est caritas; *prudentia* vero connectit virtutes omnes morales. Virtutes intellectuales inter se et theologicae inter se non sunt connexae; potest enim una exsistere sine alia; immo etiam quaedam dispositiones ad virtutes morales possunt in homine exsistere, licet una virtus moralis penitus desit.

3. *Virtutes morales sunt inaequales,* cum obiective inter se consideratae tum etiam subiective in homine. In diversis hominibus posse esse virtutes diversi gradus, per se patet. Inaequalitas exsistit quoque inter virtutes intellectuales et theologicas.

4. *Virtutes morales durant post hanc vitam* saltem quantum ad earum *formale,* i. e. quantum ad rectum ordinem rationis in iis exsistentem. Quantum vero ad actus materiales, illae virtutes, quae cohibent inordinatas passiones, non erunt in caelo, ubi iam non erunt tales inordinatae passiones.

CAPUT III. De virtutibus infusis.

185. **Exsistentia** virtutum infusarum, quae sc. omnes simul cum gratia sanctificante infunduntur, hodie communissime admittitur. Ergo etiam infantes baptizati habent omnes virtutes infusas (Conc. Viennense). Virtutes morales infusae specifice distinguuntur a respectivis virtutibus moralibus acquisitis, quia in illis fides est regula moderans, in his vero sola ratio naturalis.

Proprietates virtutum infusarum speciales sunt tres: a) intrinsece augentur, quoties gratia sanctificans augetur e. g. per opera meritoria;

b) omnes (exceptis virtutibus fidei et spei) amittuntur per peccatum mortale;

c) non directe possunt diminui, sed solum indirecte.

TRACTATUS VII.

De fide theologica et vitiis oppositis.

Dividitur iste tractatus in tria capita: 1. de natura fidei; 2. de necessitate fidei; 3. de vitiis fidei oppositis.

CAPUT I. De natura fidei theologicae.

186. **Notio.** A S. Paulo definitur: «*Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*» A Concilio Vaticano definitur: «*Fides est virtus supernaturalis, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.*»

Ad istas duas definitiones magis explicandas separatim agendum est de actu et de habitu fidei.

Art. 1. De actu fidei theologicae.

187. **Subiectum** *proximum* actus fidei est *intellectus,* quia actus fidei est assensus et non mera fiducia divinae misericordiae, ut docent Protestantes. Quamvis autem actus fidei sit formaliter et immediate actus intellectus, tamen *voluntas* quoque magnam partem in illo habet, quia debet imperare ipsum assensum in actu fidei. Namque obiectum fidei seu res credendae, cum non sint evidentes in se sed obscurae, non cogunt intellectum ad assensum, sicuti veritates naturales. Ideo voluntas mota a gratia divina imperat assensum in actu fidei.

Subiectum remotum fidei, i. e. personae, quae actum fidei elicere possunt, sunt: a) omnes homines viventes in hac terra, exceptis infidelibus

formalibus; b) animae in purgatorio, quippe quae adhuc carent visione beatifica. Neque angeli et beati in coelo videntes essentiam divinam neque damnati in gehenna carentes gratia habent fidem proprie dictam.

188. **Obiectum** *formale quod* (obiectum attributionis) fidei est prima Veritas in essendo seu essentia divina, quippe quae primo et principaliter a fide attingatur; omnia autem alia creduntur in ordine ad essentiam divinam.

Obiectum *formale quo* seu motivum internum credendi est auctoritas Dei revelantis (prima Veritas in dicendo). Unusquisque enim christianus interrogatus, quare crederet, statim responderet, quia articuli fidei sunt a Deo revelati.

Obiectum *materiale* fidei est id, quod vere et formaliter est revelatum a Deo. Quare Concilium Vaticanum dicit: «Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.»

189. **Proprietates** fidei sunt: 1. supernaturalitas, 2. libertas, 3. infallibilitas, 4. firmitas.

1. Actus fidei est *supernaturalis* ex parte a) obiecti (veritatum credendarum); b) motivi (revelationis divinae); c) principii, i. e. gratiae supernaturalis. Nemo enim potest actum fidei elicere nisi adiutus a gratia divina. Quare definivit Concilium Trid. (sess. 6, c. 3 de iustif.): «S. q. d., sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiuturio hominem credere . . . posse, sicut oportet . . . A. S.»

2. Actus fidei est *liber*, quia in fide praestatur assensus veritatibus non in se evidentibus, sed obscuris. Quare definit Concilium Vaticanum: «S. q. d., assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci, A. S.»

3. Actus fidei est *infallibilis;* nititur enim super infallibili revelatione divina et infallibili magisterio Ecclesiae.

4. Actus fidei est *firmus* et *constans*, i. e. ex nullo omnino motivo licet dubitare de fide illamque negare.

Art. 2. De virtute fidei theologicae.

190. **Exsistentia.** Virtus fidei exsistit a) in omnibus hominibus, qui habent gratiam sanctificantem; b) in christiano peccatore, dummodo tamen iste ne commiserit grave peccatum infidelitatis.

De peccato infidelitatis postea sermo erit. Fidem remanere in peccatore definivit Concilium Trid. (sess. 6, c. 28 de iustif.): «S. q. d., amissa per peccatum gratia simul et fidem semper amitti; aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse christianum, A. S.» Fides, quae remanet in peccatore, vocatur *fides informis*.

191. **Augmentum et amissio.** Fides augetur simul cum gratia sanctificante, et non aliter; amittitur autem fides solum per actum infidelitatis seu haereseos *formalis*.

Ratio est, quia, qui vel unum articulum fidei pertinaciter negat, negat etiam infallibilem revelationem divinam infallibileque magisterium Ecclesiae, ac proinde destruit in se ipsum fundamentum fidei.

Caput II. De necessitate fidei theologicae.

192. **Notiones.** Fides cum habitualis tum actualis necessaria est, et quidem necessitate medii et praecepti. Necessitas *medii* est absoluta condicio, sine qua non potest obtineri salus aeterna. Necessitas autem *praecepti* sequitur ex speciali praecepto legitimi superioris et est condicio quidem imposita, sed non ita absolute, ut salus aliter obtineri nequeat. Quare in necessariis necessitate medii nulla conceditur excusatio; in necessariis vero necessitate praecepti solet excusare quaelibet moralis impotentia.

Subdividimus hoc caput in duos articulos: 1. de fide necessaria necessitate medii; 2. de fide necessaria necessitate praecepti.

Art. 1. De fide necessaria necessitate medii.

Principium. *Fides habitualis necessaria est necessitate medii omnibus omnino hominibus; hominibus autem adultis eadem necessitate necessaria est fides quoque actualis.*

Ratio primi est, quia fides a Deo constituta est substantia, i. e. primum fundamentum rerum sperandarum, i. e. beatitudinis aeternae. Concilium Vaticanum definivit: «Quoniam sine fide impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire, ideo nemini umquam sine illa contigit iustificatio; nec ullus, nisi in ea perseveraverit, vitam aeternam assequetur.»

Ratio secundi est, quia Christus dixit: «Qui non crediderit, condemnabitur» (Marc. 16, 15). Deinde quomodo homo adultus posset mereri vitam aeternam, nisi crederet prius eius exsistentiam et media adhibenda?

In homine adulto non sufficit neque votum fidei neque fides late dicta, ut nonnulli theologi opinati sunt, sed requiritur fides explicita et stricte dicta.

193. Veritates necessario credendae:

1. Fide saltem *implicita* credenda sunt ea omnia, quae Deus nobis revelavit et per Ecclesiam proposuit.

2. Fide *explicita* credendum est Deum exsistere et esse remuneratorem boni et mali. Dicit enim S. Paulus: «Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit» (Hebr. 11, 6).

Num praeter istas duas veritates etiam aliae explicite credendae sint necessitate medii, non concordant theologi. Fidem explicitam Christi Redemptoris et SS. Trinitatis hoc modo esse necessariam, docet probabilior sententia, quae in praxi sequenda est. Ideo non licet neque baptizare neque absolvere eum, qui istas quattuor veritates explicite non credit. (Cf. S. Off., d. 25 Ian. 1703.) Sufficit autem, ut rudes haec mysteria modo valde imperfecto apprehensa credant fide divina.

Art. 2. De fide necessaria necessitate praecepti.

Circa fidem duo praecipiuntur: 1. actus fidei internus; 2. externa fidei manifestatio seu professio.

§ 1. De interno actu fidei praecepto.

194. Principium. Exsistit divinum praeceptum internos actus fidei (et quidem explicitos) eliciendi circa praecipuos saltem articulos fidei.

Exsistentia huius praecepti iam a S. Ioanne supponitur scribente: «Et hoc est mandatum eius: ut credamus in nomine Filii eius Iesu Christi» (1 Io. 3, 23). Damnata est propositio ab Innocentio XI: «Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.»

Extensio huius praecepti est ad omnes homines et saltem ad quattuor sequentes res: symbolum apostolicum, orationem dominicam, praecepta decalogi, sacramenta omnibus necessaria. Complures theologi exigunt, ut fideles memoriter sciant symbolum apostolicum, orationem dominicam et decalogum, sed non constat de tali stricta obligatione. — Fideles satagant habere bonam cognitionem rerum ad religionem catholicam pertinentium, et parochi tenentur fideles diligenter instruere in rebus fidei et morum.

195. *Tempus obligationis.* Praeceptum eliciendi actum fidei obligat *per se*, i. e. independenter ab omni alia obligatione:

1. *quando homini sufficienter proposita est revelatio divina.* Hoc autem accidit pro catholicis, quando perfectum usum rationis acquisiverunt; pro haereticis autem et infidelibus, quando cognoscunt religionem catholicam esse veram. Ergo tales haeretici et infideles tenentur tunc in corde *statim* converti ad veram religionem, licet *publica* conversio possit ex iustis causis differri in tempus opportunum;

2. *quando nova definitio dogmatica ab Ecclesia proponitur;*

3. *saepius in vita.* Quare Innocentius XI. damnavit propositionem: «Satis est actum fidei semel in vita elicere.» Quoties accurate actus fidei sit eliciendus in vita, nequit determinari; ceterum homines christiane viventes abunde satis-

faciunt huic praecepto per diversa religionis exercitia, quae solent perficere;

4. *probabilius in articulo mortis,* quia tunc homo maxime tenetur credere, Deum esse misericordem et iustum remuneratorem.

Per accidens praeceptum fidei obligat: a) quando oportet implere aliud praeceptum, quod requirit actum fidei, e. g. in susceptione sacramentorum; b) in gravi tentatione contra aliquam virtutem aliter non vincenda.

§ 2. De externa professione fidei praecepta.

Praeceptum fidem profitendi est vel divinum vel ecclesiasticum.

196. I. **Praeceptum divinum** externe profitendi fidem a) manifeste eruitur ex verbis S. Pauli dicentis: «corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem» (Rom. 10, 9), et b) sequitur ex ipsa natura hominis, qui non solum mente, sed etiam corpore debet colere Deum.

Praeceptum hoc est negativum simul et affirmativum. In quantum est *negativum,* vetat, ne fides exterius negetur; quod quidem fieri potest vel *directe,* i. e. per *formalem* infidelitatem, vel *indirecte,* i. e. per actionem, quae exterius clare apparet negatio fidei, in mente autem agentis minime coniunctam habet negationem fidei. Sic e. g. indirecte negat fidem, qui sumit coenam protestanticam, quamvis in mente nullo modo credat Christum esse praesentem in tali coena. *Numquam licet negare fidem neque directe neque indirecte;* quia omnis negatio fidei grave infert dedecus Deo, quia detrectat auctoritatem et reverentiam Dei. Quare Christus minatur: «Qui me negaverit coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est» (Matth. 10, 32). Quamvis autem numquam liceat fidem negare, licet tamen aliquando fidem occultare vel dissimulare, ut infra dicetur.

Iuxta Angelicum Doctorem praeceptum divinum externe profitendi fidem obligat, quando ex omissione 1. Deo debitus honor subtrahitur, 2. spirituale bonum proximi laeditur[1].

1. *Honor Dei servandus* exigit professionem fidei: a) quando quis interrogatur *a publica auctoritate* (non a privato homine) de sua fide; b) quando quis etiam a privatis personis in odium religionis promovetur ad fidem verbo aut opere negandam.

2. *Spiritualis utilitas proximi* exigit, ut fidem externe profiteamur, si secus grave scandalum oriretur. (Libellatici inter primos christianos.)

197. II. **Praeceptum ecclesiasticum** emittendi professionem fidei obligat sequentes personas iuxta vigentem disciplinam (c. 1406):

1. baptizandos,
2. redeuntes in gremium Ecclesiae,
3. ordinandos ad ordinem subdiaconatus,
4. omnes, qui ex iure debent interesse concilio provinciali vel synodo dioecesanae,
5. confessarios et concionatores, antequam officia sua exercendi facultate donantur,
6. omnes beneficiatos, e. g. parochos, canonicos,
7. officiales in curiis episcopalibus et ecclesiasticis tribunalibus,
8. officiales in Romanis Congregationibus et Tribunalibus,
9. omnes professores in seminariis et institutis religiosis; item, qui academicis gradibus donantur,
10. omnes superiores religiosos in religione clericali.

198. **De fidei occultatione seu dissimulatione.** Licet fidem occultare vel dissimulare, dummodo adsit sufficiens causa et inde ne committatur fidei negatio neque directa neque

[1] Codex iur. can. c. 1325, § 1 hoc praeceptum exprimit his verbis: «Fideles Christi fidem aperte profiteri tenentur, quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secum ferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi.»

indirecta. Hinc e. g. haereticus (vel paganus), qui non potest publice redire in gremium Ecclesiae sine maximo incommodo temporali, potest clam id facere; sacerdos transiens per loca periculosa infidelium potest vestem laicalem induere. Vide multa alia exempla in nostro Man. Theol. mor. I 507.

Caput III. De vitiis fidei oppositis.

199. Contra fidem aliquis peccare potest: omissione et commissione.

1. **Omissione** contra fidem aliquis peccat: a) per omissionem praecepti actus fidei internae vel externae (cf. supra n. 194 sqq.); b) per ignorantiam voluntariam fidei veritatum scitu necessariarum.

2. **Commissione** aliquis peccat contra fidem dupliciter:

a) per excessum; b) per defectum.

Per excessum peccatur contra fidem α) temeraria credulitate, β) superstitione. Temeraria credulitate ille peccat, qui admittit res tamquam ad fidem spectantes, quae tales revera non sunt, e. g. qui leviter credit privatas revelationes. — Superstitio, quae est quaedam infidelitatis protestatio per exteriorem actum, adversatur non solum fidei sed etiam religioni (cf. infra n. 430).

Per defectum peccatur contra fidem *infidelitate,* quae est vel negativa vel positiva. Infidelitas *negativa* (materialis, involuntaria) est carentia fidei in eo, cui numquam fides est sufficienter annuntiata. Infidelitas *positiva* (formalis) est culpabilis carentia fidei in eo, qui non vult credere. Huius infidelitatis species sunt: paganismus, iudaismus, haeresis. Ad haeresim revocatur *apostasia,* quae est totalis defectio a fide in eo, qui veram fidem antea habuit. Ab haeresi distinguitur *schisma,* quod est subtractio pertinax

oboedientiae Summo Pontifici debitae. Schisma igitur, licet directe non opponatur fidei, tamen semper fere coniunctum est cum haeresi, quoniam schismatici non solum oboedientiam recusant, sed etiam primatum Summi Pontificis negant.

In hoc capite singillatim tractabitur: 1. de paganismo et iudaismo; 2. de haeresi et apostasia a fide; 3. de periculis fidei.

Art. 1. De paganismo et iudaismo.

200. Propositio 1. *Infidelitas negativa nullo modo est peccatum, infidelitas vero positiva est valde grave peccatum.*

Ratio primi est, quia infidelitas negativa causatur ex ignorantia invincibili. Hinc damnata est propositio (68) Baii: «Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.»

Ratio secundi est, quia infidelitas positiva est a) gravis contemptus auctoritatis divinae revelantis; b) reicit medium prorsus necessarium ad salutem. Hinc Christus severe dicit: «Qui vero non crediderit, condemnabitur.»

Propositio 2. a) *Pagani et Iudaei, licet non sint violenter impellendi ad amplectendam fidem catholicam, cogendi tamen sunt, ne cultum catholicum impediant aut opprobriis afficiant;* b) *eorum ritus et cultus possunt ex gravi causa tolerari a principibus christianis.*

Ratio primi est, quia nemo potest quidem cogi ad credendum, quod est actus liberae voluntatis; nemo tamen etiam licite impugnat fidem catholicam.

Ratio secundi est, quia vel ipse Deus tolerat multa peccata ad evitanda maiora mala.

Art. 2. De apostasia a fide et de haeresi.

201. Apostasia *est totalis defectio a fide christiana libere olim recepta* (c. 1325, § 2).

Ergo apostasia consistit in eo, quod aliquis voluntarie reicit fidem catholicam, quam antea habuit. Non hic loquimur de

apostasia ab ordine et a religione. Apostasia ad sectam massonicam haud raro aequivalet apostasiae a fide.

202. **Haeresis** obiective considerata est propositio, quae contradicit articulo fidei; subiective vero et formaliter accepta est *error pertinax hominis christiani contra aliquam veritatem fidei catholicae.*

Quare ad haeresim formalem requiritur in intellectu error et in voluntate pertinacia, atque haereticus formalis non est:

a) qui ex metu aliove motivo exterius solummodo fidem negat, interius autem conservat;

b) qui ex ignorantia etiam vincibili errat in fide; deest enim pertinacia;

c) qui negat aliquam veritatem, quae a compluribus quidem habetur ut revelata, quam tamen Ecclesia ut revelatam nondum proposuit.

Illi, qui sine pertinacia errant in fide, sunt *haeretici materiales,* e. g. haud pauci protestantes, qui in haeresi sunt enutriti ab infantia.

Malitia apostasiae et haereseos. Haeresis *materialis* non est peccatum, quia non est voluntaria; haeresis autem *formalis* est peccatum mortale ex toto genere suo, quia continet formalem contemptum veracitatis et auctoritatis Dei. Apostasia non differt specifice ab haeresi, sed est circumstantia valde aggravans.

Poenae ecclesiasticae. Haeretici formales et apostatae, qui haeresim externe manifestaverunt, incurrunt:

1. *excommunicationem* latae sententiae speciali modo S. Sedi reservatam in foro interno. Si tamen delictum haeresis vel apostasiae deductum est ad forum externum, absolutio dari potest ab Ordinario loci (c. 2314, § 1 et 2).

2. *irregularitatem* cum ex delicto (c. 985, n. 1) tum ex defectu, si sectae acatholicae publice adhaeserint propter infamiam iuris (c. 984, n. 5); filii autem acatholicorum sunt impediti ab ordinibus suscipiendis, quamdiu parentes in suo errore manent (c. 987, n. 1), non autem (probabilius) post mortem ipsorum.

3. nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant; infames declarentur; clerici, iterata monitione, deponantur.

4. *privationem sepulturae ecclesiasticae* (c. 1240, § 1, n. 1) et *infamiam* (c. 2314, n. 3), si publice sectae acatholicae adhaeserint.

203. ***Scholion.*** De dubio in fide. Cum fides nostra sit certissima, omne voluntarium dubium de ea est graviter peccaminosum. Attamen sequentia attendenda sunt:

a) catholicus, qui *positive* dubitat de aliquo articulo fidei, est haereticus; destruit enim infallibilitatem Dei revelantis. Hinc illud adagium: Dubius in fide infidelis est;

b) catholicus, qui *negative* dubitat (i. e. qui assensum suspendit) de aliquo articulo fidei, tenetur huiusmodi dubia strenue eludere, secus peccat;

c) acatholicus, qui *positive* dubitat de veritate suae sectae, tenetur serio investigare veritatem; secus peccat quidem, sed non est haereticus formalis, cum desit pertinacia in suo errore.

Art. 3. De periculis fidei.

204. Pericula fidei proveniunt aut *ab intra*, e. g. ex superbia, cupiditate, vita immorigera etc., aut *ab extra*, e. g. ex communicatione cum haereticis, ex matrimoniis mixtis. De solis periculis externis fidei tractabitur.

§ 1. De communicatione cum infidelibus et haereticis.

205. **Notiones.** 1. Communicatio cum haereticis et infidelibus est vel *civilis*, vel *religiosa* aut *in sacris*. Prima habetur in rebus ad vitam civilem pertinentibus; altera in rebus ad cultum et religionem spectantibus.

2. Communicatio religiosa est vel *activa* vel *passiva*, prout catholicus participat in cultu

heterodoxo vel acatholicus in cultu nostro. Communicatio religiosa activa iterum duplex est: nempe vel *formalis*, quando catholicus participat in cultu heterodoxo cum vera intentione Deum colendi; vel *materialis*, quando catholicus solum *externe* assistit cultui heterodoxo, quin velit interne participare.

Regula 1. Communicatio *civilis* inter catholicos et acatholicos iam non est prohibita a iure ecclesiastico, plerumque tamen non expedit, utpote periculis plena. Ex ea enim oriri solent dubitationes in fide, indifferentismus et aliquando totalis defectio a fide.

Regula 2. Communicatio religiosa *passiva* cum haereticis (exceptis excommunicatis vitandis) generatim licita est.

Possunt igitur acatholici interesse caerimoniis catholicis, non autem publice participare in sacramentis, sacramentalibus, indulgentiis etc.

Regula 3. Communicatio religiosa *activa* et *formalis* numquam licita est (c. 1258, § 1).

Nihil enim aliud est quam negatio fidei catholicae et agnitio cultus heterodoxi. Hinc e. g. catholicus nequit esse patrinus in baptismo protestantico.

Regula 4. Communicatio religiosa *activa* sed *materialis* aliquando licita est, dummodo adsit sufficiens causa (ib. § 2).

Ratio est, quia talis communicatio ex se est actio non intrinsecus mala, dummodo tamen vitetur scandalum et periculum perversionis. Hinc e. g. licet interesse funeribus heterodoxorum urbanitatis causa, adire templa haereticorum ad audiendam musicam etc.

§ 2. De frequentatione scholarum acatholicarum.

206. Scholae acatholicae aut sunt *positive* acatholicae, in quibus nempe aperte et data opera docetur infidelitas; aut sunt *neutrales* (simultaneae, paritaeticae, mixtae), quae ab omni positiva religione praescindunt et non praebent nisi instructionem profanam.

Principium. *Numquam licet frequentare scholas acatholicas, in quibus proximum periculum perversionis removeri non potest.*

Ratio est obvia; non enim licet se exponere proximo periculo perversionis.

Media, quibus proximum periculum perversionis removeri potest, sunt: 1. diligenter invigilare, ne discipuli catholici ex pravis libris, condiscipulis, magistris damnum capiant; 2. discipulos catholicos aliunde sufficienter instruere in religione et bonis moribus; 3. inducere discipulos catholicos ad vitam piam et religiosam.

Optime statuit Codex iur. can. c. 1374: «Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent. Solius autem Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum S. Sedis, in quibus rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit, ut eae scholae celebrentur.»

§ 3. De lectione librorum haereticorum.

207. Nihil fere tam nefastum influxum exercet in vitam religiosam hominis, quam lectio pravorum librorum. Quapropter iam a saeculis invigilavit Ecclesia, ne ex lectione et impressione pravorum librorum detrimentum capiant fideles. Disciplina hodie vigens statuta est a Leone XIII. in constitutione «Officiorum et munerum» d. 25. Ian. 1896 et magis adhuc evoluta fuit a Codice iur. can. lib. III, tit. XXIII. Cf. nostrum Man. iur. can. q. 414 sqq.

§ 4. De matrimoniis initis cum incredulis et haereticis.

208. Aliud idque perniciosum periculum perversionis in fide sunt matrimonia mixta, quae

Ecclesia semper improbavit et quae non tolerat nisi adhibitis cautionibus specialibus, de quibus sermo erit in tractatu de matrimonio. Itaque qui matrimonium mixtum contrahit sine his cautionibus, graviter peccat, immo excommunicationem incurrit, si coram ministro acatholico id facit.

TRACTATUS VIII.

De spe theologica et de vitiis oppositis.

Tractatum hunc dividimus in tria capita: 1. de natura spei theologicae; 2. de eius necessitate; 3. de vitiis et peccatis contra spem.

Caput I. De natura spei theologicae.

209. Definitio. *Spes theologica est voluntatis habitus divinitus infusus, per quem certa cum fiducia propter omnipotentiam Dei auxiliantem exspectamus et consectamur cum aeternam beatitudinem tum media ad eam consequendam necessaria.*

Ad maiorem explicationem huius definitionis assignanda sunt: a) obiectum, b) subiectum, c) proprietates spei.

Obiectum materiale spei primarium est beatitudo aeterna; secundarium sunt omnia media conducentia ad beatitudinem.

Obiectum formale quod spei est ipse Deus supernaturali beatitudine possidendus. Spes enim utpote virtus theologica habet directe pro obiecto ipsum Deum.

Obiectum formale quo spei seu motivum sperandi est Dei omnipotentia auxilians, i. e. praebens auxilia. Ita S. Thomas. Alii (Scotistae, Suarez) docent motivum sperandi esse bonitatem divinam; alii volunt id esse fidelitatem Dei; alii demum putant id esse cum omnipotentiam, tum bonitatem, tum fidelitatem divinam.

Subiectum *proximum* spei est voluntas hominis; *remotum* vero sunt: a) omnes fideles etiam peccatores (exceptis solis illis, qui in haeresim formalem vel in praesumptionem vel in desperationem inciderunt); b) animae in purgatorio. Virtus spei, quae in peccatore remanet, est vera sed *informis* spes. Spes autem destruitur 1. per haeresim formalem, quippe quae fidem, i. e. ipsum fundamentum spei, destruat; 2. per praesumptionem et desperationem, utpote vitia directe opposita spei.

210. Proprietates spei sunt: supernaturalitas et firmitas.

a) Spes est *supernaturalis,* quia est virtus theologica habens pro obiecto materiali, formali quod, formali quo aliquid supernaturale.

b) Spes est *firma,* in quantum respicit Dei auxilium; est autem aliqualiter timida et incerta, in quantum supponit nostram cooperationem. Spem esse omnino firmam, patet ex Concilio Tridentino dicente: «In Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent» (sess. 6, c. 13 de iustif.). Spem autem non esse omnino certam et expertem timoris, si attenditur nostra cooperatio, sequitur ex S. Scriptura dicente: «Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit (Eccle 9, 1).

Caput II. De necessitate spei theologicae.

211. Principium. a) *Necessitate medii spes habitualis omnibus necessaria est;* b) *necessitate medii et praecepti divini spes actualis necessaria est omnibus usum rationis habentibus.*

Ratio primi est, quia nemo salvatur sine gratia sanctificante, quacum necessario infunditur virtus spei.

Ratio secundi est, quia omnes, qui habent usum rationis, debent vitam aeternam obtinere operibus suis. Iamvero nemo serio tendit ad aliquid obtinendum, nisi ipsi affulgeat spes revera assequendi rem desideratam. Hinc iubemur in S. Scriptura: «Sperate in eo, omnis congregatio populi» (Ps. 61, 9).

Praeceptum divinum spei obligat *per se:*

1. in initio vitae moralis;
2. in articulo mortis;
3. saepius in vita.

Idem praeceptum obligat *per accidens:*

1. quando urget gravis tentatio, quae aliter quam eliciendo actum spei vinci nequit;

2. quando oportet implere aliud praeceptum, quod sine spe impleri nequit, e. g. praeceptum suscipiendi sacramentum paenitentiae.

Caput III. De vitiis et peccatis contra spem theologicam.

Contra spem peccatur 1. omissione actus spei, 2. desperatione, 3. praesumptione.

212. 1. **Omissio actus debiti spei** est peccatum, ut patet ex cap. praec. Ad hanc omissionem reducitur quoque *nimia adhaesio bonis terrenis* praebita, qua temporalia aeternis praeferuntur, ita ut quis in hac vita perpetuo manere exoptet.

213. 2. **Desperatio** peccat contra spem per defectum. Desperatio autem est vel *privativa* et imperfecta vel *positiva* et perfecta. Prima est quaedam animi pusillanimitas, qua quis vel ex tentatione diabolica vel ex melancholica aliave morbida dispositione animum despondet et nimio torquetur timore perdendi salutem aeternam. Altera est voluntaria diffidentia consequendi beatitudinem, vel melius: est voluntarius recessus a beatitudine aeterna, quae iudicatur adeptu impossibilis.

Desperatio privativa (ut plurimum) nullum est peccatum, sed mera tentatio aut scrupulositas; desperatio vero positiva est peccatum mortale ex toto genere suo.

Ratio primi patet, cum desit voluntarium.

Ratio secundi est, quia desperatio positiva maximam infert iniuriam Deo, cuius misericordiam negat aut in dubium vocat.

Causae desperationis solent esse: a) luxuria aliaeque libidines inveteratae; b) acedia; c) fidei defectus, d) melancholia.

Remedium desperationis est remotio causarum eius.

214. 3. **Praesumptio** peccat contra spem per excessum. Praesumptio enim nihil aliud est nisi *temeraria fiducia obtinendi beatitudinem mediis a Deo non ordinatis.* Saepe coniuncta est cum *tentatione Dei*, immo etiam cum haeresi.

Praesumptio *haereticalis* est peccatum mortale ex toto genere suo, quia non solum opponitur fidei et spei, sed etiam divinae iustitiae maximam iniuriam infert.

Praesumptio *simplex* est peccatum mortale ex genere suo, quia etiam haec praesumptio laedit virtutem spei et homini causat magna damna.

Causae praesumptionis sunt praeter errores in fide: superbia et inanis gloria.

Remedia praesumptionis sunt ea omnia, quae supra n. 172 allata sunt tamquam remedia superbiae.

TRACTATUS IX.

De caritate theologica et de vitiis oppositis.

Dividitur iste tractatus in tria capita: 1. de caritate erga Deum; 2. de caritate erga nosmetipsos; 3. de caritate erga proximum.

Caput I. De caritate erga Deum.

In hoc capite agemus: 1. de natura et proprietatibus caritatis; 2. de necessitate caritatis; 3. de vitiis caritati erga Deum oppositis.

Art. 1. De natura et proprietatibus caritatis.

215. **Definitio.** *Caritas est virtus divinitus infusa, qua Deum tamquam summum bonum diligimus propter seipsum, nosque et proximum propter Deum.*

Obiectum *formale quod* caritatis est Deus, ut ipse bonus.

Obiectum *materiale* caritatis sunt omnes homines et angeli, non autem damnati et daemones, utpote amicitiae Dei incapaces.

Obiectum *formale quo* seu motivum caritatis est Deus in se et propter se amabilis.

Caritas theologica est perfectus amor benevolentiae, immo et *amicitiae* erga Deum.

Efficacia caritatis sequitur ex ipsa eius natura, quae est amicitia cum Deo. Caritas igitur destruit peccatum mortale et iustificat peccatorem. Ex voluntate autem Christi instituentis sacramenta mortuorum ad remissionem peccatorum requiritur, ut peccator eliciens cum adiutorio actualis gratiae actum perfectae caritatis habeat votum saltem implicitum suscipiendi haec sacramenta.

216. Proprietates caritatis. Caritas debet esse: 1. supernaturalis, 2. efficax, 3. appretiative summa.

1. Caritas est *supernaturalis* ex omni parte, nempe ex eius obiecto et ex eius causa, quae est gratia supernaturalis.

2. Caritas debet esse *efficax*, ideoque non sufficit merus affectus caritatis seu caritas affectiva. Quapropter monemur: «Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate» (1 Io. 3, 18).

3. Caritas debet esse *appretiative summa* (non intensive summa), i. e. debemus Deum pluris aestimare quam omnem creaturam, ita ut parati simus potius universum mundum quam Dei amicitiam amittere.

217. *Scholion.* **De praestantia caritatis.** Caritas excellit omnibus virtutibus et donis; namque 1. sola caritas remittit omnia peccata mortalia; 2. sola caritas constituit veram amicitiam inter Deum et hominem; 3. sola caritas est forma omnium virtutum, quibus imperat, et quarum actus evadunt meritorii, quia ex caritate procedunt.

Art. 2. De necessitate caritatis.

218. Principium 1. *Necessitate medii necessaria est:* a) *caritas habitualis omnino omnibus hominibus;* b) *caritas actualis omnibus usu rationis capacibus.*

Ratio primi est, quia nemo salvatur sine gratia sanctificante et amicitia cum Deo. Iamvero caritas cum gratia sanctificante et amicitia Dei indissolubiliter coniuncta est.

Ratio secundi est, quia omnes usu rationis capaces debent tendere in unionem cum Deo, quod fit per caritatem.

Principium 2. *Necessitate praecepti divini caritas actualis necessaria est omnibus usu rationis capacibus et quidem per se et per accidens.*

Praeceptum divinum caritatis vocatur a Christo: «maximum et primum mandatum» (Matth. 22, 38). Damnata est ab Innocentio XI a. 1679 propositio: «Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum.»

Per se obligat praeceptum caritatis:

1. in initio vitae moralis;

2. in articulo mortis;

3. saepius in vita (saltem saepius quam quolibet quinquennio).

Per accidens obligat praeceptum caritatis:

1. quoties aliquis versatur in peccandi periculo, quod removeri nequit sine actu caritatis;

2. quoties aliquis in statu peccati mortalis exsistens et carens confessario tenetur recuperare statum gratiae sanctificantis.

Art. 3. De vitiis caritati erga Deum oppositis.

219. Caritati erga Deum generaliter opponitur omne peccatum mortale, quippe quod destruat amicitiam Dei; specialiter autem opponuntur caritati a) per *omissionem:* omissio actus caritatis debiti (de quo art. praec.); b) per *commissionem*: odium Dei et acedia.

220. Odium Dei est peccatum mortale; immo si est odium inimicitiae, est ex genere suo peccatum gravissimum inter omnia.

Distinguitur odium *abominationis*, quo abominamur Deum tamquam ultorem peccatorum. Istud odium est peccatum mortale ex genere suo, quia impugnat iustitiam divinam. — Alterum odium est *inimicitiae*, quo Deo malum volumus. Istud

odium est vere diabolicum et omnium peccatorum gravissimum, quia nullum aliud peccatum ita graviter offendit Deum.

221. **Acedia** est fastidium et tristitia de mediis salutis aeternae ob difficultatem in iis acquirendis et adhibendis expertam. Ex quo patet acediam caritati, quippe quae *gaudeat* de mediis perveniendi ad unionem Dei, esse contrariam. Cf. quae supra n. 178 de acedia dicta sunt.

Caput II. De caritate erga nosmetipsos.

222. **Obligatio** diligendi nosmetipsos vera caritate iam supponitur, quando iubemur diligere proximum *sicut nosmetipsos*. Ratio autem est, quia caritas debet se extendere ad omnes, qui sunt aeternae gloriae capaces, inter quos sumus et nos et quidem secundum animam et corpus.

Peccata opposita caritati erga nosmetipsos sunt omnia detrimenta, quae culpabiliter causamus et animae et corpori, e. g. peccatum mortale causans mortem animae, pericula animae et corporis, suicidium etc. — Egoismus quoque inordinatus, cum sit radix multorum peccatorum, adversatur huic caritati.

Caput III. De caritate erga proximum.

Dividitur istud caput in tres articulos: 1. de exsistentia, extensione, ordine praecepti caritatis erga proximum; 2. de operibus caritatis; 3. de peccatis huic caritati oppositis.

Art. 1. De exsistentia, extensione, ordine praecepti caritatis erga proximum.

Dividitur iste articulus in duas paragraphos: 1. de exsistentia et extensione praecepti caritatis erga proximum; 2. de ordine caritatis.

§ 1. De exsistentia et extensione praecepti caritatis.

223. 1. **Exsistentia** specialis praecepti diligendi proximum amore supernaturali, cum affectivo tum effectivo, apparet:

a) *ex S. Scriptura:* «Secundum autem (mandatum) simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum» (Matth. 22, 39);

b) *ex propositionibus damnatis* ab Innocentio XI.: «Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.» «Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos»;

c) *ex ratione;* namque etiam proximus est capax aeternae gloriae.

Actus *interni* caritatis erga proximum sunt: 1. congaudere in eius rebus secundis, contristari in eius rebus adversis; 2. sincere desiderare eius bonum.

Actus *externi* caritatis erga proximum sunt: ei benefacere praebendo illi septem quae dicuntur opera misericordiae spiritualis et corporalis.

2. **Extensio.** Praeceptum caritatis se extendit ad omnes homines (capaces aeternae beatitudinis) et etiam ad *inimicos*. Inimici enim sunt amandi ex caritate, non quidem qua inimici, sed qua homines. Ita ex praecepto divino positivo, quod fundatur super ipso iure naturali. Christus iubet: «Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos» (Matth. 5, 44). Non autem iubemur diligere inimicos, *quia* sunt inimici, sed *quamvis* sint inimici. Quapropter debemus:

1. deponere odium inimicitiae omneque desiderium vindictae;

2. exhibere inimico saltem communia signa dilectionis [1];

3. quaerere reconciliationem, quantum in nobis est.

§ 2. De ordine caritatis.

224. Ordo in caritate servandus est: 1. inter personas diligendas; 2. inter bona diligenda.

1. *Inter personas diligendas* sequens ordo est observandus: a) ante omnia Deus, deinde egometipse, tum proximus diligendus est.

Quod Deus sit diligendus super omnia, patet ex eo, quod caritas Dei necessario est appretiative summa; quod homo seipsum debeat magis diligere quam proximum, sequitur ex praecepto Christi statuentis hominem debere diligere proximum *sicut* seipsum. Ergo amor sui est regula et norma amoris proximi.

b) Proximi non aequaliter a nobis diligendi sunt, sed secundum propinquitatem ad Deum vel ad nos.

Ratio est, quia in caritate duplex est principium, sc. Deus et nos ipsi. Quod autem propinquius est alterutri principio, hoc magis diligendum est. Hinc meliores et perfectiores homines, utpote Deo similiores et perfectiores, magis diligendi sunt quam minus perfecti. Ita quantum ad *reverentiam* et *appretiationem*, non autem necessario quantum ad *affectum*. Hinc filius debet quidem magis appretiare hominem alium sanctum quam patrem improbum, sed non maiore affectu amoris prosequi. Inter ipsos coniunctos et propinquos sequens ordo caritatis est communiter servandus: 1. coniux; 2. filii; 3. parentes; 4. fratres et sorores; 5. alii cognati; 6. amici et benefactores. Inversio istius ordinis licita est, dummodo adsit sufficiens causa.

2. *Inter bona diligenda* sequens ordo exsistit: a) bona spiritualia propria; b) bona spiritualia proximi; c) bona corporis proprii; d) bona corporis alieni; e) bona externa.

[1] Signa communia sunt ea, quae omnibus hominibus in similibus adiunctis solemus exhibere.

Regula 1. Proximo *in extrema necessitate spirituali* [1] constituto debemus succurrere etiam cum periculo vitae nostrae corporalis, si tamen a) est fundata spes salvandi proximum, neque b) bonum commune obstat.

Ratio est, quia vita aeterna proximi est bonum longe excellentius quam sola vita nostra corporalis.

Regula 2. Extra casum extremae necessitatis spiritualis proximi (etiam exsistente eius necessitate extrema *corporali*) per se non urget obligatio subveniendi illi cum maximo damno proprio etiam corporali.

Ratio est, quia ne vitam propriam quidem debemus protegere cum maximo damno.

Regula 3. Proximo constituto *in gravi necessitate* (sive spirituali sive corporali) succurrendum est cum mediocri tantum incommodo, nisi tamen iustitia, pietas aut officium susceptum ampliorem obligationem imponat.

Regula 4. Cum levi tantum incommodo succurrendum est proximo versanti in communi vel levi necessitate.

Art. 2. De operibus caritatis erga proximum.

225. Opera caritatis solent distingui septem *spiritualia:* corrigere peccantem, docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari afflictum, ferre onerosos, remittere offendenti, pro omnibus orare; et septem *corporalia:* pascere esurientes, potare sitientes, colligere hospites, vestire nudos, visitare infirmos, redimere

[1] Triplex solet distingui necessitas: extrema, gravis, levis. *Extrema* necessitas censetur adesse, quando homo versatur in proximo periculo mortis corporalis aut spiritualis. In primo casu, e. g. in periculo submersionis in aqua, habetur extrema necessitas corporalis; in altero casu, e. g. in periculo damnationis gehennae, adest extrema necessitas spiritualis. Gravis necessitas adest, cum quis grave damnum corporis vel spiritus sine alterius auxilio vitare nequit. Levis vel communis necessitas exsistit, si quis in angustiis quidem versatur, sed sibi ipsi providere potest.

captivos, sepelire mortuos. Brevitatis causa tractabitur de solis duobus principalibus operibus caritatis: de eleemosyna et de correctione fraterna.

§ 1. De eleemosyna.

226. Notio. *Eleemosyna est opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum.*

Eleemosyna igitur proprie non significat ipsam rem datam, *sed actionem dandi,* quae elicitur a misericordia et imperatur a caritate.

Principium 1. *Iuris cum naturalis tum divini positivi exstat praeceptum dandi eleemosynas pauperibus.*

Ius naturale praecipit caritatem non solum affectivam sed etiam effectivam proximi. Caritas autem non est effectiva erga pauperem, nisi illi det eleemosynam. Insuper ius naturale praecipit pacem servandam in societate. Quae quidem pax perturbaretur, si pauperibus denegaretur eleemosyna. Ergo eleemosyna exigitur a caritate et a iustitia legali, non autem a iustitia *commutativa,* ac proinde pauper, cui denegata est eleemosyna, non potest se occulte compensare.

Principium 2. *In casu particulari obligatio dandae eleemosynae dimetienda est:* a) *ex necessitate proximi,* b) *ex facultate propria dantis.*

Proinde quo maior est necessitas proximi et quo abundantiores sunt facultates dantis, eo maior est obligatio elargiendi eleemosynam. Econtra quo minor est necessitas et quo tenuiores sunt facultates dantis, eo minor est obligatio. Hinc in communi necessitate, in qua degunt ordinarii pauperes, adest quidem gravis obligatio dandi aliquando eleemosynam ex superfluis status, non autem est obligatio dandi eleemosynam tali pauperi determinato.

Quantitas eleemosynae nequit accurate determinari. Iuxta S. Alphonsum sufficit dare quotannis 2 % ex superfluis status.

227. Scholion. De pauperibus fictis. Pauperes ficti, i. e. illi, qui vera egestate non pressi fingendo magnam miseriam eleemosynas obtinent, peccant tripliciter: a) contra *veritatem,* quia eorum agendi modus est putidum mendacium; b) contra *caritatem,* quia aliis pauperibus subtrahunt eleemosynas secus accipiendas; c) contra *iustitiam commutativam,* quia dolo decipiunt alios, qui rationabiliter sunt inviti de eleemosyna sic extorta. Quapropter ficti pauperes tenentur restituere eleemosynas fraudulenter obtentas. In praxi autem huiusmodi restitutio est saepe impossibilis, quia tales pauperes falsi solent eleemosynas obtentas cito dilapidare et iam nihil habent ad restituendum.

§ 2. De correctione fraterna.

228. Notio. *Correctio (correptio) fraterna est admonitio privatim facta, ex fraterna caritate procedens, qua quis proximum a peccato vel a peccati periculo avertere conatur.*

Obligatio correctionis fraternae oritur ex iure cum positivo divino tum naturali: a) *ex iure positivo divino*: «Corripe amicum, ne forte non intellexerit et dicat: non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere» (Eccli. 19, 13); b) *ex iure naturali*: quia correctio fraterna non est nisi eleemosyna spiritualis. Iamvero eleemosyna obligat ex iure naturali, ut supra dictum est.

Condiciones, sub quibus praeceptum correctionis fraternae obligat, sunt duae, nempe nemo tenetur sub gravi corrigere proximum, nisi a) constat de eius gravi necessitate spirituali, ex qua non aliter quam per correctionem liberari praevidetur; b) correctio fieri potest sine magno incommodo corrigentis.

Modus servandus est in correctione fraterna; quae sc. fieri debet cum benignitate et amore; immo, si facienda est personis in dignitate constitutis, cum reverentia et humilitate. Insuper ex praecepto Christi debet prius fieri *secreto:* «Vade et corripe eum inter te et ipsum solum.» Sin autem secreta correctio nihil profuerit, adhibendi sunt duo vel tres testes, et demum, si corrigendus necdum vult converti, denuntiandus est legitimo superiori. Aliquando tamen potest, immo et debet denuntiatio corrigendi statim fieri, omissa secreta correctione, si nempe: a) peccatum commissum est publicum; b) si peccatum vergit in aliorum detrimentum, quod nequit sufficienter averti sine denuntiatione; c) si delinquens cessit iuri suo ad privatam correctionem.

Art. 3. De peccatis contra caritatem proximi.

229. Praenotamen. Cum praeceptum caritatis erga proximum sit simul et positivum (i. e. praecipiens nonnullos actus) et negativum (i. e. prohibens nonnullos alios actus), peccari contra illud potest et omittendo actus praescriptos (de quibus sermo fuit art. praec.) et committendo alios actus, e. g. odii, inimicitiae, invidiae, discordiae, rixae, scandali, cooperationis ad malum. Cum iam sit sufficienter dictum de plerisque illis actibus, restat dicendum de scandalo et de cooperatione ad malum.

§ 1. De scandalo.

230. Notio. *Scandalum est dictum vel factum minus rectum, praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.*

Dicitur: dictum vel factum minus rectum, quibus verbis non solum actio sed etiam omissio debitae actionis intellegitur. Dicitur: minus rectum, ad significandum scandalum posse causari non solum ex actione reapse mala, sed etiam ex actione apparentiam mali habente.

Divisiones. 1. Scandalum distinguitur: *activum*, i. e. ipsa actio, quae est alteri occasio ruinae; et *passivum*, i. e. ipsa ruina spiritualis secuta ex actione alterius.

2. *Scandalum activum* subdividitur in: *directum*, quod intendit peccatum proximi; et *indirectum*, quod non quidem intendit, sed *praevidet* peccatum proximi.

3. Scandalum directum iterum subdividitur, nempe in: *directum formale* seu *diabolicum*, quod ex odio Dei vel proximi intendit peccatum proximi, ut est peccatum; et *directum simpliciter*, quod intendit peccatum proximi, ut est conducens ad aliquid aliud, e. g. ad voluptatem, vindictam etc.

4. *Scandalum passivum* subdividitur in: *datum*, quod revera datur et producitur ex actione mala alterius; et *acceptum*, quod non producitur ex actione mala, sed bona, quae tamen accipitur ab altero sive ex ignorantia (scandalum pusillorum) sive ex malitia (scandalum pharisaicum) ut ansa peccandi.

231. Malitia scandali: a) *scandalum directum est peccatum mortale ex genere suo cum contra caritatem tum contra illam virtutem, ad quam laedendam proximus inducitur;* b) *scandalum autem indirectum probabilius non laedit nisi solam caritatem.*

a) Scandalum omne esse ex genere suo peccatum mortale, apparet ex severis verbis Christi minantis: «vae homini illi, per quem scandalum venit» (Matth. 18, 7). Scandalum directum laedere cum caritatem tum virtutem illam, ad quam laedendam proximus inducitur, patet ex eo, quod intenditur proximi damnum et laesio virtutis determinatae. Quare e. g. ille, qui coram puella impudice loquitur ad eam seducendam, committit tria peccata mortalia, si puella consensit; etenim α) ipse graviter peccavit contra castitatem; β) intendit laesionem castitatis a puella faciendam; γ) intendit damnum puellae. — Scandalum directum fit peccatum leve cum ex imperfectione actus tum ex parvitate materiae.

b) Quia in scandalo indirecto praevidetur quidem, sed non intenditur laesio virtutis a scandalizato facienda, hinc probabilius scandalizans peccat quidem contra caritatem, sed non contra illam specialem virtutem, cuius laesionem minime intendit. Sunt tamen qui contrarium doceant, inter quos S. Alphonsus.

Regula practica: *Eo gravior* est culpa scandali, quo a) peccatum proximi est magis volitum; b) actio magis influit in peccatum proximi; c) gravius est peccatum a proximo commissum.

Eo levior est culpa scandali, quo: a) maior est defectus sufficientis deliberationis; b) actio ipsa levius influit in proximi peccatum; c) levior est materia peccaminosa, ad quam proximus inducitur.

232. Obligatio vitandi scandalum.

1. Scandalum *pharisaicum* non est necessario vitandum, si subsit aliqua causa rationabilis agendi.

Ratio est, quia tale scandalum oritur ex sola malitia scandalizati.

2. Scandalum *pusillorum* vitandum est, quoties fieri potest absque gravi incommodo.

Ratio est, quia caritas obligat, ut malum proximi innocentis impediamus, in quantum hoc est moraliter possibile. Sic e. g.

parochus, qui ex inadvertentia sumpsit cibum aut potum, potest nihilominus Missam dicere, si secus oriatur magnum scandalum populi.

3. Ex iusta causa licet alterius *occasionem peccati* permittere vel etiam ponere.

Ratio est, quia tunc peccatum proximi minime intenditur, et vel ipse Deus permittit occasiones peccandi.

Reparatio scandali necessaria est, quia per scandalum non solum laesa est caritas, sed saepe etiam bonum publicum; immo et iustitia commutativa, si nempe proximus seductus fuerit minis, coactione, dolo etc. — Scandalum publicum publice, scandalum vero secretum secrete est reparandum.

§ 2. De cooperatione ad malum.

233. **Notio et divisio.** *Cooperatio ad malum est concursus praestitus actioni pravae alterius.* Quare cooperatio in hoc differt a scandalo, quod scandalum *causat* malam voluntatem peccantis, e. g. consilio, mandato, exemplo; cooperatio autem *supponit* malam voluntatem peccantis et inservit tamquam instrumentum ad istam malam voluntatem opere externo complendam.

Distinguitur: 1. cooperatio *immediata* et *mediata*, prout cooperans agit cum peccante in ipso actu peccati (onanismus coniugalis) vel prout praebet alias actiones vel res non ita arcte coniunctas cum peccato agentis.

Cooperatio mediata est vel *proxima* vel *remota*, prout materia aut facultas praestita proxime adiuvat actionem pravam alterius (vendere venenum occisuro) vel solummodo remote (vendere agrum Iudaeo, qui forte in eo construet synagogam).

2. cooperatio *formalis* et *materialis*, prout est adiutorium ad peccatum alterius, in quantum est peccatum, vel prout est actio mere physica. Cooperatio igitur formalis est actio in se mala sive ex obiecto sive ex intentione operantis; materialis autem cooperatio est actio in se honesta, qua tamen alius abutitur ad peccatum.

234. **Principium.** *Cooperatio formalis ad peccatum alterius numquam, cooperatio autem materialis aliquando licita est.*

Ratio primi est, quia cooperatio formalis includit consensum ad peccatum alterius; ideoque laedit non solum caritatem, sed etiam virtutem eam, cui opponitur peccatum cooperatione perfectum.

Ratio secundi est, quia cooperatio materialis est actio in se honesta, qua tamen abutitur alius ex propria malitia. Omnia igitur, quae supra n. 23 dicta sunt de voluntario indirecto, hic valent et applicanda sunt in solutione casuum, qui saepe occurrunt in diversis materiis, e. g. in cooperatione famulorum, operariorum, cauponum, mercatorum. Cf nostrum Man. Theol. mor. I 620 sqq.

TRACTATUS X.

De virtute prudentiae et de vitiis oppositis.

Brevissime tractamus: 1. de virtute prudentiae; 2. de vitiis oppositis.

Caput I. De virtute prudentiae.

235. **Notio.** *Prudentia est recta ratio agibilium.* Ita secundum Aristotelem S. Thomas.

Alii definiunt prudentiam cognitionem rerum appetendarum et fugiendarum; vel virtutem intellectivam, qua in quovis negotio occurrente novimus, quid honestum sit, quid turpe. Prudentia residet in intellectu practico et est vel acquisita propriis actibus, vel infusa simul cum gratia sanctificante.

Obiectum materiale prudentiae sunt omnes actiones humanae et morales (quae ab Aristotele vocantur «agibilia»). Obiectum autem *formale quo* seu motivum est ratio veri practici et boni, quae invenitur in actionibus humanis.

Actus virtutis prudentiae enumerantur tres: bene capessere consilium, recte iudicare, imperare seu praecipere. Actus imperandi est principalis et proprius actus prudentiae.

236. Partes prudentiae, sicut et cuiusvis alterius virtutis cardinalis, sunt triplicis generis: a) integrales, b) subiectivae, c) potentiales.

a) *Partes integrales* alicuius virtutis cardinalis sunt ea, quae praerequiruntur ad perfectum actum virtutis. Pro prudentia talia praerequisita enumerantur a S. Thoma octo, nempe:

1. memoria, i. e. recordatio praeteritorum;
2. intellectus, i. e. clara cognitio praesentium;
3. docilitas, i. e. promptitudo ad discendum;
4. sollertia, i. e. prompta coniectura circa media adhibenda;
5. ratio, i. e. promptitudo ratiocinandi seu unum ex alio colligendi;
6. providentia, i. e. consideratio futurorum eventuum;
7. circumspectio, i. e. attenta consideratio circumstantiarum;
8. cautio, i. e. cura vitandi mala et impedimenta.

b) *Partes subiectivae* alicuius virtutis cardinalis sunt species, in quas dividitur. Praecipuae species prudentiae sunt prudentia *personalis*, qua quis dirigit semetipsum, et prudentia *politica*, qua quis regit multitudinem. Quae quidem prudentia politica a veteribus subdividebatur in militarem, oeconomicam, legislativam etc.

c) *Partes potentiales* alicuius virtutis cardinalis sunt virtutes adiunctae, quae versantur circa aliquos actus secundarios vel materias secundarias. Pro prudentia enumerantur:

1. eubulia, quae est habitus recte consultandi;
2. synesis, quae est virtus bene iudicativa secundum regulas ordinarias;
3. gnome, quae est virtus bene iudicativa secundum altiora principia. Eius actus est epikeia in interpretatione legum.

Caput II. De vitiis prudentiae oppositis.

237. *Per defectum* opponuntur prudentiae:

1. praecipitatio, quae prius agit, quam consideravit;
2. inconsideratio, quae neglegit considerationem debitam circumstantiarum;
3. inconstantia, quae nimis cito mutat propositum;
4. neglegentia, quae non satis curat operationem intellectus.

Per excessum opponuntur prudentiae:

1. prudentia carnis, quae callide excogitat media ad vivendum secundum carnem, i. e. secundum corruptam naturam humanam;
2. astutia, dolus, fraus, quae excogitant et adhibent prava media ad finem obtinendum;
3. nimia sollicitudo de temporalibus et futuris, quae impedit, ne homo verum finem vitae suae obtineat.

S. Thomas scite animadvertit: vitia, quae per defectum opponuntur prudentiae, solent oriri ex *luxuria;* quae vero ei opponuntur per excessum, ortum ducunt ex *avaritia*.

TRACTATUS XI.
De virtute iustitiae et de vitiis oppositis.

Cum iste tractatus sit longissimus, claritatis causa dividitur in duas sectiones:

1. De iure et de ipsa virtute iustitiae.
2. De partibus potentialibus virtutis iustitiae.

SECTIO I.

De iure et de ipsa virtute iustitiae.

Haec sectio subdividitur in quattuor quaestiones:
1. De iure ipso.
2. De virtute iustitiae in se consideratae.
3. De laesione iustitiae ac de reparatione iustitiae laesae.
4. De contractibus.

QUAESTIO I.

De iure ipso.

Subdividitur haec quaestio in quattuor capita:
1. De notione iuris eiusque divisione.
2. De obiecto iuris.
3. De subiecto iuris.
4. De modis acquirendi ius.

CAPUT I. De notione et divisione iuris.

238. Notio. Nomine iuris diversa solent significari:

1. sententia iudicis (ius dicere);
2. lex seu ius obiectivum (ius canonicum);
3. iustum alteri debitum (ius passivum);
4. *moralis facultas aliquid faciendi, omittendi, exigendi* etc. (ius activum).

Ius activum simul cum iure passivo constituit ius subiectivum.

Hinc: Ius obiectivum = leges

causat

ius subiectivum, quod est

vel: *ius passivum*, i. e. iustum, quod alicui debetur	vel: *ius activum*, i. e. moralis facultas aliquid exigendi etc.

239. Divisiones principaliores sunt:

1. Ratione *originis* ius dividitur in: *naturale*, quod ex ipsis principiis naturae oritur (ius se defendendi); *positivo-divinum*, quod oritur ex positivo decreto divino (ius sacramenta suscipiendi); *humanum*, quod ortum ducit ex lege humana, nempe aut ecclesiastica (ius ecclesiasticum) aut civili (ius civile).

2. Ratione *effectus* distinguitur ius *strictum*, cuius laesio est iniustitia proprie dicta (ius proprietatis); et ius *non strictum*, cuius laesio non constituit nisi inconvenientiam plus minusve gravem (ius recipiendi nonnullos honores).

Ius strictum solet subdividi in ius *in re* seu dominium et ius *ad rem* (ius quaesitum), quod quis habet, ut aliqua res nondum possessa fiat sua.

240. Dominium, quod est facultas legitima disponendi de aliqua re tamquam sua dividitur in:

a) *plenum* et *semiplenum*. Primum est facultas perfecta disponendi cum de re ipsa tum de eius fructibus. Alterum est facultas disponendi aut de sola re (dominium radicale seu directum), aut de solis fructibus rei (dominium utile seu indirectum). Quae quidem dispositio de fructibus est aut illimitata (ususfructus) aut limitata ad propriam consummationem (usus);

b) *altum* et *humile*. Primum est illud, quod habet suprema potestas civilis aut ecclesiastica disponendi ex gravi causa de bonis privatorum in bonum communitatis (ius expropriandi). Alterum est dominium privatorum, cui definitio superius data convenit.

241. De origine atque liceitate dominii privati.

Auctores non concordant de prima origine dominii privati. Alii (Grotius, Pufendorf) volunt illud ortum esse ex pacto sociali; alii (Hobbes, Montesquieu, Bentham) ex lege civili; alii (moderni Socialistae) ex violenta occupatione. Sententia vera docet, dominium privatum esse quandam conclusionem ex iure naturali deductam. Dominium enim privatum valde utile est cum pro pace tum pro ordinata administratione bonorum.

Hostes dominii privati sunt: Apostolici, Manichaei, Waldenses, Socialistae, Communistae.

Caput II. De obiecto iuris seu dominii.

242. 1. Homo habet solum dominium *utile* de bonis intrinsecis animae et corporis. Est enim villicus Dei in hac re.

2. Homo habet strictum dominium (licet limitatum) famae suae.

3. Homo habet perfectum dominium in foetus ingenii et industriae suae, prout tamen a singulis legibus civilibus est determinatum.

Quare ad restitutionem tenetur ille, qui ius auctorum a legibus civilibus determinatum damnose laedit.

4. Homo potest habere dominium utile in alium hominem. Quare servitus non est prohibita ex iure naturali; est autem hodie prohibita a lege positiva.

243. **Scholion. De variis bonorum generibus.** Solent distingui: a) bona *mobilia* et *immobilia*. Quaenam sint ista bona, determinatur a singulis legibus. b) bona *fungibilia* et *non fungibilia*. Prima sunt ea, quae vice aliorum fungi possunt in solutione debiti et solent primo usu consumi (e. g. pecunia). Altera sunt ea, quae non solent in commercio substitui per alia, sed, si sunt ablata, identice restitui debent. c) bona *consumptibilia* et *non consumptibilia,* prout primo usu consumuntur (cibus, pecunia) aut non (vestis, liber).

Caput III. De subiecto iuris seu dominii.

244. Principium. *Neque irrationalis neque inanimata, sed sola rationalis creatura potest esse subiectum dominii.* Ratio est, quia dominium est facultas *moralis,* cuius capax est sola creatura rationalis.

Resolves. 1. Animalia, cum non sint subiectum dominii, non possunt pati iniuriam stricte dictam. Nihilominus crudelis tractatio animalium (sine gravi ratione facta) est peccaminosa, utpote contra rectam rationem.

2. Subiectum dominii sunt etiam amentes, pueri ante usum rationis, immo homo statim post conceptionem. Ratio est, quia isti sunt creaturae rationales.

3. Subiectum dominii sunt personae non solum physicae, sed etiam morales seu iuridicae.

Art. 1. De dominio coniugum.

Pro ampliore doctrina vide nostrum Manuale. Hic non afferuntur nisi principia generalia iuris naturalis et statuta antiqui iuris Romani.

245. Principia generalia. Vir et mulier matrimonium contrahentes ineunt individuam vitae consuetudinem, cuius vir est caput. Uterque coniux debet satagere pro convenienti sustentatione 1. prolis, 2. alterius coniugis. Honesta et conveniens sustentatio coniugis complectitur victum, vestitum, facultatem impendendi quaedam ad eleemosynas, ad honestam recreationem, ad munera elargienda statui convenientia. Hinc uxor non peccat contra *iustitiam,* si haec omnia facit etiam inconsulto, immo et invito marito. Aliquando tamen laeditur virtus prudentiae.

Administratio bonorum communium (et aliquando etiam bonorum privatorum uxoris) pertinet ad maritum, quippe qui sit caput familiae.

Ius antiquum Romanum distinguit uxoris: a) bona *paraphernalia,* quorum perfectum dominium et administratio pertinent ad uxorem. (In modernis codicibus huiusmodi bona vocantur libera.) b) bona *dotalia,* quae ab uxore traduntur marito pro sustentatione familiae. Horum bonorum dominium radicale remanet apud uxorem, sed administratio et dominium utile transeunt ad maritum. c) bona *communia* sunt ea, quae utriusque coniugis labore durante matrimonio acquiruntur, et quorum cum administratio tum dominium utile tum dominium radicale medietatis pertinent ad maritum. Altera medietas horum bonorum cadit sub dominio radicali uxoris.

De furtulis uxorum infra sermo erit.

Art. 2. De dominio filiorumfamilias.

246. Notiones. Distingui solet: *infans,* qui nondum primum septennium complevit; *impuber,* qui nondum pervenit ad pubertatem legalem (12 annos pro puellis et 14 annos pro pueris); *minor* seu *minorennis,* qui nondum attigit aetatem maiorennitatis a legibus civilibus statutam (ordinarie est aetas 21 annorum); *maior* seu *maiorennis,* qui hanc aetatem attigit; *emancipatus,* qui, licet aetatem maiorennitatis nondum attigerit, tamen ex privilegio gaudet iuribus maiorennitatis.

Nota. Quae dicentur, valent de filiis legitimis et legitimatis, non autem de filiis illegitimis.

Distinctio bonorum. Vetus ius Romanum distinxit filiorumfamilias bona: a) castrensia; b) quasi-castrensia, c) adventitia, d) profectitia; quae quidem distinctio hodie obsoleta locum dedit distinctioni in bona *libera* et *non libera.*

247. Regulae generales. 1. Contra *iustitiam* non peccat filius *maiorennis* (vel emancipatus), qui sibi retinet omne recte acquisitum, deductis iis, quae pro ipsius sustentatione parentes expendunt. Ita sententia communis.

2. Contra *iustitiam* non peccat filius *minorennis* degens *extra* domum paternam, si proprium salarium retinet. Ita etiam statuere solent codices moderni.

3. Contra *iustitiam* non peccat filius minorennis degens *in* domo paterna, sed salarium recipiens *pro labore extra domum praestito,* qui solvit expensas pro propria sustentatione, cetera autem sibi retinet. Ita saltem, nisi Codices civiles tale salarium ad parentes pertinere declarant.

4. Contra *iustitiam* videtur peccare filius minorennis degens et laborans *in* domo paterna, si surripit aliquid ex bonis familiae, quod non est necessarium ad propriam convenientem sustentationem.

5. Contra *pietatem* omnes filiifamilias peccant, quoties ex retentione bonorum causant indebitum gravamen suis parentibus.

Art. 3. De dominio clericorum saecularium.

248. Divisiones. Distinguitur quadruplex dominium seu peculium clericorum saecularium: patrimoniale, quasi-patrimoniale, beneficiale, parsimoniale.

1. Peculium *patrimoniale* complectitur ea omnia bona, quae clerico obveniunt extra omne ecclesiasticum cum beneficium tum ministerium (hereditates, dona, salarium ex ministerio laicali receptum), vel uno verbo: quae clerico obveniunt tamquam *homini.*

2. Peculium *quasi-patrimoniale* (seu quasi-ecclesiasticum) sunt ea bona, quae clerico proveniunt ex titulo quidem spirituali, sed non ex beneficio ecclesiastico (stipendia Missarum manualium etc.), vel uno verbo: quae clerico obveniunt tamquam *clerico.*

3. Peculium *beneficiale* sunt reditus *beneficii ecclesiastici* destinati in congruam sustentationem clerici beneficiarii, seu quae clerico obveniunt tamquam *beneficiario.* Ad peculium beneficiale pertinent iuxta modernam disciplinam etiam 1) pensiones seu salaria, quae a gubernio solvuntur clericis beneficiariis; 2) contributiones fidelium per modum taxae impositae. Istae contributiones sunt idem ac decimae antiquitus exsistentes; 3) stipendia Missarum fundatarum, quae sunt cum beneficio coniuncta; 4) iura stolae perceptae a clericis beneficiariis; 5) distributiones chorales canonicorum (cf. c. 140).

4. Peculium *parsimoniale* sunt illa bona, quae clericus ex reditibus *beneficialibus* comparcit, parcius vivendo.

249. Principium. *Clericus saecularis habet liberam dispositionem de omni peculio suo, exceptis reditibus beneficialibus superfluis; quos quidem sub gravi praecepto, non autem sub obligatione restitutionis impendere debet pro pauperibus piisve causis* (cf. c. 1473).

Nonnulli auctores opinantur clericum debere ex iustitia *restituere* reditus superfluos beneficiales, quos non expendit pro pauperibus vel causis piis, sed de tali obligatione iustitiae omnino non constat, ac proinde non est urgenda (cf. S. Thomas, S. theol. 2, 2, q. 185, a. 7; S. Alphonsus, Theol. mor. lib. 3, n. 492). — Quamvis autem apud omnes constet, clericum beneficiarium debere *sub gravi* impendere reditus beneficiarios, qui supersunt eius honestae sustentationi, pro pauperibus aut piis causis, tamen difficulter determinatur, quaenam materia sit gravis in laesione huius praecepti. Profecto autem videtur requiri maior quantitas quam in furto graviter illicito. Clericus enim non aufert aliena bona, sed sua male expendit. Considerandae sunt diversae circumstantiae cum clerici donantis tum donationis.

Cardinales habent specialia privilegia circa reditus beneficiales (c. 239, § 1, n. 19).

Caput IV. De modis acquirendi dominii.

250. Praenotamen. Modi acquirendi dominium fundantur aut in lege (naturali vel positiva), et tunc solent vocari modi *legales*, aut super conventione libere inter homines inita, et tunc vocantur modi *conventionales*. Modi legales sunt quattuor: 1. occupatio, 2. inventio, 3. accessio, 4. praescriptio. Modi conventionales sunt diversi contractus, ad quos aliqualiter reduci potest successio hereditaria [1].

[1] Nonnulli auctores inter modos acquirendi dominium enumerant quoque laborem; sed labor melius reducitur ad contractum locationis, si versatur circa rem alienam; vel ad accessionem, si versatur circa rem propriam.

Art. 1. De occupatione.

Agemus 1. de occupatione in genere; 2. de occupatione animalium; 3. de occupatione thesauri; 4. de praeda capessenda in bello.

251. 1. Occupatio in genere est apprehensio rei, quae nullius est, cum animo eam sibi acquirendi [1].

Ut occupatio sit legitimus modus acquirendi dominii, requiritur:

a) ut res occupata sit revera nullius (i. e. vacans seu derelicta);

b) ut adsit vera et realis apprehensio. Ideo non sufficit sola intentio;

c) ut adsit animus faciendi rem suam. Ergo non sufficit animus rem custodiendi in utilitatem veri proprietarii.

252. 2. Occupatio animalium locum habet in venatione, piscatione, aucupio.

Solent distingui: a) animalia *fera*, quae ab humano consortio naturaliter abhorrent, e. g. lepores, cervi, pisces; b) animalia *mansuefacta* seu cicurata, quae ordinarie quidem abhorrent consortium humanum, tamen arte et industria sub perfectum dominium hominis sunt redacta (columbae in columbario, pisces inclusi in parvo stagno); c) animalia *mansueta* seu domestica, quae natura sua hominum societati assuefacta sunt (oves, gallinae, canes). Quidam auctores insuper distinguunt animalia *efferata*, quae sc. fuerunt mansuefacta, sed postea libertatem adepta iam fugiunt societatem humanam. Ista animalia aequiperantur feris.

Principium. *Ex iure naturali* animalia fera et efferata sunt primi occupantis; animalia autem mansueta et mansuefacta manent proprietas domini sui, nisi tamen mansuefacta animalia evaserint efferata.

De iure venandi et piscandi.

253. Principium. Princeps vel respublica potest lege prohibere venationem, piscationem,

[1] Germanice: Aneignung herrenloser Sachen.

aucupium eaque sibi reservare, non solum in propriis fundis, sed etiam in aliis locis apertis.

Cum tales leges sint iustae et valde conducant ad bonum commune, nequeunt generatim vocari *poenales*. Proinde transgressores earum peccant, nisi adsit causa excusans.

Peccatum grave videntur committere 1. illi, qui huiusmodi venationem illicitam cum *armis letalibus* peragunt ex consuetudine (vulgo Wilddiebe, braconniers, poachers). Etenim causant sibi grave periculum vel ipsius vitae, fovent vehementes passiones, inferunt grave damnum aliis. 2. illi, qui legitimo domino venationis causant grave damnum; quod tamen non est mensurandum ex animalibus illicite captis, sed potius ex *spe capturae*, qua privatur dominus.

Nota pro praxi. 1. Antiqui theologi agentes de re venatoria caute legendi sunt, cum hodie ista res sit valde mutata.

2. Aestimatio communis circa venationes illicitas imprimis attendenda est, quae in diversis locis est mitis vel severa.

3. Raro adest gravis obligatio restituendi ob venationem illicite factam, quoniam: a) raro oritur grave damnum pro legitimo domino, et quia b) hodie nonnulli theologi leges prohibentes venationem pro pure poenalibus habent.

254. 3. De occupatione thesauri.

Notio. «*Thesaurus est vetus quaedam depositio pecuniae, cuius non exstat memoria, ut iam dominum non habeat.*» Ita ius Romanum.

Sub nomine pecuniae comprehenduntur omnes res *artefactae*, non autem naturales. Unde carbones, metalla, lapides pretiosi naturales exstantes in sinu terrae non censentur thesauri, sed fructus terrae.

Dominium thesauri. a) Si solum ius naturale attenditur, thesaurus inventus pertinet totaliter ad occupantem. Thesaurus enim, utpote res nullius, fit primi occupantis.

b) Codices civiles solent determinare, ut thesaurus inventus in proprio fundo pertineat ad inventorem; inventus autem in alieno fundo debeat dividi inter inventorem et proprietarium fundi. Quae quidem determinatio videtur obligare in conscientia.

255. 4. De praeda capessenda in bello.

Vetus ius Romanum considerabat bona hostium tamquam res nullius, quae proinde occupatione acquiri poterant. Quam quidem doctrinam adoptavit quoque ius canonicum, sed ad bellum *iustum* merito limitavit. Ex iure gentium internationali moderno, *quod videtur obligare in conscientia,* sequentia valent:

a) bona privatorum sunt inviolabilia, nisi adsit urgens necessitas;

b) ea omnia possunt ex bonis hostium arripi, quae necessaria sunt pro bello iusto gerendo, e. g. arma, vestes, nutrimentum;

c) milites, qui fame aut egestate laborantes nutrimenta sibi necessaria et vestes necessarias ab hostibus rapiunt sine expressa auctoritate officialis superioris, non sunt obligati ad restitutionem, quia agunt quidem contra disciplinam militarem, sed non contra iustitiam commutativam. Econtra milites sine legitima auctoritate rapientes ab hostibus alia bona notabilis valoris tenentur ad restitutionem.

Art. 2. De inventione rei amissae.

256. Notio. Inventio non est propria species occupationis, cum obiectum occupationis sit res nullius, obiectum autem inventionis sit res amissa, quae verum habet dominum, licet ignotum.

Principia iuris naturalis.

1. Ex stricta iustitia homo privatus non tenetur rem alienam forte inventam secum asportare et conservare; ordinarie tamen ad id (saltem sub levi) obligatur *ex caritate*.

2. Qui rem inventam assumpserit, tenetur ex iustitia a) eam custodire b) eiusque legitimum dominum inquirere.

Ratio est, quia ex assumptione inventor tacite init contractum, qui vocatur *rerum gestio* (cf. infra n. 338).

3. Si adhibita diligenti inquisitione iam non est fundata spes, fore ut dominus rei detegatur, inventor potest rem retinere; laudabilius tamen in usus pios aut in pauperes distribuit. Ita sententia communior, probabilior, tuta in praxi.

4. Etsi autem inventor potest sibi retinere rem inventam, postquam prudens spes reperiendi verum dominum cessavit, tamen sola inventio non videtur esse sufficiens titulus proprietatis, sed oportet accedat *titulus praescriptionis* iuxta leges uniuscuiusque regionis. Ita sententia probabilis, cui contradicunt nonnulli putantes inventorem non praescriptione sed occupatione acquirere dominium rei inventae.

Art. 3. De accessione.

257. **Notio.** *Accessio est legitimus modus acquirendi dominium alicuius rei accedentis ad rem legitime possessam.*

Distingui solent tres species accessionis, nempe accessio *naturalis, industrialis, mixta,* prout aut solis viribus naturalibus (nativitate, fructificatione, alluvione) aut sola industria humana (adiunctione, aedificatione etc.) aut ex utriusque influxu accedit rei propriae aliquid aliud.

Principia iuris naturalis. 1. Si res unitae possunt absque gravi detrimento separari, singulae sunt restituendae legitimis dominis.

2. Quodsi id fieri nequit, «accessorium sequi congruit naturam principalis» (Reg. iur. 28 in VI°), sed pro re accessoria sic acquisita pretium congruum solvendum est.

Nota. In praxi confessionis statuta iuris civilis de accessione lata oportet observari.

Art. 4. De praescriptione.

258. **Notio.** *Praescriptio est adeptio dominii per continuatam possessionem certo tempore a lege definito.*

Dividitur in *acquisitivam* seu usucapionem, quae est modus acquirendi novum ius, e. g. transeundi per alium agrum, et *liberativam*, quae est modus se vel suam rem liberandi ab aliquo onere vel servitute, e. g. ab onere solvendi debitum.

Praescriptionis valor se extendit ad forum cum internum tum externum. Secus enim a) possessiones saepe manerent incertae et litibus expositae; b) nonnulli proprietarii essent nimis segnes in vindicandis iuribus propriis (cf. c. 1508).

Praescriptio semel legitime peracta transfert dominium rei eiusque fructuum inde ab *initio possessionis.*

259. **Condiciones requisitae** ad legitimam praescriptionem solent enumerari quinque his versiculis expressae:

Non usu capies, nisi sint tibi talia quinque:
Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.

1. **Res apta** seu praescriptibilis generatim ea est, quae sub perfectum dominium praescribentis cadere potest. Impraescriptibilia sunt iura legis naturalis et divinae, insuper nonnulla bona a lege civili vel ecclesiastica ut talia declarata, e. g. res sacrae.

2. **Fides bona** est iudicium, quo quis prudenter existimat, rem quam possidet esse suam. Debet exsistere toto tempore praescriptionis (c. 1512). In praescriptione *liberativa* videtur sufficere bona fides *negativa*, i. e. absentia fraudis, seu aliis verbis: praesciptio valet, si debitor nihil illicitum egit, ne alius suum ius vindicare possit.

3. **Titulus** est causa, propter quam aliquis rem possidet; seu est ratio, propter quam possessor putat rem esse suam. Sufficiunt ad praescriptionem titulus: a) coloratus, b) existimatus, c) praesumptus. Titulus *coloratus* est actio, quae revera transferret dominium, nisi laboraret occulto defectu, e. g. emptio bona fide facta alicuius rei furto ablatae. Titulus *existimatus* (putativus) tunc habetur, si quis ob culpam alienam revera non assequitur dominium. Titulus *praesumptus* est is, quem lex ex possessione longissimi temporis intervenisse supponit.

4. **Possessio** est actualis detentio rei vel exercitium iuris. Ad legitimam praescriptionem requiritur possessio: a) continua, b) publica (non occulta), c) pacifica (non impugnata), d) certa.

5. **Tempus** ad praescribendum sufficiens determinatur a legibus ecclesiasticis et civilibus. Ius ecclesiasticum ordinarie statuit tempus 30 annorum pro rebus ecclesiasticis non ad Sedem Apostolicam pertinentibus (c. 1511).

QUAESTIO II.
De virtute iustitiae in se considerata.

Dividitur haec quaestio in duo capita: 1. de notione iustitiae; 2. de partibus iustitiae.

CAPUT I. De notione virtutis iustitiae.

260. Definitio. *Virtus iustitiae est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.*

Ita Ulpianus, S. Thomas, omnes fere. Iustitia in S. Scriptura aliquando sumitur in aliis sensibus, e. g. pro omni virtute (Matth. 5, 6), pro iustificatione (Rom. 4, 3) etc.; stricte autem sumpta, prout est virtus cardinalis, distinguitur a ceteris omnibus virtutibus ratione tam subiecti quam obiecti. *Subiectum* iustitiae est voluntas; subiectum autem prudentiae est intellectus; temperantiae et fortitudinis est appetitus sensitivus. *Obiectum* iustitiae est bonum et iustum alteri debitum; obiectum autem prudentiae est verum practicum; obiectum temperantiae et fortitudinis sunt passiones moderandae.

Specialiter notanda est differentia inter iustitiam et caritatem proximi. Utraque sane virtus est ad proximum, sed aliter et aliter. Caritas enim nititur *coniunctione* inter amantem et amatum atque considerat proximum ut alterum ego. Iustitia vero nititur *distinctione* unius hominis ab altero. Quare homo potest quidem habere erga se ipsum caritatem, non autem iustitiam proprie dictam; potest item laedere caritatem erga se ipsum, non autem committere iniustitiam proprie dictam in se ipsum.

Cum obiectum iustitiae sit tribuere unicuique strictum ius suum, scholastici recte docebant in iustitia esse observandum *medium rei* seu strictam aequalitatem rei ad rem.

CAPUT II. De partibus iustitiae.

261. 1. **Partes subiectivae seu species iustitiae** assignantur a nonnullis auctoribus tres, nempe: iustitia legalis, distributiva, commutativa,

prout iustitia ordinat partes ad totum, totum ad partes, partes ad partes; sed virtutes non distinguuntur proprie iuxta subiecta, quae ordinant, sed iuxta *obiecta formalia*, in quae primo et per se tendunt. Iamvero non triplex sed duplex est obiectum formale iustitiae, nempe aut bonum *commune* immediate intentum (iustitia legalis) aut bonum *privatum* (iustitia commutativa et distributiva). Proinde melius distinguitur cum S. Thoma iustitia in *legalem* seu generalem, quae est constans et perpetua voluntas reddendi communitati ius suum; et *particularem*, quae est constans et perpetua voluntas reddendi singulis personis (physicis aut moralibus) ius suum. Haec iustitia particularis subdividitur in *commutativam*, quae in commutationibus locum habet servans absolutam aequalitatem rei reddendae ad rem acceptam; et *distributivam*, quae inclinat principem communitatis, ut praemia, honores, onera distribuat in subditos iuxta meritorum facultatumve proportionem. — Insuper solet distingui iustitia *vindicativa*, quae inclinat principem communitatis ad condignas poenas infligendas subditis reis. Quae quidem iustitia vindicativa a nonnullis reducitur ad iustitiam legalem, ab aliis ad iustitiam distributivam, ab aliis ad iustitiam commutativam.

2. **Partes integrales** iustitiae enumerantur a S. Thoma duae: facere bonum et declinare a malo, non quidem sub generali conspectu, sed sub ratione *debiti erga alium*.

3. **Partes potentiales** iustitiae enumerantur a S. Thoma novem: 1) religio; 2) pietas; 3) observantia; 4) veracitas; 5) gratitudo; 6) vindicatio; 7) liberalitas; 8) affabilitas; 9) aequitas.

Tres priores virtutes dicuntur partes potentiales seu annexae virtutes iustitiae, quia non ita perfecte sicut iustitia

attingunt *aequalitatem rei ad rem;* sex aliae virtutes deficiunt a perfecta iustitia, quia in illis non invenitur ita strictum *debitum* sicut in iustitia. De omnibus istis virtutibus infra specialiter tractabitur.

QUAESTIO III.
De laesione iustitiae et de reparatione iustitiae laesae.

Dividitur ista quaestio in quattuor capita: 1. de iniustitia in genere; 2. de iniustitia commissa per ablationem rei alienae; 3. de iniustitia commissa per damnificationem proximi; 4. de reparatione iustitiae laesae per restitutionem.

Caput I. De iniustitia in genere.

262. Principium 1. *Iniustitia seu iniuria est peccatum mortale ex genere suo, fit autem peccatum veniale vel ex imperfectione actus vel ex parvitate materiae.*

Patet hoc principium ex S. Scriptura, quae fures aliosque laesores iustitiae excludit a regno caelorum.

Regula ad discernendam gravitatem iniustitiae: Iniustitia est grave peccatum, quoties ille qui damnum patitur vel gubernator communitatis rationabiliter est graviter invitus.

Principium 2. *Licet omnes iniuriae adversentur eidem virtuti iustitiae, tamen non sunt peccata eiusdem speciei, sed distinguuntur secundum obiecta formaliter diversa.*

Quare e. g. specifice distinguitur calumnia a furto, quamvis utrumque opponatur iustitiae.

Ratio est, quia eidem virtuti possunt opponi diversa vitia.

Caput II. De iniusta ablatione rei.

Praenotamen. Iniusta ablatio rei est vel *simplex* vel *qualificata.* In primo sensu est simplex furtum; in secundo sensu adiungitur aliqua qualitas speciem mutans, e. g. sanctitas

rei (sacrilegium) et vis adhibita in ablatione (rapina). Hic non loquimur de simplici ablatione rei alienae, nisi in quantum laedit iustitiam, et dividimus hoc caput in tres articulos: 1. de natura et gravitate furti in genere; 2. de quibusdam furtis in particulari; 3. de causis ablationem rei alienae excusantibus.

Art. 1. De natura et gravitate furti in genere.

Notio. *Furtum est occulta acceptio rei alienae domino rationabiliter invito.*

263. Gravitas materiae in furto distinguitur altera *absoluta,* altera *relativa.*

Gravitas absoluta desumitur ex solo valore rei ablatae, quin ratio habeatur ad condicionem personae, cui res ablata est. Censetur esse valor circiter 50 francorum.

Gravitas relativa attenditur ex condicione eius, cui damnum illatum est. Forte censetur 1 frc. relate ad pauperes miseros; 5 vel 6 frcs. relate ad homines mediocris fortunae; 20 frcs. relate ad divites; 50 frcs. relate ad ditissimos.

In gravitate relativa mensuranda oportet etiam attendere ad damnum, quod *per accidens* nascitur homini laeso. Sic censetur esse peccatum grave, si quis e. g. acum aufert pauperi sartori, qui exinde nequit laborare per plures horas. Patitur enim iste sartor notabile damnum.

Art. 2. De quibusdam furtis in particulari.

Regulae art. praec. datae de gravitate materiae in furto aliqualiter temperandae sunt, si inter res parvas ablatas fuerunt multa intervalla, vel si dominus non censetur totaliter invitus, vel si res non est omnino aliena.

264. 1. De furtis minutis in genere. Furta minuta vocantur levioris materiae furta saepius repetita. In se quidem ista furta sunt peccata venialia, sed evadunt graviter mala a) *ex prava intentione* parvis furtis tandem aliquando

obtinendi materiam gravem, b) *ex frequenti repetitione,* si nempe inter singula furtula non exsistit neque notabile intervallum (unius mensis) neque revocatio, et materia totalis omnium furtulorum unitorum sit gravis. Communiter autem docent theologi, furtula minuta in detrimentum *unius* domini facta requirere *dimidio* maiorem, facta autem in detrimentum plurium dominorum exigere *duplo* maiorem materiam, ad peccatum mortale, quam furta simul facta.

265. 2. **De furtis minutis domesticorum** valent sequentes regulae:

a) *In esculentis et poculentis ordinariis ad proprium usum sumptis furtula a personis domesticis facta numquam attingunt materiam gravem.*

Ratio est, quia paterfamilias debens nutrire omnes domesticos suos non est ita invitus de ipsa ablatione esculentorum et poculentorum ordinariorum quam de furtivo modo ablationis. — Regula non valet neque de cibo et potu *extraordinariis* neque de istis rebus traditis *extraneis personis.*

266. b) *Uxores raro tenentur ad restitutionem ob furtula commissa.*

Ratio est, quia uxor non est serva sed socia viri, ac proinde aliqualem habet liberam dispositionem de parvis bonis communibus. Insuper maritus non censetur esse ita invitus de ipsa ablatione quam de modo occulto agendi.

c) *Filiifamilias furtula domestica perpetrantes obligantur ad restitutionem, si consideratis omnibus circumstantiis parentes censentur graviter inviti non solum quoad modum sed etiam quoad substantiam ablationis.*

Cum in praxi filiifamilias, qui furtula domestica commiserunt, rarissime restituere valeant, confessarius prudenter inducat eos paenitentes, ut a parentibus condonationem petant.

d) *Famuli furtula domestica perpetrantes severius iudicandi sunt quam uxores et filiifamilias.*

Ratio est, quia multo rarius praesumi potest consensus legitimi domini.

267. 3. **De furto in rebus publicis** (lignis, herbis, fructibus) imprimis attendenda est communis aestimatio populi. Hinc si in aliqua regione huiusmodi furta communiter non reputantur nisi transgressiones alicuius legis mere *poenalis,* tunc non oritur ex illis obligatio restituendi; secus valent ea, quae supra n. 1 dicta sunt de furtis minutis in genere.

Art. 3. De causis ablationem rei alienae excusantibus.

Duae exsistunt huiusmodi causae, nempe extrema necessitas et recta compensatio occulta.

268. 1. *In extrema necessitate licet ex bonis alienis assumere tantum, quantum satis est ad se liberandum ex tali necessitate.* Ita omnes.

Ratio est, quia in extrema necessitate omnia bona terrestria fiunt communia. — In gravi aut communi necessitate non licet aliena bona auferre. Extrema necessitas est proximum periculum mortis; gravis necessitas est gravis indigentia.

269. 2. *Occulta compensatio vestita debitis condicionibus est quidem* a) *licita, sed* b) *raro exercenda et* c) *adhuc rarius consulenda a confessario.*

a) Si occulta compensatio est vestita debitis condicionibus [nempe si debitum: 1) est strictum, neque 2) potest aliter recuperari sine notabili damno, et 3) damnum debitoris aut tertiae personae pro viribus praecavetur], licita est. Etenim tunc non laeditur neque ius tertii neque ordo socialis. Uno verbo: talis compensatio nihil aliud est nisi iusta defensio contra iniuriam alterius.

b) Occulta compensatio raro est exercenda, quia periculorum illusionis et perturbationis plena est.

c) Adhuc rarius est consulenda a confessario, quippe cui possint imminere sinistrae oblocutiones, immo et punitiones tribunalis civilis.

Caput III. De iniusta damnificatione.

Dividitur hoc caput in quattuor articulos: 1. de iniusta damnificatione in genere; 2. de iniusta damnificatione cooperativa; 3. de iniusta damnificatione per facta corporalia; 4. de iniusta damnificatione per verba.

Art. 1. De iniusta damnificatione in genere.

270. Notio et divisio. *Iniusta damnificatio* (stricte sumpta) *est actio, qua quis alteri damnum causat, quin ipse emolumentum materiale inde capiat*, e. g. combustio domus inimici.

Dividitur: 1. in *solitariam* et *cooperativam*, prout damnificator causat damnum aut per se solum aut adiuvantibus aliis;

2. in *materialem* et *formalem*, prout damnificatio facta est aut *sine* aut *cum* culpa theologica. Culpa *theologica* est transgressio legis divinae, et in hac materia est formale peccatum contra iustitiam commutativam; culpa autem *iuridica* est transgressio legis humanae sed sine culpa theologica facta (propter ignorantiam aut defectum consensus). Raro exsistit culpa mere iuridica, saltem si actus fuit vere humanus, quia ne lex quidem positiva solet supponere culpam iuridicam, si prorsus deest omnis culpa moralis.

271. Principium 1. *Damnificatio iniusta non solum est ex genere suo peccatum grave, sed etiam inducit obligationem restitutionis, si est* a) *vere*, b) *efficaciter*, c) *formaliter iniusta.*

Damnificationem iniustam esse ex genere suo peccatum grave patet, quia est iniustitia. Iamvero iniustitia est ex genere suo peccatum grave, ut supra probatum est. Damnificatio dicitur iniusta: a) *vere*, si laedit strictum ius alterius; b) *efficaciter*, si est vera causa damni realiter secuti, non autem sola occasio, aut condicio sine qua non, aut etiam causa solummodo per accidens; c) *formaliter*, si est coniuncta cum culpa theologica et non cum sola iuridica.

Quando damnificatio est vestita istis tribus condicionibus, laedit formaliter iustitiam commutativam. Iamvero ex laesione formali iustitiae commutativae oritur obligatio restitutionis, ut infra latius dicetur.

Resolves: 1. Qui precibus vel suasionibus inducit avunculum, ut excludat ab hereditate aliquem extraneum, non tenetur restituere; non enim laesit strictum ius extranei; aliud esset, si adhibuisset calumniam.

2. Caupo propinans vinum ebrioso praevidens inde damnum secuturum, non tenetur restituere; non enim est causa efficax, sed occasio damni.

3. Medicus, qui ex errore inculpabili causavit grave damnum, non tenetur restituere; non enim commisit culpam theologicam.

De gravitate obligationis restituendi. Damnificatio gravis coniuncta cum culpa theologica *gravi* causat gravem obligationem restitutionis. Ita omnes. Coniuncta autem cum culpa theologica *levi* videtur etiam levem obligationem restitutionis producere. Ita docet sententia communissima, si materia solummodo *levis* est restituenda; sin autem agitur de materia *gravi* reparanda (propter damnificationem leviter culpabilem), tunc complures theologi eximunt damnificatorem ab omni obligatione restituendi, cum inter levem culpam et gravem materiam restituendam non sit proportio, sed probabilius adest vera quamvis levis obligatio restituendi totum damnum causatum. Ratio est, quia secus damnificatus immerito oneraretur, damnificator autem immerito exoneraretur.

272. Principium 2. *Ex damnificatione materiali non oritur obligatio restitutionis nisi:* 1. *post sententiam iudicis*, 2. *ita sit libere stipulatum.*

Ratio primae partis est, quia talis sententia est iusta et observanda. Ratio secundae partis est, quia tales stipulationes possunt licite iniri ideoque obligant in conscientia.

Art. 2. De damnificatione cooperativa.

273. Cooperatio ad damnificationem fieri potest novem modis iuxta illos tritos versiculos:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Tres posteriores modi dicuntur cooperatio *negativa;* sex vero priores vocantur cooperatio *positiva.*

Regula generalis. *Eadem duo principia valent, quae in art. praec. de damnificatione solitaria allata sunt.* — Cum autem aliqualis exsistat difficultas in practica applicatione istorum principiorum, sequentia breviter notantur:

1. **Iubens** seu mandans [1], qui efficaciter et formaliter iustitiam commutativam laesit, tenetur ad restitutionem cum a) erga damnificatum tum b) aliquando etiam erga mandatarium.

Ratio primae partis per se patet, cum per talem iussionem strictum ius damnificati laesum sit. — Restituere autem debet iubens etiam mandatario seu exsecutori mandati damna forte habita in exsecutione mandati, si ipse vi, fraude vel abusu suae auctoritatis mandatarium induxerit ad damnificandum.

2. **Consulens,** qui suasione alterum moraliter movet ad damnum inferendum tertiae personae, tenetur ad restitutionem illius damni, quod praevidit ex suo pravo consilio secuturum.

Consilium praesertim duplex distinguitur: *doctrinale,* quo convincitur ratio, actionem aliquam esse licitam vel omnibus circumstantiis ponderatis esse faciendam vel istis aptis mediis esse perficiendam; *impulsivum,* quo fit influxus in voluntatem precibus, hortatu, promissis etc. — Qui pravum consilium datum strenue revocat, antequam damnum illatum est, iam ad nihil tenetur, si consilium fuit nudum impulsivum; sin autem fuit consilium doctrinale, tunc non sufficit mera revocatio, sed consulens tenetur omnibus viribus damnum tertiae personae praecavere. — Consulens pravam actionem ordinarie ad nihil tenetur erga *damnificantem,* nisi tamen a) dolo, fraude, mendaciis usus fuerit; b) ex officio suo debuit dare rectum consilium.

3. **Consentiens,** qui approbatione externe manifestata, suffragio vel sententia efficaciter et iniuste cooperatur ad damnum proximi, tenetur ad restitutionem. Huiusmodi prave consentientes praesertim sunt deputati, qui suis suffragiis iniustas leges condunt. Quodsi deputati vel a) ex condicto vel b) suffragiis secretis vel c) aliis modis efficaciter iniustam legem condiderunt, e. g. usurpationis bonorum ecclesiasticorum, tenentur ad restitutionem. Cum autem talis restitutio saepe sit impossibilis, attendenda sunt statuta S. Paenitentiariae hac in re specialiter lata.

4. **Palpo,** qui laudando, vituperando, adulando movet alium ad damnificandum, consulenti pravo aequiperandus est.

[1] Iussio et mandatum hic promiscue sumuntur, licet stricte loquendo inter se aliqualiter differant.

5. **Recursum praebens** seu receptans (Hehler, receleur), qui malefactori aut furi *ut tali* (non ut amico) refugium praebet, quo securius evadat contra insequentes vel quo bona furto ablata deponere possit, tenetur ad restitutionem, si efficaciter cooperatus est ad damnum alterius.

6. **Participans** duplex est: a) in *praeda,* si partem rei iniuste ablatae accipit; b) in *actione,* si alium damnificatorem adiuvat in actione iniusta. Participans in praeda restituere debet ea omnia, quae iniuste ablata accepit; participans autem in actione iniusta reparare debet damna, quorum ipsa sua actio est causa efficax et theologice culpabilis. Quandonam haec restitutio debeat fieri *in solidum* et quandonam *pro rata,* dicetur infra.

274. 7. **Cooperatores negativi,** nempe **mutus,** qui *ante* damnificationem non loquitur neque praemonet damnificandum, quamvis ad id ex officio teneatur; **non obstans,** qui, dum infertur damnum, non obstat, etsi ad hoc ex iustitia tenetur; **non manifestans,** qui *post* damnum illatum non denuntiat damnificatorem domino laeso aut superiori, quamvis ex officio ad hoc teneatur; omnes isti tenentur restituere damnum illatum, quando illud impedire potuerunt sine gravi incommodo.

Art. 3. De iniusta damnificatione per facta in bonis corporis humani.

Ordo dicendorum: 1. de iniuria contra proprium corpus; 2. de iniuria contra corpus proximi; 3. de iniuria ex stupro et adulterio orta.

§ 1. De iniuria contra proprium corpus.

Praenotamen. Homo habet quidem utile sed non absolutum dominium in suum corpus. Est enim quasi villicus Dei, ac proinde iniuriam committit erga Deum, si abutitur proprio corpore idque pessumdat; non autem (proprie loquendo) committit iniuriam erga se ipsum, cum iniuria semper spectat ad alterum.

275. **Principium 1.** *Suicidium directum et privata auctoritate factum est gravissimum peccatum contra legem divinam, naturalem, ecclesiasticam:*

a) contra legem divinam: «non occides»,

b) contra legem naturalem: laedit enim bonum communitatis et caritatem sui ipsius,

c) contra legem ecclesiasticam, quae privat suicidam sepultura ecclesiastica et suffragiis, nisi tamen suicidium vel commissum fuerit in amentia, vel fuerit prorsus occultum aut dubium, vel suicida ante mortem dederit signa paenitentiae (c. 1240).

Principium 2. *Suicidium indirectum non est licitum, nisi adsit causa proportionate gravis.*

Suicidium dicitur *directum*, quod directe intenditur et sequitur ex actione libere posita et directe mortem causante; dicitur *indirectum*, quod non intenditur sed praevidetur secuturum ex actione physica, quae tamen non directe causat mortem, sed solummodo inducit gravissimum periculum mortis.

Inter causas permittentes suicidium indirectum praecipue enumerantur bonum publicum (milites pugnantes pro patria) et bonum spirituale (parochus administrans sacramenta infectis morbo contagioso).

Illi, qui ex futili causa vitam suam periculo gravi exponunt aut abbreviant, graviter peccant.

Scholion. Desiderium mortis propriae est vel a) licitum, vel b) illicitum, vel c) aliquid imperfectum:

a) est *licitum*, si oritur ex motivo bono, quia sc. aliquis desiderat coniungi cum Deo in caelo.

b) est *illicitum*, si oritur ex pravo motivo, e. g. ex taedio vitae. Raro autem tale desiderium est graviter illicitum.

c) est aliquid *imperfectum*, si quis ex impatientia mavult amissionem vitae corporalis quam tolerare durissimam vitam.

276. De sui mutilatione. *Non licet se mutilare neque membrum sibi abscindere, nisi ad vitam corporalem salvandam.*

Ratio est, quia homo etiam de membris suis non habet nisi dominium utile, quod adhibere debet iuxta voluntatem Dei. Hinc non licet se mutilare, e. g. ad effugiendum servitium militare, aut ad castitatem servandam.

§ 2. De iniuria contra corpus proximi.

Tractabimus 1. de occisione malefactoris; 2. de occisione iniusti aggressoris; 3. de duello; 4. de bello; 5. de occisione innocentis; 6. de craniotomia; 7. de abortu.

1. De occisione malefactoris.

277. Principium. *Auctoritas publica eaque sola ius habet occidendi eos, qui commiserunt gravissima crimina.*

Ratio est, quia poena mortis est aliquando necessarium medium ad bonum commune salvandum. Nemini autem nisi auctoritati publicae incumbit cura communitatis conservandae.

Poena capitalis nequit infligi nisi propter crimina vere gravissima et plene probata.

Scholion. **De malefactoris punitione cruenta et de verberatione.** Auctoritas publica, quae legitime potest malefactorem occidere, eum potest ex sufficienti causa quoque punire mutilatione (e. g. abscisione manus) vel verberare. Sed utrumque hodie iam non usuvenit. Nemo autem alius potest mutilare proximum sine eius legitimo consensu. Quare ne medicus quidem licite potest operationem chirurgicam peragere sine consensu aegroti explicito et licito; qui quidem consensus in pueris usu rationis carentibus suppleri potest a legitimo superiore. — Verberatio iusta proximi fieri potest a legitimo superiore, non autem ab alio privato homine, nisi ad defendendum se suaque.

2. De occisione iniusti aggressoris.

278. Principium. *Licet occidere iniustum aggressorem, dummodo servetur moderamen inculpatae tutelae.*

Ratio est, quia homo habet strictum ius se suaque defendendi contra iniustum aggressorem. Non requiritur ex parte aggressoris iniustitia formalis, sed sufficit materialis. Hinc licet occidere etiam hominem amentem, qui conatur nos graviter vulnerare. — In tali occisione aggressoris servandum est *moderamen inculpatae tutelae*, i. e. non licet occidere aggressorem, nisi hoc est omnino necessarium ad servandam nostram vitam

vel tuenda magna bona nostra. Hinc non licet occidere hominem, a) si aggressio non proxime sed remote imminet (prop. 18 damn. ab Alexandro VII), b) si agitur de bonis nondum possessis (prop. 32 damn. ab Innocentio XI) aut minoris momenti (prop. 31 damn. ab Innocentio XI), c) si agitur de laesione honoris vel famae (prop. 30 damn. ab Innocentio XI); econtra licet occidere hominem, qui vult nos occidere aut mutilare aut violare quantum ad castitatem (sententia probabilis), vel quantum ad magna bona fortunae.

3. De duello.

279. **Notio.** *Duellum est certamen inter duos vel paucos, factum ex condicto de loco, tempore et armis letalibus (vel saltem graviter vulnerantibus).*

Principium. *Duellum privata auctoritate factum est graviter illicitum gravesque poenas ecclesiasticas inducit.*

Duellum est graviter illicitum, quia duellantes se exponunt gravi periculo mortis aut vulnerationis sine sufficienti motivo. Motivum duellantium ordinarie est honor salvandus; iamvero honor minime salvatur per duellum.

Poenae ecclesiasticae contra duellantes sunt:

1. *excommunicatio* Rom. Pontifici simpliciter reservata, quam incurrunt non solum ipsi duellantes sed etiam (serio) provocantes, acceptantes, quilibet complices et de industria spectantes (c. 2351, § 1).

2. *privatio sepulturae ecclesiasticae* pro illis, qui moriuntur ex vulnere accepto in duello, nisi tamen dederint signa paenitentiae (c. 1240, § 1).

3. *infamia iuris,* pro duellantibus eorumque patrinis (c. 2351, § 2),

4. *irregularitas,* quae est duplex (ex infamia iuris et ex delicto homicidii) pro illo, qui alium vulneravit aut occidit, pro aliis autem est simplex, sc. ex infamia iuris (Conc. Trid. sess. 25, c. 9; c. 2351, § 2).

Nota. Ille, qui alium invitum moraliter coegit ad duellum acceptandum illique grave damnum materiale causavit, tenetur ad restitutionem. Est enim iniustus damnificator.

4. De bello.

280. **Notiones.** *Bellum est congressio vi et armis inter duos exercitus contrarios.* Differt igitur bellum a duello, a rixa, a seditione. Bellum distinguitur: *offensivum,* quod instituitur ad satisfactionem obtinendam pro iniuria accepta; et *defensivum,* quod est repressio iniustae aggressionis ab altero principe vel regno factae. Aliquando valde difficile est distinguere inter bellum offensivum et defensivum, quia minime semper ille gerit bellum offensivum, qui primus incipit bellare.

Principium. *Ad licite incohandum bellum requiritur triplex condicio, sc. auctoritas suprema, causa iusta, intentio recta. Ad licite vero gerendum bellum servanda sunt vigentia statuta iuris gentium.*

Prima condicio per se patet.

Secunda condicio potest his verbis Francisci de Victoria explicari: «Unica et sola causa iusta inferendi bellum est *iniuria illata.*» Ergo non est causa iusta bellandi ampliatio territorii vel gloriae, immo nec etiam conversio infidelium.

Tertia condicio etiam per se patet.

Bello semel incohato oportet observare iuris gentium statuta, quorum praecipuum est: Bellum non geritur contra privatos cives, sed contra gentem qua personam publicam. Generatim autem fas est adhibere ea omnia, quae revera sunt necessaria ad frangendas hostium vires. Milites graviter peccant, si in bello iusto deserunt servitium militare aut si ad hostes transfugiunt.

5. De occisione innocentis in genere.

281. **Principium.** a) *Directe occidere innocentem numquam et nemini licitum est;* b) *indirecte autem occidere innocentem aliquando licet,*

i. e. non est peccatum, ex causa proportionate gravi aliquid in se indifferens facere aut omittere, ex quo praeter intentionem sequitur mors innocentis.

Prima pars huius principii patet ex verbis S. Scripturae: «insontem et iustum non occides» (Ex. 23, 7). Occisio hominis innocentis est peccatum in coelum clamans (Gen. 4, 10).

Secunda pars principii patet ex dictis n. 23 de voluntario indirecto. Haec occisio indirecta saepe locum habet in procuratione indirecta abortus.

6. De craniotomia.

282. **Notio.** *Craniotomia est operatio chirurgica, qua infans maturus in utero materno conciditur et concisus per partes extrahitur.*

Principium. *Craniotomia aliaeque operationes chirurgicae directe causantes mortem infantis sunt prorsus illicitae.*

Ratio est, quia craniotomia est directa occisio innocentis, quae nemini et numquam licita est, ut patet ex supra dictis. Hinc S. Officium d. 24. Maii 1884 et 19 Aug. 1889 respondit: Liceitatem craniotomiae *tuto doceri non posse.* Craniotomia autem non solum tuto doceri non potest, sed etiam est prorsus illicita, ut patet ex responso S. Officii d. 24 Iulii 1895.

In praxi aliquando possunt in bona fide relinqui medici adhibentes craniotomiam, si putant aliter se non posse salvare vitam matris. Difficulter enim convinci possunt de illiceitate istius operationis in talibus circumstantiis. — Modi liciti ad salvandam matrem et prolem in istis angustiis sunt: sectio caesarea et symphyseotomia seu pubiotomia.

7. De procuratione abortus.

283. **Notio.** *Abortus est eiectio immaturi foetus viventis ex utero materno.* Abortus distinguendus est 1. a craniotomia, quae est occisio infantis maturi in utero materno; abortus autem est occisio immaturi foetus; 2. a partus acceleratione, qua infans viabilis (i. e. 7 menses post conceptionem) modo artificiali ex utero materno extrahitur vivus.

Duplex distinguitur abortus, nempe: *casualis,* qui casu accidit sine ulla intentione; *artificialis,* qui de industria procuratur. Qui quidem artificialis abortus aut procuratur *directe,* si media adhibita per se et immediate occidunt expelluntve foetum, aut *indirecte,* si media adhibita directe et immediate ordinantur ad sanitatem matris, licet praevideantur postea expellere foetum.

Principium 1. *Ob graves rationes licet 1. accelerare partum foetus viabilis; 2. indirecte procurare abortum.*

Prima pars patet: a) ex responso expresso S. Officii d. 4 Maii 1898; b) ex eo, quod talis acceleratio est quidem periculosa pro matre et infante, sed non intrinsecus mala.

Altera pars patet ex dictis de voluntario indirecto et ex supra dictis de indirecta occisione innocentis.

Principium 2. *Directa procuratio abortus foetus viventis est graviter illicita et punitur a legibus positivis.*

Probatur. a) Directa procuratio abortus foetus viventis est directa occisio hominis innocentis, quae numquam licita est. b) Non solum corporis sed etiam animae vita per vim aufertur foetui, quippe qui saepe non baptizetur. c) S. Officium d. 14 Aug. 1889 damnavit quamcumque chirurgicam operationem directe occisivam foetus.

284. Poenae contra procurantes abortum sunt:

1. *excommunicatio reservata Ordinario* (c. 2350, § 1). Ab hac censura non excusatur ipsa mater sibi abortum procurans; excusantur vero cooperatores, non autem mandantes.

2. *irregularitas ex delicto* (c. 985, n. 4). Dispensatio huius irregularitatis est reservata Rom. Pontifici; in casu tamen urgentiore quilibet confessarius potest epikeiam adhibere, cum onere tamen infra mensem recurrendi ad S. Paenitentiariam (S. Off. 28 Mart. 1906 et 6 Sept. 1909; c. 2290).

3. *depositio pro clericis.* Haec poena est ferendae sententiae (c. 2350, § 1).

Ex iure *particulari* ecclesiastico adhuc aliae poenae infliguntur. Lex quoque civilis graviter solet punire procurationem abortus.

§ 3. De iniuria ex stupro et adulterio.

285. **Principium 1.** *Ob solum actum physicum luxuriosum etiam vi patratum nulla oritur obligatio reparationis nisi* a) *post condemnationem iudiciariam, aut nisi* b) *inde aliquod damnum materiale ortum sit.*

Ratio est, quia impossibile est auctoritate privata talem actum physicum taxare pecunia. Iudex autem legitimus potest iustam compensationem pro tali actu imponere. Si ex tali actu damnum materiale ortum est, aliquando istud damnum reparandum est, ut dicetur in principiis sequentibus.

Principium 2. *Qui vi, gravi metu, dolo mulierem (sive nuptam sive innuptam) induxit ad copulam carnalem, tenetur reparare omnia damna, quae exinde oriuntur mulieri, proli, parentibus, marito.*

Ratio est, quia talis homo est iniustus damnificator.

Principium 3. *Qui copulam carnalem habuit cum muliere (sive nupta sive innupta) sponte consentiente, ad nihil quidem tenetur respectu mulieris complicis, sed in solidum cum ea tenetur portare omnes sequelas materiales actus luxuriosi.*

Ratio primae partis est, quia scienti et volenti non fit iniuria; ratio alterius partis est, quia ambo complices sunt aeque culpabiles. — Sequela copulae potest esse a) *proles*; hinc ambo complices debent portare in solidum expensas, quae ex nativitate et educatione prolis oriuntur; b) *diminutio hereditatis* obvenientis aliis legitimis prolibus.

Quoad modum et quantitatem reparationis istorum damnorum magna prudentia opus est. Vide nostrum Manuale Theol. mor. II, n. 152.

Art. 4. De iniusta damnificatione per verba.

Praenotamen. Sequendo vestigia Angelici Doctoris agemus 1. de iniuriis verborum in iudicio; 2. de iniuriis verborum extra iudicium. In prima parte brevissime tractabuntur obligationes et defectus: iudicis, accusatoris et actoris, testium, advocati, accusati seu rei; in altera parte sermo erit de mendacio, restrictione mentali, violatione secreti, laesione honoris, laesione famae, iudicio temerario.

I. De iniuriis verborum in iudicio.

§ 1. De obligationibus et peccatis iudicis.

286. **Principium 1.** *Ad licite exercendum officium suum iudex debet* a) *esse praeditus sufficienti scientia,* b) *ferre sententiam iuxta iustas leges.*

Hinc iudex peccat, qui non sufficienter callet scientiam iuridicam, vel qui non sufficienter indagat casum iudicandum, vel qui sententiam fert contra iustas leges. Ex alia parte iudex nequit iudicare iuxta leges positivas, quae manifeste adversantur legi naturali aut divinae. Num autem iudex possit ex gravissima necessitate pronuntiare divortium matrimonii christiani validi, dicetur in tractatu de matrimonio.

Principium 2. *Sententia iudicis certo iniusta non obligat in conscientia nisi per accidens, sc. ad scandalum vel publicam perturbationem vitanda.*

Iniusta sententia iudicis est quasi lex iniusta positiva, quae non obligat, si adversatur legi naturali aut divinae, quae tamen aliquando observanda est ad maius malum vitandum.

Principium 3. *In dubiis rebus iudex debet iudicare iuxta maiorem probabilitatem; in dubia culpa iudex debet favere reo, sc. illum absolvere.*

Prima pars patet ex propositione 2. damn. ab Innocentio XI: «Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem» (Denz. n. 1152). Altera pars patet ex Regula iur. 49: «In poenis benignior est interpretatio facienda.» Nemo enim praesumitur malus, nisi probatur.

§ 2. De obligationibus et peccatis accusatoris et actoris.

287. **Notiones.** In causa civili ille, qui contra alterum in tribunali iudicem adit, vocatur *actor,* in causa vero criminali *accusator.* Accusatio proinde est delatio accusati de crimine ad vindictam publicam facta per eum, qui spondet se probaturum crimen. Accusator tenetur stricte probare

crimen, secus graviter punitur. Ab accusatione stricte dicta differt *denuntiatio*, quae est delatio criminis ad superiorem, ut iste investigare et punire possit, at non inducit strictam obligationem probandi crimen. Distinguitur denuntiatio *iudicialis*, quae tendit in punitionem delicti; et *evangelica*, quae crimen notificat superiori tamquam benigno patri et non tamquam severo iudici.

Principium. Officiales vi muneris sui debent crimina detecta denuntiare superiori legitimo; homines autem privati ad denuntiationem non stricte tenentur, nisi hoc exigat a) positiva lex (denuntiatio sollicitantis in confessione); b) bonum publicum (denuntiatio falsificatorum monetae); c) grave damnum proximi avertendum.

Omnes partes istius principii sunt clarae neque indigent probatione.

§ 3. De obligationibus et peccatis testium.

288. **Obligatio** testimonium ferendi oriri potest: a) ex *caritate* (e. g. ad evitandum damnum proximi); b) ex *iustitia commutativa*, si quis ex officio suo debet testificari; c) ex *iustitia legali* seu ex oboedientia, quando quis a iudice legitime iubetur testificari.

Excusationes a testimonio ferendo sunt a) *secretum confessionale*; b) *secretum professionale*, ita saltem ut plurimum; c) *grave damnum*, quod ex testimonio oriretur pro teste eiusve propinquis (c. 1755); d) *si iudex non legitime interrogat*; e) *si testis per iniuriam venit in notitiam rei* (cf. nostrum Man. iur. can. q. 496).

Culpa et obligationes falsi testis. Falsum testimonium habet triplicem deformitatem (ex periurio, ex violatione iustitiae, ex mendacio) et inducit obligationem gravem reparandi omnia damna materialia inde iniuste secuta. Raro autem tenetur falsus testis suum periurium cum maximo suo incommodo fateri, quia nemo tenetur se ipsum diffamare.

§ 4. De obligationibus et peccatis advocati.

289. **Obligationes** advocati sunt praesertim: a) habere sufficientem scientiam iuris et casus tractandi; b) defendere iustis mediis causas iustas; c) non exigere salarium exorbitans.

Peccata advocati sunt: violationes obligationum supradictarum et insuper tractare neglegenter causas susceptas, clienti non fideliter manifestare pericula litigii.

§ 5. De obligationibus et peccatis accusati seu rei.

290. Claritatis causa distinguuntur istae obligationes ante et post sententiam iudicis:

Ante sententiam iudicis reus a) non tenetur fateri crimen a se commissum; b) potest se defendere omnibus mediis iustis. — Disciplina moderna iudiciaria mutata est quantum ad confessionem rei. Illud principium ab omnibus veteribus theologis propugnatum: «Reus legitime et servato iuris ordine interrogatus a iudice tenetur fateri veritatem», est quidem hodie quoque verum, sed iam nequit iudex legitime cogere reum ad confitendum delictum (c. 1743 sq.).

Post sententiam iudicis reus iuste condemnatus nequit positive resistere satellitibus, ne poena infligatur; potest autem e carcere fugere. Per se patet poenam iniustam posse declinari.

II. De iniuriis verborum extra iudicium.

§ 1. De mendacio.

291. **Definitio et divisio.** *Mendacium est locutio voluntaria contra mentem.*

Distingui solet mendacium:

1. *officiosum*, quod profertur, ut prosit, quin noceat;
2. *damnosum* (seu perniciosum), quod causat proximo damnum speciale;
3. *iocosum*, quod praecipue fit nugandi et delectandi causa.

Ad mendacium reducuntur: *iactantia*, qua quis se effert supra id, quod in ipso est; *ironia*, qua quis se indebite

deprimit; *simulatio,* qua quis non verbis, sed factis falsum prae se fert; *hypocrisis*, qua quis sanctitatem vel virtutes simulat.

292. Malitia mendacii. 1. *Omne verum mendacium est intrinsecus malum, ita ut nulla prorsus ratione cohonestari possit.*

Etenim S. Scriptura indiscriminatim omne mendacium prohibet: «mendacium fugies» (Ex. 23, 7), «Nolite mentiri invicem» (Col. 3, 9). Ratio autem intrinseca est, quia mendacium repugnat a) fini naturali loquelae, quae homini data est ad manifestandos internos conceptus; b) naturali commercio hominum, quippe quod mendaciis perturbetur; c) bono proximi audientis, qui per mendacium decipitur; d) bono ipsius loquentis, qui, quamvis ex suo mendacio percipiat transitoriam utilitatem, tamen inde maiora mala patietur.

2. *Mendacium, ut opponitur soli veracitati, est peccatum veniale; ut opponitur etiam aliis virtutibus, e. g. iustitiae, religioni, potest esse peccatum mortale.*

Ratio primae partis est, quia mendacium, ut opponitur soli veracitati, nihil est nisi loquelae abusus, qui non videtur esse gravis inordinatio. Ratio alterius partis est, quia laesiones istarum virtutum sunt ex genere suo peccata mortalia.

§ 2. De restrictione mentali et amphibologia.

293. Notiones. *Restrictio mentalis* est actus mentis, quo, dum loquimur, verba restringimus ad alium ac ad obvium sensum. Si iste sensus verborum a prudenti homine propter circumstantias concomitantes subintellegi potest, restrictio vocatur *late* mentalis, secus est *stricte* mentalis.

Amphibologia est propositio habens plures sensus (Petrus est domi = adest vel edit domi).

Principium. *Numquam licita est restrictio pure mentalis; exsistente autem necessitate aut rationabili causa licet uti restrictione late mentali vel amphibologia.*

Ratio est, quia restrictio pure mentalis est purum et putidum mendacium; restrictio autem late mentalis et amphibologia non sunt nisi occultatio veritatis, quae aliquando non solum licita, sed etiam necessaria est, atque vel ab ipso Christo adhibita fuit (Io. 7, 8. Marc. 13, 22). — Generatim autem loquendo omnes restrictiones sunt pro viribus vitandae.

§ 3. De violatione secreti.

294. Notio et divisio secreti. Secretum obiective sumptum est res occulta; subiective acceptum est cognitio rei occultae atque obligatio non prodendi cognitionem acceptam. Loquimur de secreto subiective accepto, quod triplex distinguitur:

1. *naturale,* quod est obligatio aliquid occultandi orta non ex contractu aliquo sed ex ipsa natura rei, e. g. si quis cognoscit occultum peccatum probrosum alterius.

2. *promissum,* cuius occultationem aliquis alteri expresse promisit *post* iam acceptam notitiam rei.

3. *commissum* (seu rigorosum), quod non fuit communicatum nisi *praehabito pacto* (explicito vel implicito) servandi secretum. Ad secretum commissum reducuntur: secretum officiosum seu professionale (e. g. medici, obstetricis) et secretum sacramentale seu sigillum confessionale, quod est strictissimum inter omnia secreta.

Principium. *Secretum naturale obligat per se sub gravi; item secretum commissum; secretum autem promissum ordinarie per se non inducit nisi obligationem levem.*

Ratio est, quia per violationem secreti cum naturalis tum commissi laeditur stricta iustitia sive ex ipsa natura rei sive ex pacto inito; quod profecto est peccatum mortale ex genere suo. Per laesionem autem secreti promissi non laeditur nisi virtus *fidelitatis,* quae per se et ordinarie non obligat nisi sub levi, cum talis laesio nihil sit nisi purum mendacium. In praxi autem etiam secreti promissi laesio est saepe peccatum mortale, quia inde causatur grave damnum proximo, vel quia tale secretum promissum est simul secretum naturale.

295. Causa iusta manifestandi secretum est urgens necessitas boni publici aut privati.

In tali enim necessitate proximus est irrationabiliter invitus, quod secretum reveletur, seu recte censetur renuntiare iuri suo de custodia secreti. — Cum bonum publicum anteponi debeat bono privato, manifestum est secretum privatum esse prodendum, si id exigit bonum publicum. Bonum privatum respicit vel a) ipsum qui scit secretum, vel b) illum cuius interest servari secretum, vel c) tertiam personam. Necessitate postulante licet propter unumquodque ex istis tribus bonis secretum prodere (excepto secreto sacramentali).

296. De lectione litterarum alienarum. Qui litteras aut scripturas alienas *secretas* legit absque consensu mittentis vel recipientis aut absque legitima auctoritate seu iusta causa, peccat per se graviter.

Ratio est, quia alteri rapit secretum, ad quod ille strictum ius habet. Sicut enim est furtum alterius bona clam auferre, ita est furtum illicitum alterius secreta in litteris contenta investigare. — Lectio litterarum alienarum saepe non est peccatum mortale in praxi, quia tales litterae vel nullum secretum continent; vel quia legentes agunt ex conscientia erronea. Multi enim putant, non esse grave peccatum, legere litteras alienas.

§ 4. De laesione honoris.

297. **Notiones.** *Honor est testificatio de excellentia alicuius.* Quae quidem testificatio fieri potest triplici modo: verbis (e. g. laude), factis (e. g. inclinatione reverentiosa), exterioribus rebus (e. g. collatione dignitatis).

Honor laeditur praecipue per *contumeliam,* quae definiri potest: *iniusta dehonoratio personae praesentis.*

Malitia contumeliae. *Contumelia est ex genere suo peccatum grave contra iustitiam.*

Etenim laedit honorem, qui est magnum bonum, et ad quod homo strictum ius habet. — Contumeliae adiunguntur saepe alia peccata, e. g. irreligiositatis, laesae pietatis, blasphemiae, scandali. — Contumelia est leve peccatum, si fit

a) ex imperfectione actus, aut b) cum intentione non graviter laedendi honorem, aut c) si propter condicionem loquentis et audientis laesio honoris est revera parva.

Restitutio honoris laesi est necessaria sicuti restitutio boni materialis iniuste ablati. — *Modus* restituendi honorem attendendus est iuxta condicionem personae laedentis et laesae.

§ 5. De laesione famae.

298. **Notiones.** *Fama bona est communis aestimatio sermone prolata de alicuius excellentia.*

Fama laeditur diffamatione, quae est *iniusta denigratio famae alienae.* Quae quidem diffamatio a modernis theologis solet distingui in *detractionem,* quae est narratio indebita veri sed occulti criminis, et *calumniam,* quae est narratio mendax alicuius criminis revera non commissi. Veteres theologi solebant promiscue loqui de calumnia, detractione, diffamatione quantum ad earum moralitatem.

Ad detractionem reducitur quoque *susurratio,* quae est detractio, qua seminatur discordia inter amicos.

299. **Malitia diffamationis.** *Diffamatio iniusta (sive sit detractio simplex sive sit calumnia) est ex genere suo peccatum mortale cum contra iustitiam tum contra caritatem.*

Patet ex verbis S. Thomae (S. theol. 2, 2, q. 73, a. 2) dicentis: «Auferre alicui famam valde grave est, quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cuius defectum impeditur homo a multis bene agendis. Propter quod dicitur: ,Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri magni et pretiosi.' Et ideo detractio, per se loquendo, est peccatum mortale.»

Diffamationem calumniosam laedere strictam iustitiam patet ex eo, quod est mendacium *damnosum.* Diffamationem vero etiam pure detractivam laedere iustitiam eo eruitur, quia peccator occultus possidet adhuc bonam famam, a qua possessione non potest expelli nisi *ex titulo iusto.* Porro detractor non habet titulum iustum revelandi crimen occultum; secus enim iam non esset detractio, sed licita manifestatio criminis occulti. — Insuper ex detractione damnificatur *bonum sociale,* quia inde oriri solent contentiones, rixae, odia maxima, quae quidem sunt contra *caritatem,* ac proinde detractio (et a fortiori calumnia) laedit non solum iustitiam sed etiam caritatem.

Diffamatio non videtur nancisci diversam malitiam *specificam*, a) ex eo quod est calumnia aut detractio, effectus enim utriusque est idem; b) ex eo quod hoc vel illud crimen proximi indebite narratur; c) ex eo quod fit coram paucis vel multis. — In his tamen omnibus inveniuntur circumstantiae *aggravantes*; immo diffamatio calumniosa specialiter in confessione declaranda est, quia secus confessarius nequit sufficienter iudicare de gravitate peccati et reparatione famae imponenda.

Gravitas diffamationis. Ad iudicandum in praxi de gravitate diffamationis oportet attendere:

1. ad personam *loquentem*, quae, si est gravis et prudens, magis nocet, quam si est levis et garrula;

2. ad personas *audientes*, quae si sunt numerosae, loquaces vel etiam potentes, facilius aderit grave damnum, quam si sunt paucae, discretae, impotentes;

3. ad personam *laesam*, quae, si est integrae famae et magnae dignitatis, facilius grave detrimentum patitur, quam si est vilis;

4. ad *motivum*, propter quod defectus aliorum manifestantur. Nullum motivum est sufficiens calumniandi alium; possunt autem adesse motiva, quae manifestationem criminis alterius aut omnino iustificant (cf. supra n. 295 de revelatione secreti) aut saltem minus peccaminosam reddunt.

Nota. Etiam defuncti retinent ius ad famam; unde non licet eorum vitia et crimina sine sufficienti ratione revelare et divulgare.

300. Reparatio famae laesae. Iniustus diffamator tenetur ex iustitia reparare: 1. famam laesam; 2. omnia damna materialia, quae saltem in confuso praevidit secutura ex diffamatione. Prior obligatio est *personalis*, altera est *realis*, ac proinde transit ad heredes; quos tamen aliquando expedit relinquere in bona fide, si monitio praevidetur potius obfutura quam profutura.

Modus reparandi famam laesam alius adhibendus est a calumniatore, alius a simplici detractore. Calumniator debet aperte fateri falsitatem assertionis factae; detractor autem debet excusare defectus illicite revelatos omnibus quibus potest modis licitis.

Causae excusantes a reparatione famae sunt:

1. si diffamatio lapsu temporis data est oblivioni;

2. si diffamatus reparationem legitime condonavit sive expresse sive tacite. Tamquam condonatio potest aliquando haberi compensatio, i. e. si diffamatus diffamaverit quoque diffamantem, et neuter vult famam laesam reparare. — Si diffamatio nocuit non solum diffamato, sed etiam eius statui aliisque personis, condonatio reparationis nequit concedi;

3. si reparatio est impossibilis, e. g. si auditores diffamationis sunt ignoti aut adiri nequeunt, vel si reparatio fieri non potest sine damno *longe graviore* diffamantis.

§ 6. De iudicio temerario.

301. Notio et malitia. *Iudicium temerarium est firmus mentis assensus de vitio alterius sine ratione sufficienti (conceptus vel etiam manifestatus).*

Iudicium temerarium proprie dictum est ex genere suo peccatum mortale contra iustitiam.

Ratio est, quia laedit strictum ius, quod proximus habet ad bonam aestimationem, donec contrarium sit vere probatum. — Condiciones autem, ut iudicium temerarium sit realiter peccatum mortale, sunt: 1. ut sit perfecte deliberatum; 2. ut sit plene temerarium, i. e. ut cognoscatur indicia esse insufficientia ad probandam exsistentiam criminis; 3. ut sit de gravi vitio proximi. Satis raro adsunt omnes istae condiciones, ideoque satis raro quoque iudicium temerarium est peccatum mortale.

CAPUT IV. De restitutione seu de reparatione iuris laesi.

Ordo dicendorum: 1. de obligatione restitutionis in genere; 2. de radicibus restitutionis faciendae; 3. de modo et circumstantiis restitutionis; 4. de causis a restitutione excusantibus.

Art. 1. De obligatione restitutionis in genere.

302. Notio. Restitutio sumitur vel *late,* et tunc est quaelibet rei acceptae redditio, quo sensu locum habet etiam in contractu mutui vel depositi; vel *stricte,* et tunc est *damni illati compensatio.* Restitutio accidere potest ex damno vel culpabiliter vel inculpabiliter illato.

Principium. *Restitutionis obligatio oritur ex violatione solius iustitiae commutativae, non autem iustitiae legalis aut distributivae.*

Ratio est, quia restitutio facit strictam aequalitatem rei ad rem. Iamvero in sola iustitia commutativa habetur stricta aequalitas rei ad rem, i. e. inter datum et acceptum, inter damnum et compensationem. In iustitia enim legali et distributiva habetur sola aequalitas *proportionis* (S. Thomas, S. theol. 2, 2, q. 61, a. 2). Saepe autem laesio iustitiae legalis aut distributivae includit laesam iustitiam commutativam, et tunc sane per accidens inducit obligationem restitutionis.

Nota. Laesio etiam iustitiae commutativae non inducit obligationem restitutionis, nisi damnum *materiale* reapse secutum est. Disputant theologi, num etiam ex causato damno mere *personali,* e. g. vulnere, doloribus, contumelia, stupro etc., oriatur obligatio restitutionis. Sententia affirmativa videtur esse theoretice verior, sed in praxi nequit imponi stricta obligatio restituendi, nisi intercedat sententia iudicis.

303. Necessitas restitutionis. *Reparatio damni notabilis facta in re vel saltem in voto est de necessitate salutis.*

Ratio est, quia conservare iustitiam est de necessitate salutis. Iamvero qui non restituit (cum potest) a) iniuste ablatum, b) iniuste possessum, c) damnum iniuste illatum, non conservat sed violat iustitiam. Ergo talis restitutio est de necessitate salutis. Hinc Regula iur. 4 in VI° breviter dicit: «Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.»

Sin autem restitutio realis est impossibilis, requiritur et sufficit restitutio *in voto,* i. e. firmum propositum restituendi, quamprimum id erit possibile.

Art. 2. De radicibus restitutionis faciendae.

304. Praenotamen. S. Thomas veteresque theologi, sumentes restitutionem in sensu lato, solent exprimere duas radices restitutionis hoc modo: homo tenetur restituere vel 1. ratione *rei acceptae,* vel 2. ratione *acceptionis rei.* Propter rem acceptam debet restituere rei alienae possessor bonae et malae fidei; propter acceptionem rei oritur obligatio restitutionis a) ex omni delicto formali, quod reale damnum causat proximo, sive hoc sit furtum, sive iniusta damnificatio, b) ex nonnullis contractibus, e. g. ex mutuo, deposito. — Moderniores theologi, sumentes restitutionem in strictiore sensu, solent assignare tamquam radices restitutionis: 1. rem alienam *possessam,* 2. rem alienam *damnificatam.* Cum postea specialis sermo habendus sit de obligatione orta ex contractibus, nunc tractamus de duabus istis radicibus restitutionis stricte dictae. — Cooperatio immerito a nonnullis theologis tamquam specialis radix restitutionis assignatur; reducitur enim ad alterutram ex iam assignatis radicibus, sc. vel ad iniustam ablationem vel ad iniustam damnificationem.

§ 1. De prima radice restitutionis seu de possessione rei alienae.

305. Notiones. Potest aliquis rem alienam possidere vel detinere triplici modo: 1. bona, 2. mala, 3. dubia fide. Hinc de obligationibus possessoris bonae, malae, dubiae fidei agendum erit.

Fructus rei distinguuntur:

1. *naturales,* qui a re sine ulla fere industria humana producuntur, e. g. herba in campis;

2. *industriales,* qui econtra praecipue ex industria humana acquiruntur, e. g. lucrum negotiationis;

3. *mixti,* qui aequaliter fere ex natura rei et ex industria humana effluunt, e. g. butyrum;
4. *civiles,* qui proveniunt ex locatione rei.

Expensae distinguuntur:
1. *necessariae* ad rei conservationem;
2. *utiles* ad rei incrementum;
3. *voluptuariae* ad solum rei ornamentum.

1. De possessore bonae fidei.

306. Principia generalia.

1. *Res clamat, perit, fructificat domino, neque quis cum alterius iniuria vel iactura locupletari debet.*

Ita conformiter ad antiquum ius Romanum docent omnes theologi. Iura tamen moderna hac in re introduxerunt nonnullas modificationes, quas adhibere licet etiam in foro conscientiae, e. g. quantum ad fructus perceptos ex re aliena.

2. *In dubiis melior est condicio possidentis.*

Ita exigit bonum et reipublicae et civium. Secus enim ordo socialis perturbaretur.

Iura et obligationes.

Possessor bonae fidei a) tenetur, ubi primum certo cognoscit rem esse alienam, eam reddere legitimo domino;

b) liber est ab omni obligatione, si res possessa periit;

c) acquirit rei alienae possessae verum dominium post legitimam praescriptionem;

d) acquirere solet (iuxta iura moderna) omnes rei fructus perceptos in bona fide;

e) potest exigere compensationem omnium expensarum utilium et necessariarum, deductis tamen fructibus perceptis.

Pro praxi in foro conscientiae attendendae sunt imprimis leges civiles uniuscuiusque regionis. Deinde cum melior sit condicio possidentis, in dubio favendum est possessori bonae fidei. Demum in unoquoque casu videndum est, num possessor habeat legitimum titulum acquirendi rem, eiusque aequivalens et fructus rei.

2. De possessore malae fidei.

307. Principium. *Possessor malae fidei tenetur restituere totum damnum legitimo domino causatum et praevisum.*

Hinc a) debet rem ipsam restituere, si adhuc exsistit, vel aequivalens pretium dare, si res periit;

b) debet restituere fructus rei tam naturales quam civiles, quos ipse percepit; vel etiam quos dominus percepisset, etsi ipse non percepit;

c) generatim debet resarcire domino omne damnum emergens et lucrum cessans, quod saltem in confuso praevidit;

d) potest deducere rei expensas utiles et necessarias, non autem mere voluptuarias.

3. De possessore dubiae fidei.

308. Possessor dubiae fidei est ille, qui ex gravi ratione positive dubitat, utrum res a se possessa sit sua an aliena. Dubia fides potest esse vel superveniens vel antecedens, secundum quod orta est vel post vel ante possessionem rei.

Obligationes. 1. In casu dubiae fidei *supervenientis* possessor sedulo investigare debet ad dubium solvendum; quodsi nihilominus dubium perseverat, potest rem retinere; melius est enim condicio possidentis. Sin autem moraliter constat, rem possessam esse alienam, possessori incumbunt omnia iura et obligationes *possessoris bonae fidei,* de quibus supra dictum est.

2. In casu dubiae fidei *antecedentis* possessor debet rem arreptam restituere pristino possessori. Sine titulo enim sufficienti arripuit rem. Sin vero titulo *legitimo* (emptione, hereditate etc.)

accepit rem a possessore dubiae fidei, tenetur sedulam investigationem facere de legitimo domino illique detecto rem tradere. Quodsi dubium perseverat, debet *pro rata dubii* restituere, vel etiam rem dubiam erogare in pauperes aut in causas pias.

§ 2. De altera radice restitutionis seu de iniusta damnificatione.

309. Praenotamen. Cum iam supra (n. **271** sq.) sufficienter dictum sit, quandonam ex iniusta damnificatione oriatur obligatio restitutionis, pauca dicenda remanent de restitutione facienda ab iniustis cooperatoribus. Difficultas enim oriri potest, qua mensura et quo ordine isti iniusti cooperatores restituere debeant. Triplex enim est huiusmodi mensura: 1. obligatio restituendi *in solidum absolute*, i. e. obligatio unius cooperatoris totum damnum reparandi, quin habeat recursum ad ceteros damnificatores; 2. obligatio restituendi *in solidum condicionate*, i. e. obligatio unius cooperatoris totum quidem damnum reparandi, sed cum condicione, si alii cooperatores neglegunt partem iis incumbentem restituere. Toto damno sic reparato, cooperans potest congruam compensationem exigere a ceteris cooperatoribus; 3. obligatio restituendi *pro rata*, i. e. obligatio reparandi illam solam partem damni, quae suae cooperationi respondet.

310. Principium 1. a) *Ille, qui (adiuvantibus aliis) est causa principalis totius damni, tenetur restituere in solidum absolute;* b) *qui vero est causa aequalis totius damni, debet restituere in solidum condicionate;* c) *qui demum est causa damni partialis, tenetur restituere pro rata influxus.*

Ratio primi est, quia ille, qui est causa principalis totius damni, ceteras concausas non adhibet nisi ut instrumenta. Iustum est autem, ut sola causa principalis (et non eius instrumenta) damnum causatum reparet.

Ratio secundi est, quia actio uniuscuiusque cooperatoris influxit in *totum* damnum, proindeque quilibet cooperator tenetur totum damnum reparare, si alii cooperatores partem damni nequeunt vel nolunt reparare

Ratio tertii est, quia cooperator in isto casu non causavit nisi *partem* damni, quam proinde reparare debet.

Principium 2. *Si cooperatores eodem gradu et modo damnum intulerunt, singuli aequaliter restituere debent; secus tenentur sequenti ordine:* 1. *qui rem nunc detinet;* 2. *mandans;* 3. *exsequens;* 4. *ceteri cooperatores positivi;* 5. *cooperatores negativi.*

Hoc principium vix eget explicatione et probatione.

Art. 3. De modo et circumstantiis restitutionis.

Expenditur: 1. cuinam, 2. quo tempore, 3. quo loco, 4. quo modo sit restituendum.

311. 1. Cuinam est restituendum? Respondetur cum distinctione:

a) Si dominus rei laesus est *certus et notus*, ordinarie facienda est restitutio ipsi vel eius successori.

Dixi: ordinarie, quia in aliquibus casibus licitum est restituendam summam dare pauperibus aut causis piis, e. g. quando restituendum esset societati prorsus pravae, vel reipublicae, vel nonnullis assecurationibus. Latius egi de istis exceptionibus in Man. Theol. mor. II 229 sqq.

b) Si dominus rei laesus, etiam diligenti inquisitione facta, remanet *ignotus*, tunc possessor bonae fidei potest rem sibi retinere; possessor vero malae fidei debet rem dare aut pauperibus aut causis piis.

c) Si dominus rei laesus, peracta diligenti inquisitione, remanet *dubius*, tunc res meliore quo fieri potest modo dividatur inter paucas personas, de quibus est dubium; vel, si dubium est inter multas personas, ita ut conveniens distributio moraliter sit impossibilis, res detur pauperibus aut causis piis.

Hinc mercator, qui compluribus et nunc ignotis emptoribus damnum intulit, e. g. adulterando merces aut diminuendo pondus vel mensuram, potest restituere augendo pondus vel mensuram aut diminuendo pretium, si *iidem fere emptores* solent adhuc redire ad emporium; secus debet restituere pauperibus vel causis piis.

312. 2. **Quo tempore seu quandonam est restituendum?**

℟. Restitutio facienda est, quamprimum id fieri potest, moraliter loquendo. Hinc peccat graviter, qui sine sufficienti causa notabiliter differt restitutionem materiae gravis; et insuper debet damna reparare, quae ex culpabiliter dilata restitutione oriuntur legitimo domino.

3. **Quo loco seu ubi est restituendum?**

℟. a) Possessor bonae fidei satisfacit obligationi restituendi rem ex errore possessam, si eam *in loco possessionis* tradit liberae dispositioni legitimi proprietarii.

b) Possessor malae fidei vel iniustus damnificator debet suis sumptibus rem restituere in loco, ubi dominus eam habiturus esset, si ea non fuisset ablata. Quodsi hoc est moraliter impossibile, res potest dari pauperibus vel causis piis.

Si res restituenda casu vel culpa tertii perit in transmissione, possessor bonae fidei ad nihil tenetur, quia res perit domino; possessor vero malae fidei aut iniustus damnificator iterum curare debet, ut dominus reddatur indemnis; idque videtur valere, etiam si restitutio tentata fuit ope confessarii.

4. **Quomodo est restituendum?**

℟. Id unum requiritur, ut restitutio eo modo fiat, quo iustitia violata reparatur ad aequalitatem. Potest igitur restitutio fieri secreto vel per modum donationis vel per alium hominem etc.

Art. 4. De causis a restitutione excusantibus.

Distinguuntur causae absolute eximentes ab omni restitutione et causae excusantes solummodo ad tempus.

§ 1. De causis eximentibus.

313. Causae absolute eximentes ab omni restitutione enumerantur quinque: condonatio, compensatio, praescriptio, compositio, necessitas extrema.

1. **Condonatio** seu remissio debiti (sive expressa sive tacita sive rite praesumpta) obligationem restituendi exstinguit, dummodo a) sit omnino *libera*, i. e. immunis ab omni errore, fraude, vi et metu, b) sit facta ab eo, qui habet potestatem condonandi iuxta ius tam naturale quam positivum. Generatim qui non prohibentur facere donationes, possunt etiam concedere condonationem.

2. **Compensatio** est reciproca exstinctio duorum debitorum aequalium et certorum, e. g. A debet B 100 marcas; B debet A rem valoris 100 marcarum. Potest reciprocum debitum exstingui per compensationem.

3. **Praescriptio** non exstinguit post legitimum tempus nisi debitum possessoris *bonae fidei*. Cf. quae supra n. 259 dicta sunt de requisitis ad legitimam praescriptionem.

4. **Compositio,** quae est debiti remissio a Summo Pontifice facta, non potest locum habere nisi a) in bonis ecclesiasticis, b) in bonis, quae debentur incertis dominis. In Hispania et Lusitania habentur vi bullae «Cruzada» speciales facultates de hac compositione facienda.

5. **Extrema aut quasi-extrema necessitas** non eximit absolute ab obligatione restituendi, nisi desit fundata spes hanc necessitatem pellendi. Secus inde oritur tantum excusatio temporalis.

§ 2. De causis excusantibus ad tempus.

314. Causae ad tempus excusantes a restitutione praecipue sunt: impotentia temporanea, cessio bonorum.

1. **Impotentia** temporanea restituendi est vel *physica,* quando debitor nihil habet, ex quo restituere posset; vel *moralis,* quando debitori aut alii personae grave damnum oriretur ex restitutione. Durante alterutra impotentia obligatio restituendi non urget, cum nemo ad impossibile teneatur.

315. 2. **Cessio bonorum** dicitur ille actus, quo debitor impar solvendi bona sua cedit, ut creditores saltem secundum aliquam proportionem recipiant pecuniam illis debitam. Talis cessio bonorum per se non exstinguit in conscientia obligationem plenae restitutionis, sed solum suspendit, quousque debitor iterum erit capax solvendi. In nonnullis regionibus codices civiles videntur tamen, cessione bonorum iuridice peracta, omnem obligationem restituendi exstinguere. Statuta iusta iurium civilium possunt, immo aliquando debent observari in conscientia, quando determinant iura et obligationes debitoris bona cedentis.

QUAESTIO IV.

De contractibus.

Tota haec quaestio dividitur in duo capita: 1. de contractibus in genere, 2. de praecipuis contractibus in specie.

Caput I. De contractibus in genere.

Tractamus: 1. de notione et divisione contractuum, 2. de requisitis ad contractum, 3. de effectu seu de obligatione contractus.

Art. 1. De notione et divisione contractuum.

316. **Notio.** *Contractus est duorum pluriumve in idem placitum consensus signo sensibili manifestatus, pariens obligationem saltem in uno contrahentium.*

Ita ex iure Romano. Ad contractum igitur requiruntur actus intellectus, i. e. placitum, et actus voluntatis, i. e. consensus, qui quidem est propria causa cum efficiens tum formalis contractus.

Divisiones. Inter multiplices contractuum divisiones videntur sequentes pro usu confessarii magis necessariae:

1. contractus *formalis* seu *expressus,* qui fit verbis aut scriptis formaliter exprimentibus consensum contrahentium; et *virtualis* seu *tacitus,* qui habetur implicite in susceptione alicuius muneris, e. g. medici. Contractus tacitus solet vocari *quasi-contractus;*

2. contractus *unilateralis,* qui causat obligationem ex una tantum parte contrahentium, e. g. promissio gratuita; et *bilateralis,* qui producit pro utroque contrahente obligationem, e. g. emptio-venditio;

3. contractus *commutatorius* seu *certi eventus,* qui versatur circa res omnino determinatas, e. g. emptio talis rei pro tali pretio; et contractus *aleatorius* seu *incerti eventus,* qui versatur circa res dependentes a futuro et fortuito eventu, e. g. assecuratio, sponsio;

4. contractus *gratuitus,* qui cedit in utilitatem unius contrahentis solum, e. g. donatio; et *onerosus,* qui imponit utrique contrahenti onus, e. g. locatio. — Omnis contractus bilateralis est aliqualiter onerosus.

317. *Scholion.* **De legis civilis valore in contractibus.** Valent leges civiles irritare nonnullos contractus in foro non solum externo sed etiam interno. Huiusmodi enim potestas necessaria est ad efficacem societatis directionem. Num autem irritantes leges civiles de facto totaliter annullent aliquem contractum, an solum declarent rescindibilem, est quaestio facti, quae solvenda est in singulis materiis. Generatim, nisi contrarium est clarum, contractus, qui sunt irriti iuxta legem civilem, possunt etiam in foro conscientiae tamquam irriti considerari. Cf. infra n. 320.

Quae ius civile in unoquoque territorio de contractibus statuit, agnoscuntur quoque a iure canonico, nisi ex tali statuto laedatur ius naturale aut ecclesiasticum (c. 1529).

Art. 2. De requisitis ad contractum.

318. Quattuor essentialiter requiruntur ad contractum: 1. materia apta, 2. persona capax, 3. consensus legitimus, 4. forma conveniens.

1. **Materia apta** contractus exigit complures qualitates, nempe ut sit:

a) *possibilis* cum physice tum moraliter,
b) *exsistens* in re aut saltem in spe,
c) *propria contrahentis,*
d) *pretio aestimabilis,*
e) *honesta et licita.*

Res spiritualis non est pretio temporali aestimabilis, ideoque si venditur, contractus est simoniacus et prorsus invalidus (c. 729).

Ex defectu honestatis *contractus turpis* potest, immo debet rescindi, *antequam* opus malum praestitum est. Sin autem opus malum iam praestitum est, non est inhonestum, solvere pretium stipulatum. Hinc probabilius est validus contractus turpis, *praestito opere malo.* Cum tamen complures theologi doceant omnimodam nullitatem contractus turpis, hinc in praxi melius est agere iuxta adagium: «Melius est condicio possidentis», i. e. pretium acceptum pro opere turpi patrato potest retineri, sed etiam potest recusari solutio istius pretii stipulati.

2. **Persona capax** ad contrahendum est omnis homo, dummodo a) habeat usum rationis, b) ne sit specialiter prohibitus a lege positiva. Propter defectum usus rationis incapaces sunt ad contrahendum infantes, amentes, perfecte ebrii etc. Propter prohibitionem legis positivae solent esse incapaces (saltem partialiter) ad contrahendum minorennes, uxores, civiliter mortui, religiosi sollemniter professi etc.

319. 3. **Consensus** necessarius ad contrahendum nonnullis dotibus sit ornatus oportet et nonnullis vitiis pessumdatur.

Dotes consensus. Consensus debet esse:

a) verus seu internus,
b) liber et deliberatus,
c) externe manifestatus,
d) mutuus.

Vitia consensus sunt:

a) error et dolus, quibus intellectus decipitur;
b) vis et metus, quibus voluntatis libertas laeditur.

Error substantialis, qui sc. versatur circa ipsam substantiam contractus vel circa condicionem, sine qua non initus fuisset contractus, reddit illum prorsus invalidum. Deest enim tunc consensus necessarius. Error *accidentalis,* qui versatur circa sola accessoria, per se non reddit contractum invalidum, saepe tamen illum reddit rescindibilem. Ex errore enim accidentali non quidem tollitur, sed tamen minuitur consensus, ac propterea iura positiva recte statuunt rescindibilitatem nonnullorum talium contractuum, praesertim si error causatus fuit ex dolo.

Quae dicta sunt de errore, valent quoque de dolo, qui adest, si alter contrahens fraudibus et fallaciis alienis inducitur ad contrahendum.

Vis reddit contractum invalidum, quia destruit libertatem.

Metus, nisi perturbat usum rationis, non invalidat contractus. Ita ex iure naturali, et ratio est, quia etiam sub metu remanet libertas contrahendi. Ex iure autem positivo nonnulli contractus, e. g. matrimonium, professio religiosa, propter gravem metum initi, declarantur invalidi. Omnes fere contractus sunt *rescindibiles,* si intercessit in iis metus. Cf. quae supra n. 32 hac de re dicta sunt.

320. 4. **Forma externa** determinata non praescribitur ulla in contractibus perficiendis. Sufficit, ut consensus contrahentium clare manifestetur. Ita ex iure naturali; ex iure autem positivo saepe sub poena nullitatis quaedam determinata forma exigitur, e. g. in venditione immobilium.

Utrum sunt validi in conscientia contractus, qui sunt initi sine forma legali?

a) Si deest forma essentialiter requisita a *iure ecclesiastico,* contractus est nullus in foro cum externo tum interno. Hinc contractus sponsalitius factus praetermissa forma legitime praescripta (cf. c. 1017) est omnino invalidus in utroque foro. b) Si deest forma requisita a *iure civili,* tunc non concordant theologi: alii volunt contractum esse in foro conscientiae validum; alii docent illum esse invalidum; alii demum affirmant praeferendum esse possessorem, donec per iudicis sententiam ad restitutionem obligetur. Haec ultima sententia videtur esse observanda in praxi.

Art. 3. De effectu seu de obligatione contractuum.

321. Triplex distinguitur obligatio contractuum: *naturalis,* quae ligat ex ipsa natura contractus, sed in sola conscientia; *civilis,* quae oritur ex lege civili et obligat in solo foro civili; *mixta,* quae valet cum in foro conscientiae tum in foro civili.

Gravitas obligationis contractuum solet mensurari ex gravitate materiae; praesertim autem attendendae sunt clausulae, quae contractui adiciuntur et constituunt *contractum qualificatum*

Praecipui contractus qualificati sunt:

a) *contractus sub condicione.* Omissis condicionibus de praeterito et praesenti, quae contractum reddunt validum vel invalidum, prout sunt verificatae vel non, *condicio de futuro* est vel suspensiva vel resolutoria. Prima suspendit obligationem futuram, altera resolvit obligationem

exsistentem. Condicio *turpis* contractui adiecta ordinarie illum reddit nullum, utpote de re inhonesta ac proinde moraliter impossibili. Aliquando autem talis condicio consideratur tamquam non adiecta, e. g. in contractu matrimoniali.

b) *Contractus sub modo* ille est, in quo stipulatur usus seu finis materiae, de qua contrahitur, e. g. do tibi hanc summam, ut emas libros. Talis contractus non invalidatur, si modus non impletur. In praxi difficilis est aliquando distinctio inter contractum modalem et condicionatum.

c) *Contractus sub die* ille est, cuius exsecutio ad determinatum diem procrastinatur. Talis contractus statim quidem obligat, sed non pro statim exsecutioni mandatur.

322. d) *Contractus, cui adiungitur iuramentum.* Regula generalis: Contractus per iuramentum additum non mutatur in ratione contractus, qui proinde, si fuerit invalidus, non validatur per iuramentum. In contractu autem valido iurato est duplex obligatio: altera iustitiae, altera religionis. — Iusiurandum (promissorium) per vim aut metum gravem extortum valet, sed a superiore ecclesiastico relaxari potest (c. 1317, § 2).

Caput II. De contractibus in specie.

Caput istud dividitur in tres articulos: 1. de contractibus gratuitis, 2. de contractibus onerosis commutatoriis, 3. de contractibus aleatoriis.

Art. 1. De contractibus gratuitis.

Praenotamen. Contractus gratuiti sunt vel unilaterales, ut promissio, donatio; vel bilaterales, ut commodatum, precarium, depositum, sequestrum, mandatum, negotiorum gestio, mutuum et usura.

§ 1. De promissione gratuita.

323. Notio. *Promissio gratuita est contractus, quo quis liberaliter et spontanee se obligat ad aliquid alteri praestandum aut omittendum.* Tria igitur ad promissionem gratuitam requiruntur: 1. animus vere se obligandi, 2. voluntas spontanea et libera ab omni vi, metu, errore, 3. manifestatio et acceptatio promissionis.

Obligatio promissionis gratuitae, cum ex sola veracitate et fidelitate oriatur, *per se* non videtur esse nisi levis. Ita sententia certo probabilis, cui contradicunt tamen nonnulli opinantes violationem promissionis acceptatae esse grave peccatum, dummodo adsit gravis materia, quae sc. est *quadruplo maior* quam in furto.

Per accidens obligatio promissionis potest esse gravis, si nempe 1. ex laesa promissione alteri causatur grave damnum, 2. si promittens intendit se obligare graviter. Quae quidem intentio censetur adesse in promittente, a) qui promissionem firmat iuramento, b) qui promittit stipulando gravem materiam, c) qui promittit coram notario, d) qui dicit: obligo me, in quantum possum.

Cessatio promissionis accidit iuxta S. Thomam (S. theol. 2, 2, q. 110, a. 3 ad 5), 1. quando res promissa est illicita, 2. quando res promissa vel circumstantiae rei aut personae notabiliter mutantur. Praeter duas istas rationes afferuntur a modernis theologis duae aliae: si promissarius sponte condonat; si, promissione mutua facta, alter promissis non steterit.

§ 2. De donatione.

324. Notio et divisiones. *Donatio est liberalis datio alicuius rei propriae alteri acceptanti.*

Solet distingui:

1. donatio *pure liberalis* et *antidoralis* seu remuneratoria. Prima, quae est sola donatio stricte dicta, non supponit ullam obligationem in donatore; altera econtra supponit obligationem gratitudinis;

2. donatio *inter vivos, mortis causa, per testamentum.* Prima transfert *actualiter et irrevocabiliter* dominium (saltem radicale) rei donatae in donatarium. Altera transfert quidem dominium rei, sed *revocabiliter* usque ad mortem donatoris, e. g. do tibi summam 1000 marc., sed habendam post mortem meam, nisi tamen ea aliter eguero. Tertia demum non transfert dominium nisi *futuro tempore,* sc. post mortem donatoris..

1. De donatione in genere.

325. Condiciones requisitae. Ad licitam donationem requiruntur: a) donator habilis, b) donatarius habilis, c) res apta, d) forma praescripta, e) demum acceptatio ex parte donatarii.

a) *Donator habilis* est ille solus, qui habet et dominium et liberam administrationem rei donandae. Quinam in particulari sint inhabiles ad donandum, definitur a iure positivo ecclesiastico et civili. Communiter solent esse plus minusve inhabiles ad dona facienda: minorennes, amentes, prodigi, uxores, religiosi etc.

b) *Donatarius habilis* ad recipienda dona est omnis, qui est capax dominii. Hinc vel ipse homo conceptus (licet nondum natus) potest dona recipere. Ex iure civili in nonnullis circumstantiis aliquae personae excluduntur a donis recipiendis, e. g. iuxta ius Gallicum medici nequeunt accipere dona proprie dicta ab aegrotis (art. 909).

c) *Res apta* donationis sunt omnia bona, quorum habet donator liberam dispositionem.

d) *Forma* donationis faciendae (e. g. coram notario) non raro praescribitur a lege positiva. Generatim donationes illegales, i. e. factae sine forma praescripta, possunt considerari ut validae in foro conscientiae, donec legitimus iudex eas resciderit.

e) *Acceptatio* donatarii (saltem praesumpta) est necessaria ad omnem donationem.

Revocationem donationis permittunt aliquando iura, e. g. si donatio sit inofficiosa, i. e. contra pietatem, laedens partem legitimam filiorum; si donatori nascatur proles insperata; si donatarius magnam ingratitudinem ostenderit donatori.

2. De donatione inter vivos et mortis causa.

326. 1. De donatione *inter vivos* valent ea omnia, quae supra de donatione in genere dicta sunt.

2. Donatio *mortis causa* confert ius in re, sed condicionatum; parum differt a legato testamentario. In compluribus regionibus donationes mortis causa, in quantum sunt distinctae a legatis testamentariis, iam suppressae sunt a legibus civilibus.

3. De donatione per testamentum.

327. **Notiones praeviae.** Quamvis successio hereditaria non sit contractus, stricte loquendo, quoniam non simul exsistit consensus conferentis et acceptantis hereditatem, tamen merito reducitur ad contractum donationis. Etenim per illam et notanter per testamentum transfertur gratuito modo dominium in alios.

Successio hereditaria est vel *legalis seu ab intestato,* qua ius succedendi oritur ex dispositione legis sine expressa voluntate defuncti; vel *testamentaria,* qua ius succedendi oritur ex ultima voluntate testatoris.

Hereditas est universitas bonorum ad defunctum pertinentium. *Heres* seu recipiens bona defuncti est vel *universalis* (ex asse), si recipit omnia bona defuncti; vel *ex parte,* si non recipit nisi partem istorum bonorum. Insuper distinguitur heres *necessarius,* qui vi legis positivae nequit excludi a successione hereditaria nisi in casibus determinatis; et heres *arbitrarius,* qui a testatore libere vocatur ad hereditatem.

Pars seu *portio legitima* est illa hereditatis pars, quae heredibus necessariis relinqui debet ex statuto legis positivae.

Testamentum est totalis dispositio ultima de bonis propriis.

Codicillus est additio explicativa vel mutativa adiuncta ad testamentum iam factum.

Legatum est res determinata, quae iuxta voluntatem testatoris tradi debet ex massa hereditaria alicui personae.

328. **Forma testamenti** sub poena nullitatis solet determinari a legibus positivis. Principaliores formae sunt:

a) testamentum *ordinarium,* quod in ordinariis circumstantiis legaliter perficitur; et *extraordinarium,* quod ex privilegio (ideoque vocatur quoque testamentum privilegiatum) in extraordinariis circumstantiis agnoscitur ut legale, e. g. testamentum factum a militibus in bello;

b) testamentum *scriptum,* quod fit a notario iuxta formas legales; *nuncupativum,* quod oraliter fit a testatore coram testibus; *holographum,* quod totum propria manu testatoris est conscriptum et subscriptum.

329. **Valor testamenti informis** seu carentis forma a lege stabilita non potest negari, dummodo constet de vera voluntate testatoris. Ita ex iure naturali et ante sententiam iudicis declarantis nullitatem huiusmodi testamenti. *Post sententiam* vero iudicis istud testamentum est nullum etiam in foro conscientiae, si agitur de *causis profanis.* Ratio est, quia talis sententia iudicis est iusta et in conscientia observanda. Sin autem agitur de testamento ad *causas pias,* tunc etiam post sententiam iudicis irritantem tale testamentum probabiliter remanet validum, quia istae causae piae non debent detrimentum sumere ex sententia iudicis. Verumtamen in praxi saepe expedit aut compositionem petere a Romano Pontifice, aut heredes relinquere in bona fide, idque vel eo magis, cum Codex iur. can. c. 1513, § 2 statuat: «In ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint, heredes *moneantur,* ut testatoris voluntatem adimpleant.»

Acceptatio testamenti in proprium commodum facti non potest ab aliquo stricte exigi. Testamentum enim est species donationis, quae recusari potest. Licet acceptare testamentum et hereditatem «sub beneficio inventarii», ita ut heres non teneatur solvere debita testatoris ultra valorem hereditatis.

330. **Revocatio testamenti** eiusque mutatio semper licite fieri potest a testatore, nisi tamen factum est inter duas personas sic dictum «pactum hereditarium». Post mortem testatoris commutari potest testamentum a supremo principe, qui habet dominium altum in bona subditorum. Testamenta ad causas pias facta aequiperantur votis et iuramentis, ac proinde a Rom. Pontifice commutari possunt. Talia autem testamenta interpretari possunt etiam Ordinarii, qui iuxta statutum Codicis iur. can. (c. 1515 1517) sunt exsecutores eorum.

4. De donatione praesumpta seu de successione ab intestato.

331. **Obligationes testatoris.** a) Ex ipso iure naturali testator tenetur filiis, coniugi aliisque propinquis versantibus *in egestate* convenientem partem fortunae relinquere. Id enim exigit virtus cum pietatis tum caritatis.

b) Sufficientes rationes subtrahendi portionem legitimam heredibus necessariis non tantum sunt illae, quae in diversis codicibus civilibus determinantur, sed etiam quaelibet alia causa iusta, e. g. vita immorigera heredis.

c) Testator probabilius non tenetur ad restitutionem, si portionem legitimam heredum necessariorum donationibus, dilapidationibus etc. subtraxerit. Ratio est, quia non laesit iustitiam commutativam, cum heredes non habeant strictum ius ad hereditatem.

332. **Obligationes heredum.** a) Heredes necessarii non possunt se occulte compensare, si eorum portio legitima a testatore diminuta est; possunt autem adire iudicem ad obtinendam portionem debitam.

b) Heredes necessarii tenentur conferre in acervum hereditatis ea bona (non prorsus gratuita), quae iam durante vita testatoris acceperunt.

§ 3. De commodato, precario, deposito, sequestro, mandato, negotiorum gestione.

333. 1. **Commodatum** (Leihvertrag, prêt à usage, loan) est gratuita concessio alicuius rei non fungibilis ad solum et determinatum usum certumque tempus. Si pro hac concessione exigitur pretium, iam est contractus onerosus, nempe locatio.

334. 2. **Precarium** (Bittleihe) est idem ac commodatum, cum hac sola differentia, ut res commodata quolibet momento ad libitum possit repeti (L. 1 Dig. 43, 26).

335. 3. **Depositum** (Aufbewahrungsvertrag) est custodia alicuius rei mobilis alteri concredita sub ea condicione, ut ad arbitrium depositoris reddatur.

336. 4. **Sequestrum** (Hinterlegung einer strittigen Sache) est species depositi; deponitur enim res *litigiosa* apud tertiam personam (quae vocatur sequester) ea condicione, ut lite dirempta victori tradatur.

Codex iur. can. c. 1675, § 2 et 3 statuit: «Sequester in re custodienda, curanda et servanda non minorem diligentiam adhibere debet quam suis adhibet rebus, eamque postea, cui iudex decreverit, reddere tenetur cum omni causa. — Iudex congruam decernat mercedem sequestri, si eam petat.»

337. 5. **Mandatum** est contractus, quo suscipitur negotium nomine alterius gerendum.

338. 6. **Negotiorum gestio** (Vertretung ohne Vollmacht) est mandatum praesumptum,

sc. quasi-contractus, quo quis alterius negotium ex praesumpta eius voluntate, non autem ex mandato expresso suscipit, e. g. qui assumpsit rem inventam, debet interim gerere negotium proprietarii.

Nota. In omnibus recensitis contractibus oportet attendere ad leges positivas, quae illos iam non ut gratuitos sed ut onerosos solent habere.

§ 4. De mutuo et usura.

339. **Notiones.** *Mutuum* (Darlehensvertrag) est contractus, quo dominium rei primo usu consumptibilis et fungibilis alteri traditur cum obligatione, ut res eiusdem valoris suo tempore reddatur. Obiectum mutui est igitur res primo usu consumptibilis et fungibilis, et hodiernis temporibus praesertim *pecunia*. *Usura* «est acceptio pretii pro usu rei mutuatae» (S. Thomas). *Foenus,* quamvis secundum vim nominis non differat ab usura, tamen nunc solet sumi pro lucro licite percepto ex mutuo propter causas cohonestantes.

Principium. *Usura proprie dicta est contra ius positivo-divinum, ecclesiasticum, naturale.*

a) Ius *divinum* praecipit: «Mutuum date, nihil inde sperantes» (Luc. 6, 35; cf. Ex. 22, 25; Lev. 25, 35—37; Ez. 18, 8 13).

b) Ius *ecclesiasticum* in quinque Conciliis oecumenicis (Lat. III IV V, Lugdun. II, Vien.) et in compluribus propositionibus damnatis severe prohibuit usuram (cf. c. 1543).

c) Ius *naturale* vetat idem bis vendi. Atqui in rebus fungibilibus et primo usu consumptibilibus res earumque usus sunt idem moraliter seu non habent diversum pretium. Ergo qui

accipit pretium pro ipsa re mutuata et insuper pro usu istius rei, bis idem vendit et peccat contra ius naturale. Quare belle dicit S. Leo Magnus: «Foenus pecuniae funus est animae.»

340. **Causae extrinsecae foenus cohonestantes** enumerari solent quinque:

1. *periculum sortis,* quod est rationabilis timor, ne mutuans non recuperet rem suam;

2. *poena conventionalis,* quae est pecunia solvenda in casu, quo mutuatarius ex culpabili mora redditionem sortis (rei mutuatae) ultra stipulatum tempus differat;

3. *lucrum cessans* est defectus alicuius lucri *proxime* sperati, quod mutuans certo habuisset, si pecuniam mutuatam aliis usibus deputasset;

4. *damnum emergens* est detrimentum, quod mutuans subire debet propter contractum mutui;

5. *praemium legale* est titulus percipiendi foenus, quem instituit lex civilis ad mercaturam fovendam. Iste titulus agnoscitur etiam a iure ecclesiastico, si praemium seu lucrum legale non est immoderatum. Immo aliquando licet de lucro maiore quam legali pacisci, si iustus et proportionatus titulus suffragetur (c. 1543).

In praesenti rerum condicione semper fere adsunt causae (praesertim lucrum cessans et damnum emergens), ob quas licet moderatum foenus percipere ex pecunia mutuata. Quodnam autem foenus sit moderatum, nequit mathematice determinari, sed debet iudicari ex periculo sortis, lucro cessante etc.

341. *Scholion.* De montibus pietatis, arcis parcimoniae, mensis nummulariis, quae sunt instituta ad percipiendum moderatum foenus, nihil speciale dicendum superest, sed iis applicanda sunt generalia principia iustitiae et contractuum (cf. nostrum Man. theol. mor. II 289).

Art. 2. De contractibus onerosis commutatoriis.

§ 1. De emptione et venditione in genere.

342. **Notio.** Emptio et venditio sunt duo contractus correlativi unum integrum conficientes, qui solet dici: emptio-venditio, et definiri potest: *contractus onerosus dandi mercem pro pretio et pretium pro merce.*

1. De merce et de obligatione venditoris.

343. **Merx** seu obiectum venditionis potest esse quaecumque res pecunia aestimabilis et propria vendentis, nisi tamen specialis prohibitio iuris positivi adsit. Si res non aestimatur pecunia, non habetur venditio proprie dicta, sed *permutatio,* e. g. dare decem oves pro vacca, aut *cambium,* e. g. dare monetam helveticam pro moneta germanica. Nonnullae res vendi prohibentur a iure positivo nisi sub specialibus cautelis, e. g. venenum, arma.

Obligationes venditoris sunt:

a) non exigere pretium iniustum. Quodnam pretium sit iustum, infra dicetur;

b) tenetur manifestare emptori defectus *substantiales* rei vendendae. Ratio est, quia, si emptor ignorat defectus substantiales rei, contractus emptionis est nullus ob errorem substantialem. Defectus autem substantiales rei vendendae censentur ii, qui illam notabiliter inutilem reddunt ad finem *primarium* et notum emptoris. Defectus quoque *accidentales* emptori interroganti manifestandi sunt. Potest tamen venditor declinare responsionem dicendo: vendo rem, sicuti est;

c) tenetur rem physice vel saltem moraliter eandem tradere, quam emptor intendit acquirere.

Ergo venditor iniuste agit, si e. g. loco vini naturalis, quod intendit emptor emere, tradit vinum artificiale;

d) tenetur rem venditam emptori tradere in eo statu, in quo erat tempore venditionis. Oportet attendere ad statuta legis civilis hac in re lata.

2. De pretio et de obligatione emptoris.

344. **Obligationes emptoris** sunt ea omnia implere, quae in contractu emptionis iuste stipulata sunt, e. g. de modo et tempore accipiendi mercem, solvendi pretium etc.; praesertim autem debet emptor solvere pretium *iustum.*

Notio et qualitas pretii. *Pretium est valor rei pecunia expressus.* Undenam autem valor rei sit mensurandus, non est facilis quaestio: utrum ex communi aestimatione an ex propria utilitate vendentis aut ementis. S. Thomas et S. Alphonsus docent valorem ac proinde iustum pretium rei esse desumendum:

1. ex valore intrinseco rei;

2. ex damno emergente aut lucro cessante, quod ex venditione oritur venditori.

345. **Distinctiones pretii.** Solet distingui triplex pretium: legale, vulgare, conventionale.

1. *Pretium legale* est illud, quod auctoritate publica vel lege est statutum, e. g. in schedulis viae ferreae, in medicamentis pharmacopolae etc.

Pretium legale observandum est *ex iustitia commutativa,* nisi sit manifeste iniustum. Ratio est, quia istud pretium legitime statuitur propter bonum commune ab auctoritate publica, quae habet dominium altum in bona subditorum. Proinde istud pretium est vere iustum, et omne aliud discordans solet esse iniustum. Quare notabilis laesio pretii legalis ordinarie inducit obligationem restitutionis (paucis casibus exceptis).

2. *Pretium vulgare* dicitur illud, quod *communi* hominum aestimatione pro locorum et temporum varietate determinatur. Non consistit in indivisibili, quare tres eius gradus solent assignari: summum, medium, infimum. Deficiente pretio le-

gali observandum est pretium vulgare, ita ut vendere ultra pretium summum et emere infra pretium infimum sit contra iustitiam commutativam. Ratio est, quia pretium vulgare determinatur communi aestimatione, quae debet praesumi iusta.

Sunt plures tituli extrinseci, ob quos licet excedere limites pretii vulgaris. Sic e. g. licet carius *vendere:* a) ob lucrum cessans aut damnum emergens, quod causatur venditori ex venditione; b) ob specialem affectum venditoris ad rem vendendam; probabilius autem non licet rem carius vendere ob specialem emptoris affectum, quippe qui non sit proprietas venditoris; c) ob modum vendendi, si e. g. res in parva quantitate minutatim vendi debet (Kleinverkauf). — Similiter licet vilius *emere* ob plures causas externas, e. g. a) ob lucrum cessans vel damnum emergens, quod oritur emptori; b) ob ultroneam oblationem rei emendae; c) ob modum specialem emendi, e. g. in magna quantitate.

3. *Pretium conventionale* est illud, quod libera conventione emptoris et venditoris determinatur. Huiusmodi pretium est iustum, dummodo a) desit rei emendae pretium legale aut vulgare, b) desit fraus vel metus.

346. *Scholion.* **De pecunia falsificata.** Ad restitutionem tenentur non solum ipse falsificator (eiusque cooperatores) pecuniae sive metallicae sive papyraceae, sed etiam omnes, qui scienter utuntur pecunia falsificata in pretio solvendo. Ratio primi est per se obvia; ratio secundi est, quia pecunia falsificata non est *pretium iustum* rei emendae. Neque a restitutione est excusatus ille, qui expendit huiusmodi falsificatam pecuniam, eo quod ipse in bona fide illam recepit. Nam eo quod ipse cum proprio damno deceptus est, non habet ius decipiendi tertiam personam innocentem. — Restitutio facienda est illi, cui data est falsificata pecunia. Qui si nullum damnum passus est eo, quod et ipse hanc pecuniam expendit, restitutio facienda est illi, qui revera damnum passus est; demum, si iste est ignotus, valor pecuniae dandus est pauperibus vel causis piis.

§ 2. De quibusdam emptionis-venditionis speciebus.

347. 1. **De venditione sub hasta.** Haec venditio, quae etiam vocatur auctio vel licitatio, est vel *iudiciaria,* nempe a iudice imposita, vel *voluntaria,* nempe a proprietario sponte instituta. Iustum pretium in hac venditione est omne id, quod absque fraude ab ultimo licitatore offertur et acceptatur a vendente. Ratio est, quia sic fert communis populi usus, cui consentit legislator.

348. 2. **De monopolio,** quod est exclusiva potestas vendendi certas merces uni vel paucis venditoribus tributa, solent statuere leges civiles (monopolium legale). Quibus statutis non sufficientibus monopolia privata haud raro adhibentur ad extorquenda pretia exorbitantia et iniusta. In genere autem monopolium non est iniustum.

349. 3. **De venditione per proxenetas** (Makler, commissionaire, agent) applicanda sunt principia generalia contractuum et damnificationis cooperativae.

§ 3. De locatione et conductione.

Notio et divisio. Locatio est contractus onerosus, quo alteri pro certo pretio conceditur usus vel usus-fructus alicuius rei, aut promittuntur quaedam operae vel aliquod opus. Ille, qui concedit usum vel usum-fructum, vocatur locator; ille autem, qui solvit pretium, locatarius. Solet triplex locatio distingui:

350. 1. **Locatio rerum** (Pacht- oder Mietvertrag), qua conceditur usus vel usus-fructus alicuius rei, e. g. domus, camerae, est similis contractui emptionis-venditionis, cuius principia supra indicata sunt applicanda.

2. **Locatio operis faciendi** (Werkvertrag) in stricto sensu nihil aliud est quam contractus emptionis-venditionis. Pro determinato enim opere faciendo, e. g. pro domo aedificanda, pro veste conficienda, solvitur pretium stipulatum (vulgo: Akkordarbeiten, contrat d'entreprise). Cum iste contractus sit quadamtenus aleatorius, susceptor operis tenetur omnes condiciones initas adimplere, etiam casu quo exinde damnum patiatur. Si tamen inopinate accidunt casus impraevisi, e. g. epidemia, fulgura, tunc stipulationes prius factae modificandae sunt iuxta statuta legis civilis.

351. 3. **Locatio operarum vel laboris** (Arbeits- oder Lohnvertrag) vocatur etiam con-

ductio seu contractus laboris. Obiectum huius contractus est labor personalis, seu potius vis operativa, quam alter alteri locat pro determinato tempore. Iste contractus praesertim initur inter dominum et operarios.

352. **Obligationes dominorum** aliae sunt ex iustitia, aliae ex caritate.

Ex iustitia domini obligantur:

a) aequum salarium statuto tempore solvere;

b) concedere sufficiens tempus ad implenda officia religiosa et domestica;

c) non plus imponere operis, quam vires operariorum ferre queant.

Ex caritate domini obligantur:

a) benigne tractare operarios illisque subvenire in necessitatibus;

b) favere institutis et decretis, quibus operariorum condicio iuste melioratur.

353. **Obligationes operariorum** breviter complectitur Leo XIII in Encyclica «Rerum novarum» d. 15 Maii 1891:

a) «quod libere et cum aequitate pactum operae est, id integre et fideliter reddere»;

b) «non rei ullo modo nocere»;

c) «non personam violare dominorum», e. g. opprobriis, calumniis etc.;

d) «in ipsis tuendis rationibus suis abstinere a vi, nec seditionem inducere umquam, nec commisceri cum hominibus flagitiosis». — Quibus verbis prohibetur operistitium *iniustum,* quod fit e. g. cessando ab operis, quando conductio iusta nondum finita est, vel exigendo salarium excessivum aliasve condiciones indebitas. Sed inde minime licet concludere, omne operistitium esse intrinsecus malum.

354. **De morali indole operistitii.** Operistitium (vulgo: Streik, strike, grève, sciopero) est communis multorum operariorum secessio ex condicto ad quaedam emolumenta ab heris consequenda. Solet distingui operistitium *defensivum,* quod instituitur ad iniustas oppressiones heri tollendas; et operistitium *meliorativum,* quod fit ab operariis ad maius salarium vel ad breviorem facilioremve laborem obtinendum, licet salarium hucusque receptum non sit prorsus insufficiens neque labor excessivus. Operistitium defensivum est licitum, dummodo ne praesto sit aliud medium ad se licite defendendum contra iniustitias heri. Operistitium meliorativum ne intrinsecus quidem malum est, dummodo fiat 1. tempore conductionis finito, 2. adsit causa proportionate gravis, 3. ne adhibeantur media iniusta. Nihilominus rarissime expedit facere operistitium, cum ex eo saepe oriantur enormia damna cum materialia tum moralia sive pro operariis sive pro heris sive pro communitate. Proinde totis viribus procuranda est pacifica compositio discordiarum inter herum et operarios ortarum.

355. **De iusto salario.** Distinguitur salarium seu merces *individualis,* quae sufficit ad convenientem sustentationem ipsius operarii solius; et merces *familialis,* quae insuper sufficit ad sustentationem familiae proximae operarii.

Merces individualis debetur operario *ex iustitia commutativa.*

Ratio est, quia operarius strictum ius habet ad convenientem victum iuxta illud: «dignus est operarius cibo suo», neque tenetur mendicare. Sunt tamen duae exceptiones: 1. si annona carior fuerit et labor parcior; 2. si operarius est infirmitate aut senio confectus. In quibus casibus herus non tenetur ex stricta *iustitia* (aliquando tamen ex caritate) dare perfectam mercedem individualem, quia hoc esset nimia aggravatio. Tunc autem respublica debet subvenire operariis.

Merces familialis concedenda quoque est in statu normali industriae operario valido.

Dicitur: *in statu normali industriae;* nam, quando industria mercatoria est in statu angustiarum, tunc et operarii angustias tolerare debent. Deinde dicitur: *operario valido;* nam operario infirmo ne stricte quidem debetur merces individualis, ut dictum est. Ratio autem, quare operarius ordinarie habeat

ius ad salarium familiale, est, quia habet ius ad matrimonium ineundum; quo inito debet membra familiae suae sustentare laboribus suis.

Art. 3. De contractibus aleatoriis.

356. Notio. Contractus aleatorii, sic dicti ab alea, i. e. ab incerto eventu, ii sunt, quibus incertum lucrum quaeritur aut damnum avertitur, pretio certo dato.

Principium generale. *Omnes contractus aleatorii liciti sunt, dummodo:*

1. *alea sit moraliter aequalis inter utrumque contrahentem;*
2. *nullae fraudes committantur;*
3. *nullum adsit scandalum nullaque iusta prohibitio legis positivae.*

§ 1. De assecurationibus.

357. Notio. *Assecuratio est contractus, quo quis pro certo pretio se obligat ad compensanda damna, quae alter ex involuntario casu pati potest.* Obiectum igitur huius contractus est periculum susceptum, quod in diversis rebus accidere potest, e. g. periculum incendii, grandinis, mortis. In nonnullis tamen speciebus sic dictae assecurationis vitae solvitur annuale pretium non propter periculum forte futurum, sed ad determinatam summam pecuniae habendam tempore fixo.

Requisita ad iustam assecurationem. Contractus assecurationis est iustus:

1. si praemium (quotannis) persolvendum moraliter respondet gravitati periculi, in quo res assecurata versatur;
2. si assecuratus sincere declarat rei valorem et pericula, quibus res exponitur, neque ex graviter culpabili neglegentia rem in periculum inducit;

3. si fideliter observantur ea, quae a lege positiva aut a stipulationibus particularibus iuste initis statuta sunt.

358. Assecuratio vitae inter diversas species assecurationis praecipue notanda est cum propter eius frequentiam, tum propter difficultates, quae oriri possunt in conscientia. Istae difficultates proveniunt ex eo, quod assecuratus fraudibus usus est in sic dictis «declarationibus», vel si medicus nimis benigne descripserit statum valetudinis hominis assecurandi. In praxi autem, nisi fraus sit evidentissima et gravis, confessarius non facile debet obligare assecuratum ad restitutionem, quia a) societates assecuratrices sunt cautissimae, ita ut rarissime in gravem errorem inducantur; b) quia leges civiles favent validitati contractus, nisi adfuerit fraus revera substantialis et manifesta; c) quia saepe difficillimum est determinare, ex quonam morbo mors acciderit.

Quomodo restituendum sit societatibus assecuratricibus damnificatis, dictum est supra n. 311.

§ 2. De sponsione.

359. Notio. *Sponsio* (Wette, pari, betting) *est contractus, quo duo vel plures de veritate alicuius rei contendentes ponunt praemium pro eo, qui veritatem fuerit assecutus.* Sponsio igitur ordinarie est contractus bilateralis onerosus; aliquando tamen unus solus spondens obligationem in se suscipit, e. g. spondeo me esse perfecturum cursum istum tempore unius horae, secus dabo 10 francos pauperibus.

Liceitas sponsionis. Sponsiones licitae sunt, dummodo a) fiant ex honesto fine, b) sint circa obiectum aptum, scil. rem licitam et utrimque dubiam.

Codices civiles moderni propter varios abusus, qui facillime oriuntur, totaliter aut partialiter prohibent aut etiam irritant sponsiones. Statuunt enim, a) ut ex sponsionibus nulla oriatur obligatio solvendi; b) ut ille, qui ex sponsione aliquod lucrum percepit, non teneatur illud restituere. Quae quidem statuta videntur esse legitima atque etiam ordinarie possunt observari in conscientia.

§ 3. De ludo.

360. **Notio et divisio.** *Ludus est contractus aleatorius, quo conceditur praemium illi, qui in aliquo certamine ob delectationem inito victoriam obtinuerit.*

Finis igitur omnis ludi debet esse honesta recreatio. Sin autem alius finis principaliter intenditur, ludus aut est illicitus, aut iam non est ludus, sed aliquod salarium pro opere.

Ludus dividitur in a) *industrialem*, in quo eventus ludi potissimum dependet ab artificio ludentis, e. g. ludus pilae; b) *aleatorium*, qui sola fortuna ac ne vix quidem industria innititur, e. g. ludus alearum; c) *mixtum*, qui regitur partim fortuna partim industria, e. g. complures ludi chartarum.

Principium. Ludus cum pacto lucri factus est licitus, dummodo sequentes condiciones observentur:

1. ut ludentes possint libere disponere de re, quam ludo exponunt;
2. ut ludus fiat cum plena libertate ac deliberatione;
3. ut spes lucri sit moraliter aequalis inter ludentes;
4. ut in ludo vitentur fraudes;
5. ut in ludo neque principaliter neque nimis avide quaeratur lucrum.

Nota. Cum ludi, in quibus exponitur lucrum, sint periculosissimi propter graves deordinationes inde saepe sequentes, confessarius eos prudenter impugnet.

§ 4. De loteria.

361. **Notio.** *Loteria est contractus aleatorius, quo soluto certo pretio ius acquiritur obtinendi aliquod praemium, si sors faverit.*

De loteria, cum nihil aliud sit nisi ludus aleatorius, valent ea omnia, quae dicta sunt de ludo.

De speculationibus bursae, quae sunt contractus aleatorii frequentissimi nostris diebus, non potest brevius dici, quam ea quae habentur in nostro Manuali Theol. mor. II 321. Unde ibi videsis.

SECTIO II.

De partibus potentialibus virtutis iustitiae.

362. **Ordo dicendorum.** Sequendo vestigia Angelici Doctoris oportet tractare, postquam de ipsa virtute iustitiae dictum est, de virtutibus, quae sunt annexae virtuti iustitiae. Tales virtutes (partes potentiales iustitiae) enumerantur novem vel decem: 1. religio; 2. pietas; 3. observantia; 4. oboedientia; 5. gratitudo; 6. vindicatio; 7. veritas; 8. affabilitas; 9. liberalitas; 10. epikeia. Tractatus de virtute religionis continet ea fere omnia, quae praecipiuntur tribus prioribus praeceptis Decalogi; tractatus vero de virtutibus pietatis, observantiae, oboedientiae complectitur ea, quae in quarto praecepto Decalogi mandantur. Hinc haec sectio altera convenienter subdividitur in tres quaestiones:

1. de virtute religionis, seu de tribus prioribus praeceptis Decalogi;
2. de virtutibus pietatis, observantiae, oboedientiae, seu de quarto praecepto Decalogi;
3. de reliquis partibus potentialibus iustitiae.

QUAESTIO I.

De virtute religionis (seu de tribus prioribus Decalogi praeceptis).

Agemus 1. de natura religionis; 2. de diversis actibus religionis; 3. de vitiis religioni oppositis.

Caput I. De natura religionis.

363. **Notio etymologica** nominis religionis solet quadruplex afferri. Religio derivatur: 1. a *relegere*. Ita Cicero; 2. a *reeligere*. Ita S. Augu-

stinus; 3. a *religare.* Ita Lactantius; 4. a *relinquere.* Ita Massurius Sabinus.

Notiones reales. Sunt quamplurimae diversae acceptiones religionis. *Acatholici* sumunt religionem vel pro affectu subiectionis erga Deum (sententia communior) vel pro morali naturali, vel in aliis sensibus, quos non vacat afferre. *Catholici* sumunt religionem: 1. in sensu *obiectivo* pro determinato modo credendi aut colendi Deitatem (religio christiana, iudaica, mohammetana); 2. pro *tota vita morali* (Iac. 1, 27); 3. pro *speciali statu hominum* (status religiosus, e. g. religio Dominicanorum, Franciscanorum etc.); 4. pro *speciali virtute morali.* Quae quidem virtus religionis definitur:

virtus moralis inclinans ad debitum cultum exhibendum Deo, ut nostro supremo principio.

Subiectum virtutis religionis distinguitur duplex: remotum et proximum. Subiectum *remotum* sunt illae personae seu entia, in quibus religionis virtus invenitur; subiectum vero *proximum* est illa potentia animae, in qua virtus residet.

Subiectum remotum virtutis religionis sunt a) homines (etiam Christus), b) animae in purgatorio, c) angeli in caelo; econtra virtus religionis deest a) animalibus aliisque entibus irrationalibus, b) diabolis et damnatis, c) peccantibus formali peccato irreligiositatis.

Subiectum proximum non est alia potentia nisi *voluntas.*

364. **Necessitas religionis** oritur a) *ex lege naturali* stricte praecipiente cultum Dei, b) *ex lege positiva divina* V. et N. Testamenti mandante cultum Dei, c) *ex lege humana* ordinante cultum Dei et puniente irreligiositatem.

Haec necessitas religionis se extendit ad Dei cultum cum a) internum, tum b) externum, tum c) (aliquando) publicum.

Caput II. De actibus virtutis religionis.

365. Actus praecipui religionis sunt: devotio, oratio, adoratio, sacrificium, usus sacramentorum, votum, iuramentum, adiuratio, sanctificatio quorundam dierum. De sacrificio et

sacramentis dicetur in speciali tractatu sacramentorum; de reliquis autem nunc est agendum.

Art. 1. De devotione.

366. **Notio.** Nomine devotionis solent tria significari:

1. quaedam exercitia pietatis (devotio erga Eucharistiam);

2. *attentio et quaedam consolatio spiritualis in oratione* (Andacht). In hoc sensu dicimus: feci meditationem cum magna devotione;

3. *primus actus virtutis religionis,* quo sensu **devotio est voluntas quaedam (i. e. actus voluntatis) prompte tradendi se ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum.** Ita S. Thomas. Est igitur idem fere actus ac ille, qui proponit facere omnia ad maiorem Dei gloriam (gute Meinung, la bonne intention), in quantum tamen talis actus immediate procedit a virtute religionis et non a caritate.

Causae devotionis sunt vel *externae:* gratia Dei, bonum exemplum atque influxus moralis aliorum hominum devotorum; vel *internae:* contemplatio Dei beneficentiae, maiestatis, humanitatis Christi, nostrae dependentiae a Deo creatore, gubernatore, motore.

Effectus devotionis sunt complures:

1. *laetitia spiritualis;*

2. *devotio accidentalis seu affectiva* (devotio in 2° sensu supra accepta);

3. *facilitas et promptitudo peragendi ceteros actus religionis;*

4. *optimus influxus etiam in corporales gestus et agendi modum* (cf. nostrum Man. theol. mor. II 330).

Art. 2. De oratione.

§ 1. De notione et divisione orationis.

367. Notio. Oratio (in sensu theologico) sumitur tripliciter:

1. *latissime* pro quolibet actu religionis, immo pro tota vita religiosa (oratio vitalis);

2. *late* pro omni pio motu mentis in Deum; quo sensu definitur a S. Ioanne Damasceno: „ascensio mentis ad Deum". Elicere actus fidei, spei, caritatis est orare in hoc sensu;

3. *stricte* pro oratione deprecatoria, quo sensu definitur oratio item a S. Ioanne Damasceno: „petitio decentium a Deo". — Orationibus deprecatoriis minime intendimus Deo nostras necessitates manifestare, quippe quas cognoscat Deus omniscius iam ante manifestationem nostram; neque etiam volumus precibus nostris mutare providentiae divinae decreta, cum hoc sit impossibile propter Dei immutabilitatem. Primarius finis (praeter cultum divinum) orationis nostrae deprecatoriae est, removere obstacula in nobismetipsis exsistentia, quae impletionem nostri desiderii impediunt. Orando enim exercemus omnes fere virtutes: humilitatem, fidem, spem, caritatem etc.

Subiectum *remotum* orationis est idem ac subiectum religionis (cf. supra n. 363). Certum est, animas in purgatorio posse orare in sensu lato; eas posse etiam orationes deprecatorias stricte dictas fundere, docet sententia probabilior. — Subiectum *proximum* orationis non est voluntas, sed *ratio practica*, cum orare nihil aliud sit nisi loqui cum Deo et manifestare desiderium; quae quidem sunt actus rationis practicae.

368. Divisio orationis. Distingui solent:

1. oratio *mentalis* seu interna et oratio *vocalis* seu externa. Oratio mentalis perficitur actibus internis et subdividitur in meditationem simplicem (quae consistit in pia et *discursiva* consideratione veritatum religiosarum) et contemplationem (quae consistit in pia et *intuitiva* consideratione atque admiratione veritatum religiosarum) [1]. Oratio vocalis perficitur mente et signis externis;

2. oratio *publica* et oratio *privata*. Ut oratio censeatur publica, requiruntur duo: ut fiat a ministro publico, ut fiat nomine Ecclesiae (cf. c. 1256). Sacerdos etiam in privata recitatione Officii divini peragit orationem publicam; sin autem idem sacerdos privatim recitat Rosarium, peragit orationem privatam; non enim orat nomine Ecclesiae.

Nota. Omnis oratio publica debet esse *vocalis*.

§ 2. De obiecto orationis.

369. 1. **Quae in oratione peti possunt?** *Hoc licet orare, quod licet desiderare* (S. Augustinus). Ergo ab oratione nihil prorsus excluditur, nisi id quod est *moraliter* malum, seu peccatum.

2. **Pro quibus orandum est?** *Licet orare pro omnibus et singulis creaturis gloriae aeternae capacibus.* Ergo excluduntur ab oratione nostra soli damnati in gehenna. Ex iure autem positivo ecclesiastico aliquando a suffragiis et orationibus *publicis* arcentur excommunicati, ut dicetur in tractatu de censuris.

3. **Ad quem orationes nostrae sunt dirigendae?** *Solus Deus est orandus ut is, qui per semetipsum praestare potest ea, quae petimus; licitum autem atque utile est invocare sanctos aut angelos, ut intercedant pro nobis ad Deum.*

Invocationem sanctorum et angelorum esse licitam et utilem definivit Concilium Trid. (sess. 25); eam esse absolute *necessariam* pauci theologi (Sylvius, Boeckhn) docuerunt.

Privatas (non autem publicas) orationes licet dirigere etiam ad animas in purgatorio exsistentes et ad infantes baptizatos mortuos.

---

[1] Recte distinguitur contemplatio ordinaria, quae a quolibet iusto acquiri potest, et contemplatio extraordinaria, quae ex speciali instinctu Spiritus Sancti exercetur, et quidem aliquando cum exstasi aliisque gestis miraculosis.

§ 3. De necessitate orationis.

370. Propositio. *Non solum utilis est omnibus adultis oratio, sed etiam necessaria necessitate praecepti; immo communiter necessitate medii.*

1. Omnibus adultis orationem esse utilem patet a) ex eo, quod est tam excellens actus religionis; b) ex eo, quod tam insignes gratias nobis procurat.

2. Omnibus adultis orationem esse necessariam *necessitate praecepti* patet ex multis textibus S. Scripturae, e. g.: «Vigilate et orate» (Matth. 26, 41); «Oportet semper orare et non deficere» (Luc. 18, 1); «Sine intermissione orate» (1 Thess. 5, 17).

3. Omnibus adultis orationem esse necessariam etiam *necessitate medii* (saltem communiter et de lege ordinaria) est sententia communior et probabilior. Pulchre exprimit hanc orandi necessitatem S. Benedicti Regula commentata: «Sicut nobis semper necessarius est halitus ad vitam carnis, sic omnino necessaria est continua oratio ad sanitatem mentis. . . . Facilius crederem hominem sine anima quam religiosum perfectum sine oratione consistere.» Idem probatur ratione: Absolute necessarium est colere divinam maiestatem. Iamvero cultus Dei impossibilis est sine pio affectu mentis in Deum; quod quidem est oratio saltem in lato sensu.

371. Quandonam obligat praeceptum orandi?

Per se obligat hoc praeceptum saepius in vita, sed nequit accurate determinari, quoties orare debemus *ex lege divina*. Communiter docent theologi hoc praeceptum per se obligare: 1. *initio vitae moralis*, quando scil. homo rationis capax debet primo se convertere ad Deum; 2. *in periculo mortis*.

Per accidens obligat hoc praeceptum: 1. quoties urget aliud praeceptum, quod sine oratione impleri nequit, e. g. Missa dominicalis audienda; 2. quando ad peccandum gravis insurgit tentatio, quae non nisi orando vinci potest; 3. in calamitatibus gravibus, praesertim publicis.

372. Nota. 1. Cum praeceptum orandi obliget per se saepius in vita, paenitentes, qui iam a compluribus annis neque sacramenta susceperunt neque Missam audiverunt, interrogandi sunt in confessione, num toto isto tempore etiam orationem neglexerint. — Ratio est, quia huiusmodi neglegentia est speciale peccatum (saltem obiective loquendo).

2. Nullibi invenitur lex *communis* praescribens preces matutinas et vespertinas, ante et post prandium, cenam; ideoque omissio talium precum neque per se est peccatum neque exinde sufficiens materia absolutionis. In praxi autem fideles valde sunt hortandi, ne istas preces omittant, cum secus priventur multis gratiis ad vitam cotidianam necessariis.

§ 4. De orationis efficacia eiusque condicionibus.

373. I. *Oratio debitis condicionibus praedita producit tres effectus primarios et complures secundarios.*

a) Effectus primarii sunt 1. meritum, 2. satisfactio, 3. impetratio.

Ad 1. Oratio meretur *de condigno* augmentum gratiae et gloriae, dummodo sit debite facta ab homine iusto. — Ratio est, quia quodlibet opus bonum hominis iusti viatoris procedens ex radice caritatis meretur istud duplex augmentum.

Oratio hominis peccatoris debitis condicionibus vestita meretur *de congruo* triplex bonum, quia a) disponit ad gratiam sanctificantem, b) consequitur bona temporalia, c) assuefacit bonis operibus. (S. Thomas, Suppl. q. 14, a. 4.)

Ad 2. Oratio est satisfactoria; habet enim omnes condiciones requisitas ad satisfactionem, cum sit opus bonum, arduum, ex gratia procedens. Hinc confessarii solent imponere quasdam orationes in salutarem paenitentiam et satisfactionem.

Ad 3. Oratio est impetratoria, a) in quantum est bonum opus, ut iam dictum est; b) prout est petitio a Deo acceptata.

b) **Effectus secundarii** sunt e. g. illuminatio intellectus, augmentum fidei, spei, caritatis, humilitatis aliarumque virtutum, consolationes spirituales etc.

374. II. *Oratio debitis condicionibus praedita habet ex Dei promissione infallibilem efficaciam impetrandi.*

Id apparet ex multis textibus S. Scripturae, e. g.: «Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur» (Matth. 7, 7). «Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis» (Io. 16, 23).

III. *Condiciones requisitae ad efficaciam orationis attendendae sunt* a) *ex parte obiecti,* b) *ex parte subiecti,* c) *ex parte illius, pro quo petitur.*

Ex parte obiecti requiritur, ut res petita non obsit, sed prosit saluti aeternae.

Ex parte subiecti orantis requiruntur α) status gratiae, β) humilitas, γ) fiducia, δ) perseverantia, ε) attentio. Ad attentionem necessariam infra sermo redibit.

Ex parte illius, pro quo petitur, necessarium est, ut sit dispositus ad gratiam petitam recipiendam, vel saltem ne obstaculum ponat.

375. De attentione ad orationem necessaria.

Distinguitur duplex attentio: altera *externa,* altera *interna.* Cum attentio opponatur distractioni, attentio externa illa est, quae excludit distractiones externas, scil. omnes illos actus externos, qui hominem ita occupant, ut eius mens amplius non iam valeat attendere ad sensum orationis. Sic e. g. attentio externa deest, si quis, durante oratione, legit, vel pingit, vel facit aliud opus indigens acri advertentia; non autem, si facit, durante oratione, deambulationem aut aliud opus leve non exigens multum considerationis. Haec attentio externa in vero sensu potest vocari attentio, cum per illam homo attendat, ne oratio perturbetur per occupationes externas. Sicut enim custos, qui attendit, ne ferae irrumpant in hortum floridum, recte dicitur habere attentionem de horto, ita a pari orans, qui abigit occupationes externas, habet attentionem de oratione.

Attentio interna excludit distractionem internam seu divagationem mentis ad res orationi extraneas. Quae quidem

attentio interna potest versari circa tria obiecta: 1. circa *verba orationis,* ita ut ista verba debito modo pronuntientur (attentio materialis seu superficialis); 2. circa *sensum verborum* (attentio litteralis seu intellectualis); 3. circa *finem orationis,* scil. ad colendum Deum (attentio spiritualis seu mystica). Tertia haec attentio est perfectior ceteris; secunda est perfectior quam prima. Notandum est insuper attentionem internam esse vel actualem vel virtualem vel habitualem. *Actualis* attentio adest, quando quis *actu* attendit; *virtualis,* quando attentio actualis prius exsistens numquam revocata est, licet actualiter adsint distractiones involuntariae. *Habitualis* attentio vocatur abusive attentio, cum reapse non sit vera attentio, sed solummodo quaedam propensio ad attendendum.

Duo apud omnes constant, et tertium controvertitur:

Constat 1° ad essentiam orationis aliquam saltem attentionem requiri sive internam sive externam. Etenim quod fit sine omni attentione, neque est actus humanus neque a fortiori est oratio.

Constat 2° ad orationem *mentalem* aliquam attentionem *internam* requiri, cum oratio mentalis sit essentialiter actus mentis.

Controvertitur, *qualis attentio requiratur ad orationem vocalem;* quae quidem controversia non solum theoreticae sed etiam practicae utilitatis est, praesertim in recitatione Officii divini.

Solam attentionem externam sufficere docent complures auctores, e. g. Durandus, Lugo, Silvester Prierias, Tamburinus, Elbel, Noldin multique moderni.

Solam attentionem externam non sufficere affirmant Caietanus, Dom. Soto, Reiffenstuel, Suarez, Billuart; quam quidem sententiam S. Alphonsus vocat probabiliorem et communiorem.

1. In praxi, quoniam prima sententia est probabilis (saltem extrinsecus), nemo potest argui, quod non satisfecerit obligationi ecclesiasticae recitandi Officium divinum, aut quod reditus beneficiales debeat restituere, dummodo attentionem externam observaverit et intentionem satisfaciendi habuerit. Non enim certo constat Ecclesiam voluisse praecipere hanc recitationem etiam cum attentione interna. Cum ille, qui tenetur recitare Officium divinum, oret nomine Ecclesiae, defectus attentionis internae potest suppleri ab Ecclesia.

2. Essentia et a fortiori efficacia orationis *privatae* non videtur consistere sine aliqua saltem attentione interna. Nam oratio est actus rationis practicae seu elevatio mentis ad Deum. Iamvero videtur esse contradictio, quod eadem ratio practica *simul* eliciat actum circa Deum (orationem) et actum prorsus contrarium (e. g. voluntariam cogitationem de obscenis).

§ 5. De horis canonicis.

376. Diversa nomina. Horae canonicae diversis nominibus sunt appellatae, e. g. collecta, agenda, divina psalmodia, cursus, officium divinum, officium ecclesiasticum, opus Dei, missa, missa vespertina, breviarium, κανών, σύναξις.

Quaenam ad Officium divinum pertinent?

℟. Ad Officium divinum pertinent iuxta Ritum Romanum:

1. Septem horae canonicae, scil. Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, Completorium. «Pretiosa» non est quidem hora distincta, sed pertinet ad Officium divinum;

2. Officium defunctorum die commemorationis omnium fidelium defunctorum recitandum;

3. Litaniae recitandae diebus S. Marci et Rogationum. Ita Pius X Const. «Divino afflatu» d. 1. Nov. 1911, n. 3 (Acta Ap. Sedis III 646).

Nota. Ad integritatem Officii divini non pertinent Orationes «Aperi» initio et «Sacrosanctae» in fine, sed valde pie et utiliter adduntur.

Hodie in Ritu Romano iam nulla exsistit obligatio recitandi a) Officium B. M. V., b) Officium defunctorum (extra diem supra memoratum), c) Psalmos paenitentiales, d) Psalmos graduales. (Pius X Const. «Divino afflatu» d. 1. Nov. 1911, tit. VIII [Acta Ap. Sed. III 646]).

377. Quinam graviter obligantur ad recitandum Officium divinum?

℟. 1. omnes clerici in maioribus ordinibus constituti (c. 135) et legitime non redacti ad statum laicalem;

2. omnes beneficiarii, etiam non constituti in maioribus ordinibus (c. 1475);

3. omnes religiosi sollemniter professi utriusque sexus, dummodo sint ad chorum addicti (c. 610, § 3).

Obligationem recitandi Officium divinum esse ex genere suo gravem docent omnes theologi. Qui ergo notabilem partem Officii sine causa excusante omittit, graviter peccat. Notabilis pars censetur esse una Hora parva vel pars aequivalens.

Notanda de obligatione beneficiariorum. Beneficiarius, e. g. parochus, episcopus, canonicus etc., qui *culpabiliter* omittit notabilem partem Officii divini, peccat graviter et tenetur ad restitutionem fructuum beneficialium, quos debet tradere fabricae Ecclesiae aut seminario dioecesano aut pauperibus (c. 1475, § 2).

Et quidem omnes fructus tradere debet, si habuit beneficium *simplex;* dimidiam autem vel quartam partem, si eius beneficium est coniunctum cum cura animarum (e. g. paroecia).

Notanda de obligatione religiosorum. Religiosi non clerici et sorores laicae ex iure communi non tenentur sub peccato recitare preces ab ipsorum Regula praescriptas. Item religiosi *simpliciter professi* (choristae), licet teneantur Choro interesse, non tamen sub peccato obligantur *privatim* recitare Officium divinum. Item non sub peccato obligantur recentiores Congregationes ad Officium B. M. V. Econtra utriusque sexus religiosi sollemniter professi et Choro addicti tenentur sub gravi non solum choraliter, sed etiam privatim recitare Officium divinum.

378. Gravis violatio formae Officii divini adest (deficiente legitima causa excusante):

1. si quis mutat ritum, utendo alio ac praescripto breviario (cf. S. R. C. d. 27. Ian. 1899);

2. si quis recitat Officium in alia lingua ac in Latina, ita saltem, si pertinet ad ritum Latinum;

3. si quis recitat Officium quoad qualitatem et quantitatem notabiliter diversum. Qualitas Officii cotidie recitandi solet determinari in *Kalendario* seu *Directorio.*

Beneficiarii omnesque clerici alicui ecclesiae adscripti semper et ubique tenentur recitare Officium propriae ecclesiae. Alii clerici saeculares

semper possunt sequi Kalendarium dioecesis, ubi versantur; immo id debent sequi, si ibi quasi-domicilium habent. Regulares et religiosi exempti tenentur uti Kalendario proprio.

In Officii commutatione *involuntaria*, i. e. facta ex errore, tres sequentes regulae attendendae sunt:

1. Valet Officium pro Officio; requiritur autem aliqua compensatio, si Officium ex errore recitatum est multo brevius quam Officium revera praescriptum. Non valet Hora pro Hora, e. g. Tertia bis recitata non valet pro Sexta omissa.

2. Error corrigitur, ubi deprehenditur. Ita probabilius. Quare qui parte Officii iam persoluta advertit, se falsum Officium dixisse, reliqua de vero Officio persolvat.

3. Error non corrigitur per errorem. Ita probabilius. Quare qui ex errore recitavit Officium nondum occurrens, dicat hoc idem Officium iterum eo die futuro, quo praescribitur.

379. **Modus recitandi Officii.** Ad perfecte satisfaciendum praecepto ecclesiastico, Officium (privatim) recitari debet:

1. *debito ordine, loco, situ.* Facile tamen adest causa excusans;

2. *debito tempore.* Sub gravi praecipitur, ut Officium sit recitatum ante mediam noctem diei currentis. Omnes aliae ordinationes de tempore recitandi Officii facile admittunt causas excusantes. Matutini et Laudum recitatio privata anticipari potest ab *hora secunda postmeridiana* diei praecedentis (S. R. C. d. 12. Maii 1905);

3. *integre,* i. e. non omittendo neque partes, neque verba, neque syllabas Officii. Licet tamen alternatim psallere (etiam cum laico);

4. *continue,* i. e. non interrumpendo unam eandem horam. Facile adest causa excusans;

5. *oraliter,* i. e. non solum mentaliter. Haec obligatio est gravis, nisi adest privilegium;

6. cum attentione et intentione. Cf. supra n. 375 dicta de attentione.

380. **Causae excusantes a recitatione Officii** solent enumerari tres:

1. *impotentia physica,* e. g. caecitas, gravis aegritudo;

2. *impotentia moralis,* i. e. grave incommodum, quod ex recitatione Officii oriretur, e. g. si aliae occupationes urgentissimae deberent omitti;

3. *dispensatio legitima,* quae concedi potest pro subditis *ad breve tempus* ab episcopo vel a praelato religioso.

Art. 3. De adoratione.

381. **Notio.** In sensu generali *adoratio est honos exhibitus alteri propter superiorem eius excellentiam.* Exsistit autem triplex excellentia: divina, creata supernaturalis, creata naturalis; et proinde etiam triplex adoratio distinguitur: adoratio Dei seu *latria,* adoratio angelorum et sanctorum seu *dulia,* adoratio hominum excellentium seu *cultus civilis.* In stricto sensu hodie usitato *adoratio est cultus latreuticus soli divinae excellentiae exhibitus.*

Divisiones. Cum adoratio sit species cultus, iuvat afferre quasdam saepe occurrentes distinctiones cultus:

1. Cultus *absolutus* et *relativus.* Primus exhibetur *personis,* propter earum excellentiam intrinsecam; alter exhibetur *rebus,* propter earum relationem arctam ad personam excellentem (e. g. cruci, imaginibus).

2. Cultus *publicus* et *privatus,* prout fit vel nomine Ecclesiae (cultus liturgicus) a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ab Ecclesia determinatos, vel nomine privato (c. 1256).

3. Cultus *latriae, hyperduliae, duliae, cultus civilis*. Hyperdulia est cultus exhibitus B. Mariae V. propter eius prorsus singularem excellentiam. Quid sint latria, dulia, cultus civilis, iam dictum est supra.

382. **Principium.** 1. *Cultus absolutus latriae debetur soli Deo atque Christo Domino; cultus relativus latriae debetur cruci ceterisque instrumentis passionis atque etiam imaginibus Dei et Christi.*

2. *Cultus duliae absolutus debetur angelis et sanctis; cultus duliae relativus praestandus est reliquiis et imaginibus sanctorum et angelorum.*

3. *Cultus hyperduliae absolutus debetur B. Virgini Matri Dei; cultus hyperduliae relativus debetur reliquiis et imaginibus B. Virginis.*

Singula in hoc principio contenta fere patent ex dictis de notione et divisione adorationis.

Art. 4. De voto.

Tractabitur 1. de natura et divisione voti; 2. de subiecto voti; 3. de obiecto voti; 4. de obligatione voti; 5. de cessatione voti ab intrinseco; 6. de cessatione voti eiusve obligationis ab extrinseco, nempe per irritationem, dispensationem, commutationem.

§ 1. De natura et divisione voti.

383. **Notio.** *Votum est promissio Deo facta de bono possibili et meliore* (c. 1307, § 1).

Ad essentiam voti tria requiruntur:

a) ut sit vera *promissio*, ideoque non sufficit merum propositum;

b) ut sit promissio *Deo facta*, et non sanctis; quapropter vota sunt verus cultus *latriae*, qui nequit sanctis exhiberi. Nihilominus sicut Missa ita quoque vota possunt fieri in honorem sanctorum;

c) ut sit *de bono possibili et meliore*, seu de obiecto, quod consideratis omnibus circumstantiis non solum sit possibile voventi, sed etiam melius quam eius oppositum. Quare quamvis status matrimonialis obiective consideratus non sit melior quam caelibatus, nihilominus aliquando pro aliquo homine potest esse melior ideoque obiectum veri voti.

Utilitas moralis. Vota prudenter emissa ex motivo Deum colendi sunt honesta et valde utilia. Ita docet doctrina catholica contra multos Protestantes, Quietistas, Liberalistas. Etenim votum «est felix necessitas, quae in meliora compellit» (S. Aug.); et insuper elevat actus aliarum virtutum ad maius meritum, cum illis addat meritum virtutis religionis.

384. **Divisiones.** 1. Ratione *obiecti* votum dividitur in a) *personale*, quod obligat principaliter ad aliquam actionem personalem aut ponendam aut omittendam, e. g. votum orandi, non ludendi; b) *reale*, quod principalius obligat ad aliquam rem praestandam, e. g. votum dandi eleemosynam; c) *mixtum*, quod coalescit ex voto personali et reali, e. g. faciendi peregrinationem et offerendi donum.

2. Ratione *durationis* votum distinguitur in a) *temporale*, quod durat ad determinatum tempus; et b) *perpetuum*, quod servandum promittitur ad totam vitam.

3. Ratione *modi* votum dividitur in a) *absolutum*, quod fit sine ulla adiecta condicione; et b) *condicionatum*, quod non obligat nisi aliqua condicione verificata, e. g. voveo peregrinationem, si sanitatem recuperavero. — Si quis sub condicione determinatae culpae futurae vovet sibi *poenam* infligendam, est votum *poenale*.

4. Ratione *formae* distinguitur votum a) *expressum*, quod conceptis verbis emittitur; et b) *tacitum*, quod consistit in libera actione, cui votum adnexum est, e. g. professio religiosa sic dicta tacita, susceptio subdiaconatus, quocum coniungitur votum castitatis.

5. Ratione *acceptionis Ecclesiae* distinguitur votum a) *privatum*, quod sine interventu Ecclesiae emittitur; et b) votum *publicum*, quod auctoritate et interventu Ecclesiae fit, e. g. communia vota emissa in institutis religiosis approbatis.

Vota publica subdividuntur in *simplicia*, quae a) fiunt in omnibus congregationibus approbatis et insuper b) in ordinibus religiosis ante professionem sollemnem; et in *sollemnia*,

quae iuxta praesentem disciplinam Ecclesiae fiunt a) in religiosis ordinibus post triennium votorum simplicium, b) a nonnullis membris Societatis Iesu, c) a subdiaconis ritus latini quantum ad castitatem servandam.

In quo praecise consistat essentialis differentia voti sollemnis et simplicis, auctores non concordant. Melior videtur esse sententia S. Thomae docentis essentiam voti sollemnis consistere in quadam traditione et *consecratione* spirituali voventis, quam Ecclesia nomine Dei acceptat; vota vero simplicia non continere nisi spiritualem traditionem.

§ 2. De subiecto voti.

385. Cum votum principaliter emittatur ad firmandam voluntatem in bono, omnes illi, quorum voluntas iam est firmata in bono (aut etiam in malo), non emittunt vota. Hinc non emittunt vota: Christus, sancti et angeli in caelo, damnati in gehenna. Omnes autem homines (etiam non-catholici) possunt facere vota, dummodo a) sint usu perfecto rationis praediti, b) habeant intentionem vovendi, c) habeant sufficientem libertatem et deliberationem, d) ne sint prohibiti a lege positiva. — Hinc breviter statuit Codex iur. can. c. 1307, § 2: «Nisi iure prohibeantur, omnes congruenti rationis usu pollentes sunt voti capaces.»

1. **Perfectus usus rationis** requiritur ex parte voventis ad valorem voti. Illi autem omnes censentur habere perfectum usum rationis, qui in momento voti potuerunt facere *peccatum mortale*. Ille enim, qui diabolo potest se devovere per peccatum mortale, potest etiam se Deo obligare per verum votum.

2. **Intentio seu voluntas vovendi** requiritur ad valorem voti; quare votum *fictum*, i. e. solummodo exterius factum sine interna intentione, est nullum. Intentio actualis et explicita non requiritur, sed sufficit virtualis et implicita, qualis solet adesse

in susceptione subdiaconatus. Non sufficit autem intentio interpretativa aut etiam indirecta.

3. **Deliberatio sufficiens et libertas** ideo requiruntur ad votum, quia sine illis nemo censetur sibi imponere tam gravem obligationem, qualis est obligatio voti. Communiter theologi docent ad validitatem voti requiri tantam deliberationem et cognitionem, quanta necessaria est ad contractum onerosum aliudve grave negotium perficiendum. Deliberationi et cognitioni opponitur error; libertatem autem tollit vel saltem minuit metus.

386. a) *Error substantialis*, i. e. versans aut circa ipsam substantiam rei promissae aut circa condicionem substantialem irritat votum. Idem dicendum est de errore circa causam *finalem* voti. Quare si finis principalis deest, etiam votum cessat, e. g. si quis vovit peregrinationem pro sanitate recuperanda patris, quem putavit aegrotum, qui autem reapse tempore voti iam mortuus erat, tale votum non valet.

b) *Error accidentalis*, i. e. versans circa accidentales condiciones, votum non quidem invalidat, sed tamen facile dispensabile aut commutabile reddit.

c) *Metus* in duobus casibus irritat votum, sc. a) si metus tam gravis fuit, ut perturbaverit usum rationis; b) si metus gravis iniuste incussus fuerit ad extorquenda vota (c. 1307, § 3).

Licet quidam auctores (Busembaum, Navarrus) opinati sint quemlibet metum etiam levem irritare votum, tamen sententia multo verior et communior docet votum privatum non irritari a) ex metu gravi naturali vel iuste incusso, e g. in periculo naufragii vel morbi; b) ex metu levi (S. Alphonsus, Theol. mor. l. 3, n. 197). — Semper autem, quando metus influxit in voventem, votum eius est facile dispensabile.

387. **De lege ecclesiastica prohibente nonnulla vota.**

a) Ecclesia complures homines reddit incapaces ad vota publica emittenda in ordinibus et congregationibus religiosis; ideoque nonnullas condiciones apposuit, sine quibus vota ista sunt invalida. Videsis canonistas, e. g. nostrum Man. iur. can. q. 213.

b) Regulares voto oboedientiae adstricti non possunt emittere ullum votum privatum, quod est contra voluntatem superiorum vel regulam professam.

c) Omnia vota privata facta a religiosis professis possunt irritari a suis superioribus (cf. infra de irritatione), excepto voto ingrediendi in ordinem strictiorem.

d) Vota privata facta a religiosis professis et non irritata a superioribus sunt quidem valida sed ordinarie non consulenda.

§ 3. De obiecto voti.

388. Obiectum seu materia voti debet esse a) possibilis, b) honesta, c) de bono meliore.

a) Materia voti debet esse *possibilis* voventi, cum ad impossibile nemo possit se obligare.

Hinc votum faciendi magnas eleemosynas est pro homine paupere impossibile ac proinde irritum. Pariter irritum est votum vitandi omnia, etiam levissima peccata.

b) Materia voti debet esse *honesta et Deo grata*. Votum enim est actus colendi Deum. Iamvero Deus non colitur actibus inhonestis aut etiam prorsus indifferentibus et vanis.

Hinc e. g. votum dandi eleemosynam ad obtinendam iniustam vindictam de inimico est invalidum.

c) Materia voti debet esse *de bono meliore*, i. e. votum non debet impedire maius bonum in vovente. Non solum autem opera consilii et supererogatoria, sed etiam opera iam aliunde praecepta possunt esse materia voti. Hinc validum est votum alicuius hominis ebrietati addicti, se iam amplius inebriatum non iri.

Nota. Non requiritur, ut materia promissa in voto sit *absolute et obiective* melior quam eius omissio, sed sufficit, ut sit melior *relative* ad ipsum voventem. Quapropter licet virginitas sit melior obiective quam matrimonium, tamen potest accidere, ut pro determinato homine matrimonium sit melius virginitate. Talis homo posset facere votum nubendi, ut iam supra n. 383 dictum est.

§ 4. De obligatione voti.

389. 1. **Qualitas obligationis.**

Principium. *Omne votum validum obligat ex virtute religionis solum voventem* (c. 1310, § 1).

Votum validum revera obligare voventem sequitur ex ipsa natura voti, quippe quod sit promissio obligatoria. Cum autem votum sit promissio *personalis*, neque obligat alium quam voventem neque impleri potest ab alio quam a vovente. Quare e. g. si pater fecit votum ieiunandi, filius nequit hoc votum implere; si communitas fecit votum ieiunandi stato die (e. g. Romae in Vigilia Purificationis), tunc posteri non vi istius voti, sed vi statuti aut consuetudinis legitimae obligantur ieiunare.

Vota *realia*, licet non imponant heredibus voventis obligationem religionis, debent tamen aliquando *ex iustitia* impleri, cum sint quasi onera hereditati incumbentia. Vota realia possunt, etiam durante vita, adimpleri ab alio. Sic e. g. qui vovit eleemosynam dandam, potest ab alio petere, ut pro se velit istam eleemosynam elargiri. Tunc quidem ab alio non impletur votum ut tale, sed praestatur materia promissa.

390. Quaeres: *Num laesio cuiuslibet voti est sacrilegium?* Caietanus respondet universaliter affirmative. Alii rectius volunt non aliam nisi laesionem votorum publicorum in religione emissorum esse sacrilegium. Alii demum putant praeter istam laesionem etiam laesioni voti privati *castitatis* inesse malitiam sacrilegii. Est lis de nomine. Omnis gravis laesio voti in materia gravi est peccatum mortale contra virtutem religionis.

391. 2. **Quantitas obligationis.**

Principium. *Gravitas obligationis ortae ex voto mensuranda est* a) *ex gravitate materiae*, b) *ex intentione voventis*.

Ratio est, quia votum est quasi lex privata. Iamvero lex obligat pro quantitate materiae praescriptae et secundum intentionem legislatoris, qui quidem in materia gravi potest sub levi obligare, non autem vicissim in materia levi sub gravi; hoc ultimum enim esset irrationale. — Vota autem *publica* in institutis religiosis et in susceptione subdiaconatus, quorum materia est in se gravis, nequeunt sub levi obligatione emitti, quoniam secus grave damnum inferretur disciplinae ecclesiasticae.

Quaeres: *Quaenam materia est gravis in voto?* ℟. *Materia gravis in voto est id, quod,*

si praeceptum esset a lege ecclesiastica, sub gravi obligaret.

Quid autem sit materia gravis in lege ecclesiastica, multum pendet ex fine et circumstantiis legis. Materiam gravem censetur aliquis sibi imponere, si vovet e. g. Rosarium dicendum vel uno die ieiunandum.

In votis *realibus* materia gravis secundum nonnullos auctores censetur ea, quae, si ratio iustitiae intercederet, gravis esset. Attamen haec regula non est nimis urgenda, cum tunc materia quoque absolute et relative gravis in violato voto sicut in violata iustitia statuenda esset; quod profecto nemo facit. Forte valor 50 frc. potest in nostris regionibus censeri materia gravis.

Materiae leves voto reali (non autem personali) promissae possunt *coalescere* in materiam gravem, ita ut, qui pluries laesit votum reale in materia levi, tandem sit reus peccati gravis. E. g. ille, qui, facto voto dandi qualibet hebdomada 5 marcas pauperibus, per unum annum has eleemosynas neglexit, peccat graviter. Si quis autem primario intendens honorem B. M. V. fecit votum dandi quolibet *sabbato* eleemosynam 5 marcarum hocque votum neglexit per totum annum, probabilius materiae voti non coaluerunt, quia istud votum fuit potius personale quam reale atque affixum diei.

392. 3. Impletio obligationis.

Principium. *Iuxta intentionem voventis in actu vovendi habitam vota sunt implenda. In dubio autem adhibendae sunt eaedem regulae interpretationis, quae pro legum interpretatione valent.*

Ratio est, quia votum est ad instar legis, in qua vovens ipse est legislator, qui libere potest sibi praefigere et limitare omnes circumstantias obligationis.

Quaedam specialiter dicenda sunt a) de tempore impletionis et b) de obligatione voti condicionati, disiunctivi, poenalis, dubii.

a) **De tempore impletionis.**

1. Votum negativum (e. g. non frequentandi cauponas) obligat semper et pro semper eodem modo, sicut leges negativae obligant.

2. Si tempus impletionis voti a vovente determinatum est, tunc votum oportet impleri tempore praefixo, quin sit necessarium id tempus *praevenire,* etiamsi praevidetur impedimentum impletionis secus esse futurum; e. g. iuvenis, qui vovit se esse facturum mense Octobris peregrinationem, non debet eam facere mense Septembris, etiamsi scit se mense Octobris fore impeditum propter servitium militare.

3. Qui tempore praefixo non implevit votum, peccat, si culpabiliter non implevit, sed iam amplius non tenetur votum implere, si tempus praefixum erat ut *terminus obligationis* seu ad finiendam obligationem; e. g. qui vovit quolibet sabbato ieiunium in honorem B. M. V., non tenetur hoc ieiunium, si omissum est, supplere feria II sequenti. — Sin autem tempus praefixum erat non ut terminus obligationis, sed ad *urgendam exsecutionem,* tunc votum oportet impleri etiam postea, ita ut notabilis dilatio sit peccatum grave. Quaenam autem dilatio sit gravis, difficulter assignatur. Si ex dilatione aliqua *diminutio voti* oritur, e. g. ex dilato ingressu in religionem, tunc iuxta S. Alphonsum dilatio sex mensium *(sine ulla ratione excusante facta)* est gravis materia. Sin autem ex dilatione nulla fere diminutio voti exsurgit, tunc secundum complures auctores quantalibet dilatio voti non excedit culpam venialem.

4. Si nullum determinatum tempus est praefixum impletioni, vovens studeat quantocius exsequi votum, iuxta illud (Deut. 23, 21): «Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere.»

393. b) **De obligatione voti condicionati, disiunctivi, poenalis, dubii.**

1. Votum *condicionatum* non obligat, nisi condicio apposita secundum strictam vim verborum verificata est; immo licet mediis iustis (non autem iniustis) verificationem condicionis impedire.

2. Votum *disiunctivum* non obligat, nisi res disiunctive promissae a) sunt apta materia voti, b) sunt liberae electioni voventis submissae. Proinde si, *ante* electionem alterutrius partis disiunctivae, altera pars facta est impossibilis sine culpa voventis, votum cessat. Ceterum in his votis disiunctivis imprimis attendenda est *intentio* voventis, quae si clara est, iuxta eam et non secundum materialem sensum verborum votum implendum est.

3. Votum *poenale* et votum *dubium* stricte interpretanda sunt iuxta regulas statim dandas.

394. De interpretatione votorum valent tres sequentes regulae:

Regula I. Votum imprimis interpretandum est secundum expressam aut rite praesumptam intentionem voventis.

Ratio est, quia votum est quasi lex privata, cuius legislator est ipse vovens. Porro optima est interpretatio legis, quae est conformis menti vel expressae vel rite praesumptae legislatoris.

Regula II. Quando intentio voventis neque clare apparet neque prudenter praesumi potest, votum interpretandum est secundum communem usum hominum aut generalem Ecclesiae usum.

E. g. quia communis consuetudo et usus Ecclesiae ita ferunt, is, qui vovit Rosarium, illud dicere potest cum socio; qui vovit ieiunium per unum mensem, non tenetur ieiunare diebus dominicis.

Regula III. In dubio de exsistentia aut extensione alicuius voti licet amplecti benigniorem partem.

Ratio est, quia vinculum voti non est supponendum sed probandum, et «in obscuris minimum est sequendum» (Reg. iur. 30 in VI°).

§ 5. De cessatione voti ab intrinseco.

Praenotamen. Votum cessare potest aut *ab intrinseca causa,* nempe ex mutatione materiae aut ex cessatione finis principalis; aut *ab extrinseca causa,* scil. per irritationem, dispensationem, commutationem (cf. c. 1311). Primo tractabitur de cessatione voti propter causas intrinsecas.

395. Regula generalis. Votum (privatum) cessat ab intrinseco, quando tanta accessit mutatio ex parte sive voventis sive materiae promissae, quae, si ab initio adfuisset, certo impedisset votum.

E. g. si quis dives vovit eleemosynam hebdomadariam, postea autem ipse fit pauper; vel si quis bonae valetudinis vovit ingressum in religionem, postea autem incidit in aegritudinem incurabilem, iam non amplius voto ligatur.

Nota. Vota *publica* (religionis et subdiaconatus) numquam cessant ab intrinseco, quia secus multa incommoda orirentur tum pro vovente tum pro institutis religionis.

§ 6. De cessatione voti per irritationem.

396. Notio. *Irritatio voti est eius annullatio vel suspensio facta ab eo, qui potestatem dominativam habet in voluntatem voventis aut saltem in materiam voti* (c. 1312, § 1).

Irritatio igitur est actus *potestatis dominativae* et non iurisdictionis. Distinguitur: a) irritatio *directa,* quae est annullatio voti facta ab eo, qui habet potestatem dominativam *in voluntatem voventis,* e. g. a patre relate ad vota filiorum impuberum; b) irritatio *indirecta,* quae non est annullatio sed suspensio voti facta ab eo, qui habet potestatem dominativam in *materiam voti,* e. g. ab hero relate ad subditorum vota, quae impediunt servitium debitum. Directa igitur irritatio votum prorsus exstinguit, indirecta autem irritatio obligationem voti tantum suspendit.

397. Principium 1. *Ad licitam sed non ad validam irritationem votorum requiritur sufficiens causa.*

Neque ad licitam neque ad validam irritationem votorum requiri causam docent nonnulli theologi (S. Antoninus, Caietanus, Suarez), quia superior semper potest uti potestate dominativa in subditos, quorum vota implicite supponunt consensum superioris. Alii theologi (Dom. Soto, Laymann, Lessius) docent saltem requiri levem causam ad irritanda vota, quia secus superior indebite impediret cultum Deo praestandum per voti exsecutionem et etiam utilitati subditorum obesset. Quae quidem sententia confirmata est ex Codice iur. can. c. 1312, § 1 statuente: «Qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest eius vota valide et, ex iusta causa, etiam licite irrita reddere.»

Principium 2. *Potestas directe irritandi vota subditorum semper integra manet, quamvis superior antea vota ista permiserit aut approbaverit; non item potestas indirecte irritandi.*

Ratio primi est, quia, non obstante licentia data aut permissione et approbatione facta, superior retinet dominium plenum in voluntatem subditi. — Ratio secundi est, quia potestas indirecte irritandi vota non se extendit nisi ad materiam voti; quae, si semel tradita est liberae dispositioni voventis, iam amplius nequit reclamari.

398. Quis potest directe irritare vota?

1. *Papa, superior religiosus, superiorissa* possunt directe irritare vota *privata* subditorum *professorum*. Excipitur solum votum eligendi statum religiosum perfectiorem et arctiorem, quia unusquisque liber est in eligendo statu perfectiore. Vota privata, quae religiosus professus ante professionem (sive in saeculo sive in religione) emisit, suspenduntur, donec vovens in religione permanserit (c. 1315).

2. *Parentes* (eorumque defectu tutores) possunt directe irritare omnia vota filiorum emissa *ante* pubertatem. Quae quidem potestas irritandi non solum durante impubertate filii sed etiam postea exerceri potest, dummodo vovens pubes factus votum suum non ratificaverit, et quidem *novo voto* independenti a primo voto.

3. Num *maritus* valeat directe irritare omnia vota uxoris *durante matrimonio* facta, valde controvertitur. Sententia negativa, quae scil. marito non concedit nisi potestatem *indirecte* irritandi, videtur esse melior, quia pro sententia affirmativa nullum solidum argumentum adduci potest.

399. Quis potest indirecte irritare vota?

1. *Summus Pontifex* potest indirecte irritare quaecumque vota facta circa bona ecclesiastica aliaque, de quibus disponere valet.

2. *Parentes* possunt indirecte irritare filiorum nondum emancipatorum vota, quae impediunt liberam administrationem familiae, e. g. votum longinquae peregrinationis.

3. *Superior religiosus* potest indirecte irritare novitiorum vota, quae impediunt disciplinam novitiatus.

4. *Coniuges* possunt sibi invicem irritare vota, quae adversantur iuribus matrimonialibus.

5. *Herus* aut dominus potest indirecte irritare famulorum et subditorum vota, quae obstant debito famulatui.

§ 7. De cessatione voti (eiusve obligationis) per dispensationem.

400. Notio. *Dispensatio est relaxatio obligationis voti nomine Dei facta ab habente iurisdictionem competentem.*

Ex hac definitione apparet multiplex discrimen inter dispensationem et irritationem. Etenim:

1. dispensatio fit nomine Dei, irritatio autem nomine proprio;

2. dispensatio supponit iurisdictionem, irritatio autem potestatem dominativam;

3. dispensatio exigit iustam causam, irritatio autem non (saltem de validitate);

4. dispensatio supponit consensum dispensati, irritatio autem non.

401. Requisita ad dispensandum. Ad licite et valide dispensandum requiruntur duo: iusta causa et facultas competens.

1. *Iustae causae* dispensandi sunt a) utilitas Ecclesiae, b) necessitas vel utilitas voventis, qui e. g. ex voto patitur magnas difficultates aut periculum transgressionis. *In dubio* de sufficientia causae superior nihilominus dispensare potest.

2. *Facultas competens* dispensandi vota certo residet in Ecclesia, quae vel ipsum vinculum peccati solvere potest. Ergo a fortiori valet vinculum voti solvere. Hanc facultatem dispensandi exercent:

a) **Summus Pontifex,** qui potest dispensare in omnibus votis (saltem si excipitur votum factum in favorem tertii), et qui sibi dispensanda reservavit:

1. omnia vota *publica* (sive perpetua sive temporanea) in institutis a S. Sede approbatis. Vota autem publica institutorum *dioecesanorum* dispensari possunt ab episcopo (excepto voto perfecto perpetuae castitatis, c. 638);

2. *duo vota privata,* scil. perfectae et perpetuae castitatis; ingrediendi in religionem approbatam cum votis sollemnibus. Haec tamen duo vota non censentur reservata, nisi sunt omnino perfecta ex parte cum *materiae* tum *modi.*

Ex imperfectione *materiae* non censentur reservata e. g. vota virginitatis, non nubendi, castitatis temporaneae, suscipiendi ss. ordines, ingrediendi in aliquod institutum religiosum cum solis votis simplicibus. — Ratio est, quia omnia ista vota neque sunt votum perfectae castitatis neque votum ingrediendi in religionem cum votis sollemnibus.

Ex imperfectione *modi* non reservantur vota a) condicionata, b) disiunctiva, c) poenalia, d) facta sub influxu metus etiam levis, e) quae ex intentione voventis non imposuerunt

nisi obligationem levem, f) quando iam a legitima auctoritate fuerunt commutata in alia pia opera, g) quando facta sunt ante 18 aetatis annum (c. 1309).

402. b) **Episcopi** aliique praelati iurisdictionem quasi-episcopalem habentes non solum in omnibus aliis non reservatis votis ex iusta causa dispensare possunt, sed etiam in duobus privatis votis:

1. quando est *urgens necessitas* et recursus ad Summum Pontificem est moraliter impossibilis, e. g. quando omnia sunt parata ad matrimonium iamiam celebrandum;

2. quando agitur de voto castitatis facto post matrimonium contractum;

3. quando agitur de votis dubiis;

4. quando habent speciales facultates delegatas.

Nota. Episcopi valent dispensare in votis quoque *peregrinorum* (c. 1313).

403. c) **Confessarii regulares** habentes privilegia Mendicantium possunt sive intra sive extra confessionem dispensare in omnibus votis non reservatis. Excipiuntur insuper vota facta principaliter in utilitatem tertii et ab illo acceptata. Ita sententia communior et probabilior. Relate ad votum *castitatis* confessarii regulares valent dispensare a) in casu urgentis necessitatis in ordine ad matrimonium contrahendum, b) matrimonio *iam contracto* ad petendum debitum.

404. *Parochi aliique confessarii ordinarii* nullam habent potestatem dispensandi in votis nisi ex indultis particularibus vel tempore iubilaei. Quando autem omnia parata sunt ad nuptias nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri potest, usquedum ab Ordinario loci dispensatio obtineatur, quilibet confessarius potest

a voto castitatis aliisque votis impedientibus matrimonium dispensare, dummodo agatur de casu occulto (c. 1045, § 3).

405. **Circa exercitium facultatis dispensandi** oportet notare:

1. Licet uti hac facultate cum intra tum extra tribunal confessionis, nisi tamen contrarium sit expresse determinatum. Convenit autem, ut dispensatio ordinarie concedatur in tribunali confessionis.

2. Licet uti hac facultate etiam cum *semetipso*, cum sit actus iurisdictionis voluntariae, nisi tamen expresse praescribitur, ut dispensatio concedatur in tribunali confessionis.

3. Qui dispensare valet in votis, etiam valet dispensare in *votis iuratis*.

4. Raro expedit dispensando totam obligationem voti tollere, sed praestat commutare voti materiam in aliam leviorem.

§ 8. De cessatione voti (eiusve obligationis) per commutationem.

406. **Notio.** *Commutatio est translatio obligationis voti ab una materia in aliam*; vel aliis verbis: Voti commutatio est substitutio alterius boni operis in locum illius, quod voto promissum fuit, facta sub eadem obligatione voti. Commutatio igitur nihil aliud est quam *partialis* dispensatio voti, si fit in opus minus difficile.

Commutari potest votum a) in *opus melius*, i. e. Deo gratius; b) in *opus aequale*, quod eandem fere difficultatem exsequendi praebet; c) in *opus minus*, quod est minus difficile.

407. **Principium 1.** *Quamvis commutatio voti* a) *in opus evidenter melius et* b) *in opus aequale fieri possit propria auctoritate voventis, tamen* c) *id in praxi non expedit.*

Ratio primi est, quia Deus recte praesumitur consentire in commutationem, quae magis promovet cultum religiosum et utilitatem voventis. Iamvero opus evidenter melius magis

promovet et cultum religiosum et utilitatem voventis. Ratio secundi est lex positiva (c. 1314). Ratio tertii est, quia in praxi saepe difficile, immo impossibile est discernere, quodnam opus sit evidenter melius aut aequale, quoniam non solum ipsum opus, sed etiam omnes circumstantiae voventis pensandae sunt.

Nota. A commutatione facienda per auctoritatem propriam excluduntur: 1. vota reservata Summo Pontifici (nisi tamen commutatio fiat per ingressum in religionem); 2. vota facta in favorem tertii, si sunt acceptata; 3. votum transeundi ad arctiorem religionem.

408. **Principium 2.** *Commutatio voti in opus certo et notabiliter minus nequit fieri, nisi adsit* a) *specialis facultas,* b) *sufficiens causa.*

Ratio est, quia talis commutatio est partialis dispensatio voti. Iamvero ad omnem validam et licitam dispensationem voti requiritur specialis facultas et sufficiens causa, ut supra dictum est. Quicumque habet facultatem dispensandi, habet quoque facultatem commutandi vota. Ad commutationem autem voti non requiritur tanta causa, quanta necessaria est ad totalem dispensationem eius. Patet per se.

Corollarium 1. Facta commutatione (etiam pluries) voventi semper licitum est redire ad opus prius. Ratio est, quia commutatio voti est favor, quo nemo ordinarie tenetur uti.

Corollarium 2. Si opus, in quod votum fuit commutatum, impossibile evasit (etiam ex culpa voventis), vovens non tenetur redire ad primum opus, dummodo commutatio facta sit a confessario aut a legitimo superiore ecclesiastico. Ratio est, quia per commutationem a legitima auctoritate factam prorsus exstinguitur prior obligatio. — Nonnulli theologi probabiliter docent numquam adesse strictam obligationem redeundi ad primum opus, etiamsi commutatio voti facta est propria auctoritate voventis. Ratio est, quia per omnem legitimam commutationem primum votum seu prior obligatio exstinguitur.

Art. 5. De iureiurando.

§ 1. De notione et divisione iurisiurandi.

409. **Notio.** *Iusiurandum est invocatio Nominis divini in testem veritatis* (c. 1316, § 1).

Ex hac definitione apparet iusiurandum in se non solum esse honestum (quod negant Anabaptistae, Mennonitae, Quakeriani), sed etiam esse actum religionis. Etenim iuramento homo utpote conscius propriae fallibilitatis protestatur Deum esse omniscium, omnipotentem vindicem mendacii.

Divisio. 1. Distinguitur iusiurandum *assertorium,* in quo Deus invocatur in testimonium veritatis praeteritae vel praesentis, e. g. iuro me illud crimen non commisisse; et *promissorium,* in quo Deus invocatur in testem cum futurae actionis tum praesentis intentionis sincerae aliquid faciendi vel omittendi, e. g. iuro me fideliter impleturum esse officium nunc susceptum (Amtseid).

2. Distinguitur iusiurandum *invocatorium* (contestatorium), quod simpliciter invocat Deum in testem veritatis; et *exsecratorium,* quo Deus invocatur non solum ut testis veritatis sed etiam expresse ut vindex falsitatis. In V. Testamento tale iusiurandum exsecratorium saepe adhibitum est: «Haec faciat mihi Deus et haec addat»; et nunc adhibetur in formula: «Sic me Deus adiuvet et haec sancta Evangelia.»

3. Distinguitur iusiurandum *sollemne* (iudiciale), quod cum quadam sollemnitate externa emittitur, e. g. accensis candelis, coram crucifixo, tactis Evangeliis; et *simplex,* quod privato modo sine sollemnitate profertur.

§ 2. De condicionibus requisitis ad validum et licitum iusiurandum.

410. Condiciones requisitae ad *validum* iusiurandum sunt duae: intentio iurandi et formula iuratoria; ad *licitum* autem iusiurandum sunt tres: veritas, iustitia, iudicium. Tres ultimae condiciones vocantur *comites iurisiurandi.*

1. **Intentio iurandi** (sive actualis sive virtualis) est prorsus necessaria ad validum iusiurandum, ideoque sola externa prolatio formulae iuratoriae non est verum sed fictum iusiurandum et ordinarie est grave peccatum, cum sit fallax invocatio testimonii divini. Dico *ordinarie,* nam si ex adiunctis facile per-

cipitur loquentem nolle iurare, non est grave peccatum. Hinc non sunt vera iuraiuranda illae locutiones nimis saepe usitatae: assero hoc per fidem meam, haec tam vera sunt quam exsistentia Dei. (So wahr ein Gott lebt!)

2. **Formula iuratoria,** quae explicite vel implicite continet invocationem Dei, ad valorem iurisiurandi requiritur. Patet ex ipsa definitione iurisiurandi. In iure ecclesiastico solet adhiberi formula iuratoria: «Sic me Deus adiuvet et haec sancta Evangelia.» In iuribus quoque civilibus determinatae formulae iurandi solent praescribi, quae, si nullo modo continent invocationem Dei, non sunt vera iuraiuranda religiosa. Sic e. g. formula adhibita a Mennonitis: «Ich schwöre bei Manneswahrheit», iuro per veritatem viri, non est iusiurandum religiosum.

3. **Veritas** iurisiurandi significat veracitatem iurantis, qui non mentitur Si deest veritas in iureiurando, habetur gravissimum peccatum periurii. Non solum requiritur, ut iurans non mentiatur, sed etiam ut habeat moralem certitudinem de rebus assertis. Ideo non licet iurare neque cum dubio neque cum sola probabili veritate. Pariter numquam licet iurare cum restrictione *pure* mentali; immo nec cum restrictione *late* mentali, nisi ex omnino gravi causa.

4. **Iustitia** tamquam secundus comes iurisiurandi requiritur, consistens in hoc quod nec quid asseritur nec quid promittitur, quod est illicitum. E. g. iustitia deest in iureiurando calumniae, detractionis, committendi fornicationem etc. Iuraiuranda contra iustitiam facta sunt peccaminosa, et quidem graviter, si a) iniustitia commissa vel committenda est gravis, b) intentio iurantis fuit graviter mala. Num sit grave peccatum iusiurandum de re *leviter* mala facienda, e. g. de mendacio aut deceptione levi, controvertitur. In praxi huiusmodi formulae iuratoriae futuri peccati venialis raro sunt vera iuraiuranda. Deesse enim solet intentio iurandi.

5. **Iudicium,** tamquam tertius comes liciti iurisiurandi, exigit debitam discretionem, ut adsit a) iusta causa iurandi, b) debita reverentia in actu iurandi. Defectus istius comitis ordinarie non est nisi leve peccatum, cum sit sola vana assumptio nominis Dei; per accidens autem est peccatum grave, si e. g. inde oritur grave scandalum vel periculum peierandi.

§ 3. De obligatione iurisiurandi.

411. Praenotamen. Hic potissimum agitur de obligatione iurisiurandi promissorii; nam iusiurandum assertorium per se non aliam obligationem inducit quam dicendi veritatem. Sin autem iusiurandum assertorium laesit veritatem aut iustitiam, tunc ex illo oritur obligatio reparandi damna causata, sicut ex quacumque alia actione iniusta.

412. Principium. *Iusiurandum promissorium debitis condicionibus vestitum inducit obligationem, quae est gravis vel levis pro gravitate materiae promissae.*

a) Iusiurandum veram obligationem inducere per se patet, quia qui promissionem iuratam non implet, contemnit Deum, quem invocavit tamquam fideiussorem suae promissionis. Hinc iubet Deus: «Reddes Domino iuramenta tua!» (Matth. 5, 33.)

b) Nonnulli auctores (Caietanus, Lessius, Concina) putant omnem laesionem iurisiurandi promissorii esse peccatum grave, cum sit verum periurium; sententia autem verior et communior asserit laesionem iurisiurandi promissorii admittere parvitatem materiae, quia obligatio talis iurisiurandi sit minor obligatione voti, quae tamen etiam admittat parvitatem materiae.

Condiciones requisitae ad obligationem inducendam sunt ex parte cum *materiae* tum *iurantis.*

Ex parte materiae requiritur, ut res iureiurando promissa sit a) possibilis, b) bona ac honesta. Hinc invalidum est iusiurandum de re impossibili, inhonesta aut etiam prorsus vana et inutili. Id quoque valet de sic dicto iureiurando fidelitatis seu oboedientiae, quod aliquando imponitur subditis et quod non obligat, si superior iubet aliquid illicitum.

Ex parte iurantis requiritur a) intentio iurandi, b) sufficiens deliberatio et libertas, c) absentia erroris substantialis. — Metus gravis iniuste incussus iusiurandum non quidem invalidat, sed solummodo reddit rescindibile (c. 1317, § 2).

413. Interpretatio iurisiurandi.

Regula I. Iusiurandum promissorium stricte interpretari oportet secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius, cui iuratur.

Regula II. In omni iureiurando promissorio subintelleguntur sequentes limitationes:

a) si non aderit moralis impossibilitas implendi iusiurandum,
b) salvo iure superioris,
c) nisi alter obligationem meam remiserit, cedens iuri suo,
d) si res non fuerint notabiliter mutatae,
e) si alter suis promissis steterit.

Regula III. Iusiurandum promissorium generatim sequitur naturam et condiciones actus, cui additum est.

414. **Cessatio obligationis iurisiurandi promissorii** potest causari a causis vel intrinsecis vel extrinsecis. Ex causis *intrinsecis* cessat obligatio iurisiurandi eodem fere modo ac obligatio voti, scil. per substantialem mutationem materiae et per cessationem finis essentialis. Causae vero *extrinsecae*, quae producunt cessationem iurisiurandi, sunt:

1. *condonatio* illius, in cuius favorem facta erat promissio;
2. *irritatio legitimi superioris* eodem modo ac in voto;
3. *dispensatio et commutatio* eodem modo ac in voto (cf. c. 1320);
4. *relaxatio*, quae differt a dispensatione in eo, quod dispensatio solet concedi in favorem *iurantis*, relaxatio autem communiter imponitur propter graves rationes ex parte illius, in cuius favorem prolatum erat iusiurandum. Relaxatio similis est irritationi, sed non conceditur nisi a Summo Pontifice, et quidem a) propter bonum commune, b) propter poenam criminis commissi.

§ 4. De laesione iurisiurandi seu de periurio.

415. **Notio.** Periurium in lato sensu acceptum est quodlibet iusiurandum *illicitum*, cui scil. deest unus ex tribus comitibus supra indicatis; in stricto autem sensu periurium est (morale) *mendacium iureiurando confirmatum*. Non autem periurium committit ille, qui sub iureiurando asserit errorem, quem invincibiliter putat esse veritatem.

Principium. 1. *Periurium stricte dictum est peccatum mortale ex toto genere suo;* 2. *periurium late dictum est ex genere suo peccatum veniale, si laedit solum comitem iudicii;* 3. *est*

autem ex genere suo peccatum mortale, si laedit comitem iustitiae.

Ratio primi est, quia tale periurium est gravissimus contemptus Dei, qui nec fallere nec falli potest. Quare damnavit Innocentius XI propositionem (24): «Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.» Periuri ab Ecclesia plectuntur diversis poenis (c. 2323), a iure autem civili poena carceris.

Ratio secundi est, quia irreverentia hoc modo Deo illata non videtur esse tanta, ut constituat peccatum mortale, quoniam nullum attributum divinum directe laeditur. *Per accidens* iuramentum quoque sine iudicio factum est peccatum mortale, e. g. propter scandalum causatum.

Ratio tertii est, quia laesio iustitiae (etiam in lato sensu acceptae) est ex genere suo peccatum mortale.

Art. 6. De adiuratione.

416. **Notio.** *Adiuratio est interpositio divini nominis aut rei sacrae, cuius reverentia, timore, amore ille, qui adiuratur, ad aliquid faciendum aut omittendum inducitur.*

In adiuratione igitur adiurans conatur aliquid obtinere *ab alio* adiurato propter eius reverentiam vel timorem erga Deum. Adiurari possunt omnes, qui habent cognitionem Dei, scil. ipse Deus, Christus, B. Virgo, sancti, homines viatores, daemones.

Distinguitur 1. adiuratio *simplex* et *sollemnis*, prout fit sine vel cum caerimoniis ab Ecclesia praescriptis; 2. adiuratio *deprecativa* et *imperativa* (compulsiva), prout fit precibus vel imperio.

Principium. *Adiuratio debitis condicionibus vestita est actus virtutis religionis ideoque licitus et honestus.*

Ratio est, quia per adiurationem agnoscitur maiestas divina. Adiuratio semper quoque adhibita est ab Ecclesia.

Condiciones requisitae ad licitam adiurationem sunt eaedem ac ad licitum iuramentum, nempe: veritas, iustitia, iudicium.

Veritas exigit, ut adiurans non decipiat adiuratum.

Iustitia postulat, ut adiurans intendat rem licitam.

Iudicium exigit, ut adiuratio fiat cum debita reverentia.

417. **Scholion. De exorcismis.** Exorcismus proprie dictus est eiectio diaboli ex homine obsesso; late dictus est annulatio influxus diabolici in quacumque creatura. In exorcismo proprie dicto, si fit sollemni modo, stricte debent observari statuta Ecclesiae. Imprimis requiritur licentia Ordinarii, cuius est iudicare, num revera adsit diabolica obsessio, et num expediat sollemnem exorcismum peragere (cf. c. 1151 sqq.).

Privato et secreto modo exorcismus fieri potest a quolibet homine; efficacius autem ab illo, qui ordine Exorcistatus insignitus est.

Art. 7. De observantia diei dominicae et festorum.

Dividitur iste articulus in tres paragraphos: 1. de natura, origine, utilitate huius cultus; 2. de auditione Missae, quae est prima pars huius cultus; 3. de cessatione ab operibus servilibus, quae est altera pars huius cultus.

In hoc articulo tractabitur de omnibus illis, quae in tertio Decalogi praecepto et in primo et secundo praecepto Ecclesiae de observantia dierum festorum praescripta sunt.

§ 1. De natura, origine, utilitate observantiae dierum festorum.

418. **Natura et origo.** Praeceptum sanctificandi dies dominicas et festivas est iuris partim naturalis, partim positivo-divini, partim ecclesiastici:

a) est *iuris naturalis*, quatenus aliquod determinatum tempus publico cultui divino tribuendum dictat;

b) est *iuris positivo-divini*, quatenus uno cuiusque hebdomadae die in laudem creatoris ab omni

opere servili cessandum esse praecipit. Ita sententia probabilior;

c) est *iuris ecclesiastici*, quatenus a sola Ecclesia determinatum est, quibus diebus fixis et quibus modis colendus sit Deus.

419. **Ambitus huius praecepti.**

1. *Quaenam personae obligantur?*

℟. Omnes baptizati rationis compotes, non autem ante primum septennium (c. 12). Etiam haeretici obligantur observare hoc praeceptum; saepe tamen excusantur a peccato formali transgredientes (propter ignorantiam).

2. *Quinam dies sunt sanctificandi?*

℟. Ex iure communi ecclesiastico iuxta vigentem disciplinam sanctificandae sunt omnes dies dominicae et decem sequentia festa:

Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, SS. Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis, Assumptionis B. M. V., S. Iosephi sponsi B. M. V., SS. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum (c. 1247).

Ex iure autem particulari nonnulla festa sunt suppressa e. g. in Gallia, alia vero sunt introducta, e. g. festum S. Iacobi pro Hispania.

3 *Quaenam ex iure ecclesiastico praestanda sunt diebus dominicis et festivis?*

℟. Duo, nempe audire Missam et cessare ab operibus servilibus et forensibus (c. 1248).

420. **Utilitas huius praecepti:**

1. conservantur vires naturales hominis;
2. pretiosum adiumentum praestatur vitae spirituali et religiosae;
3. integritas vitae familialis fovetur;
4. propagatio cultus socialis et religionis catholicae obtinetur.

§ 2. De praecepto audiendi Missam.

421. 1. **Gravitas et ambitus huius praecepti.**

Praeceptum audiendi Missam diebus dominicis et festivis per se obligat sub gravi omnes baptizatos usum rationis et aetatem 7 annorum habentes. Hinc amentes et infantes nondum adepti usum rationis non obligantur. Infantes, qui iam ante primum septennium usum rationis adepti sunt, nihilominus non stricte tenentur assistere Missae, quia lex ecclesiastica eos non obligat (c. 12). — Sacerdos celebrans Missam (etiam in oratorio privato) satisfacit huic praecepto.

Ad perfecte satisfaciendum huic praecepto requiruntur quattuor: praesentia corporalis, integra Missa, assistentia religiosa, locus debitus.

422. a) *Praesentia corporalis* censetur sufficienter exsistere, quando audiens Missam est moraliter coniunctus cum celebrante.

Satisfaciunt igitur praecepto α) omnes, qui sunt *intra ecclesiam*, etsi stant in capella laterali nec videre possunt celebrantem, dummodo tamen ex sonitu campanulae vel ex signis aliorum aliqualiter percipiant, quid a celebrante agatur; β) etiam illi, qui *extra ecclesiam* stant prope ianuam (etsi clausam), immo et in domo vicina, dummodo caeremonias aliqualiter percipere valeant et se coniungant cum celebrante.

b) *Integra Missa*, i. e. ab initio Missae usque ad benedictionem sacerdotis inclusive audienda est.

Diebus, quibus sacerdos solet tres Missas dicere (die Natali D. N. I. Ch. et Commem. omn. def.) fideles nihilominus non tenentur nisi unam Missam audire. — Qui partem notabilem Missae non audit, non satisfacit praecepto ideoque graviter peccat. Quid autem sit *notabilis* pars, non ita certo constat. Duo tamen constant: α) Notabilitas partis non solum ex duratione sed praesertim ex eius dignitate mensuranda est; ideoque ille, qui non adest durante consecratione et communione, etiamsi adest durante tota alia parte, non satisfacit praecepto. β) Tertia pars Missae censetur esse notabilis et gravis materia.

Omissio levis censentur esse: omnia ab initio Missae usque ad Offertorium *exclusive*; pariter omnia post communionem; pariter omnia ab initio usque ad epistulam simul iuncta cum omnibus, quae sequuntur communionem.

423. c) *Assistentia religiosa* et non mere physica requiritur durante Missa.

Requiritur igitur α) *debita intentio*, scil. colendi Deum, ideoque non satisfacit praecepto e. g. ille, qui ad ecclesiam accedit *unice* ob musicam audiendam vel ad puellam videndam; β) *debita attentio*. Num praeter attentionem externam etiam aliqua attentio interna sit stricte necessaria, controvertitur. Cf. supra n. 375. Debita attentio ad Missam videtur deesse in illo quoque, qui toto tempore Missae vel durante *notabili parte* eius peccata sua confitetur. Quare, nisi vera necessitas excusat, taliter confitentes tenentur aliam Missam audire. Saepe tamen talis necessitas adest, e. g. pro famulis vel pro iis qui non possunt alio tempore confiteri.

424. d) *Locus debitus* ad audiendam Missam ordinarie est ecclesia, oratorium publicum vel semi-publicum [1].

Oratorium *publicum* est locus ex auctoritate episcopi ad cultum publicum perpetuo dedicatus et benedictus vel etiam consecratus. Insuper requiritur, ut fidelibus universim pateat ingressus ad illum locum, saltem tempore Missae (c. 1188, § 2).

Oratorium *semi-publicum* est id, quod, etsi in loco quodammodo privato vel saltem non absolute publico erectum est, tamen inservit in commodum non alicuius personae privatae, sed alicuius communitatis aut coetus; e. g. oratorium erectum in seminariis, in collegiis ecclesiasticis, in institutis votorum simplicium, in convictibus discipulorum, in nosocomiis, in carceribus, in domibus episcoporum et Cardinalium etc.

Oratorium *privatum* est id, quod in privatis domibus in commodum alicuius determinatae personae vel familiae ex Indulto S. Sedis erectum est. In tali oratorio omnibus quidem christifidelibus potest s. communio distribui, sed non nisi illi, quibus id specialiter permissum est, possunt satisfacere praecepto audiendi Missam. In Indulto solent complures clausulae apponi, quae diligenter observandae sunt. Sub nomine *hospi-*

[1] De hac re statuit Codex iur. can. c. 1249: «Legi de audiendo Sacro satisfacit, qui Missae adest quocumque catholico ritu celebratur, sub dio aut in quacumque ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico et in privatis coemeteriorum aediculis, non vero in aliis oratoriis, nisi hoc privilegium a S. Sede concessum fuerit.»

tum indultarii, quibus ordinarie permittitur, ut et ipsi satisfaciant praecepto audiendi Missam, intelleguntur etiam illi, qui ad solum prandium invitati sunt.

Ex iusta et rationabili causa episcopus potest permittere, ut in quolibet loco decenti et etiam sub divo dicatur et audiatur Missa; non quidem habitualiter, sed in casu particulari (c. 1194).

425. 2. **Causae excusantes** ab obligatione audiendi Missam possunt reduci omnes ad impotentiam physicam vel moralem. Alii dicunt: ab hac obligatione excusant necessitas, caritas, officium. S. Alphonsus merito dicit: «excusat quaevis causa mediocriter gravis, scil. quae involvit notabile aliquod incommodum aut damnum in bonis animae vel corporis proprii vel proximi» (Theol. mor. l. 3, n. 324).

§ 3. De cessatione ab operibus servilibus.

426. **Distinctiones.** Quadruplex genus operum distinguitur:

1. *Opera servilia* sunt ea, quae a) potissimum labore corporali perficiuntur, b) immediate ordinantur ad utilitatem corporis, c) antiquitus a servis fieri solebant. Talia opera sunt e. g. opera ruralia, ut fodere, arare; opera mechanica, ut nere, calceos perficere.

Nota. Opera servilia non sunt diiudicanda ex fine operantis, ex fatigatione coniuncta, ex mercede percepta etc., sed *ex fine operis*, ac proinde remanent servilia, etiamsi fiunt recreationis vel caritatis causa.

2. *Opera liberalia* dicuntur ea, quae a) a viribus animae praecipue procedunt, b) animum excolendum immediate spectant, c) a liberis hominibus fieri solebant, e. g. legere, scribere, canere, organa pulsare. Talia opera remanent liberalia, etsi cum magna defatigatione et pro mercede obtinenda suscipiuntur.

3. *Opera communia* (vocantur quoque media et naturalia) sunt ea, quae a liberis et a servis

promiscue exercentur et praesertim inserviunt *ad cotidianum corporis cultum*, ut manducare, venari, iter facere, coquere.

4. *Opera forensia* sunt ea, quae aut in foro iudiciali aut in foro mercatus peraguntur, ut e. g. sedere in tribunali, defendere reum, emere, vendere, locare etc.

Nota. Complura sunt opera, quorum indoles est dubia. Ad solvendum huiusmodi dubium praecipue attendendum est *ad communem aestimationem hominum*. Sic e. g. remigare est opus servile; sin autem fit recreationis causa diebus dominicis, ut licitum habetur ex communi aestimatione hominum.

427. **Principium.** *Opera servilia et forensia prohibentur, opera vero liberalia et communia permittuntur diebus dominicis et festivis* (c. 1248).

Ratio est, quia opera servilia et forensia solent absorbendo applicationem mentis et causando defatigationem corporalem impedire hominem, quominus sufficienter vacet cultui divino. Per opera vero communia et liberalia homo non ita impeditur a cultu divino. — Quantum ad *opera forensia* hodie mitior praxis exsistit. Nam nundinae, in quibus parvae res ut flores, fructus etc. veneunt, permittuntur. Item privati contractus emptionis, venditionis etc.

Praeceptum abstinendi ab illicitis servilibus et forensibus operibus est ex genere suo grave, admittit autem parvitatem materiae. Gravis materia ac proinde grave peccatum est, si quis sine ulla causa excusante *ultra duas horas* (sive continue, sive positis intervallis) opera vere servilia fecerit. Sin vero labor non est ita servilis, sed potius levis aut liberalis, *spatium trium horarum* videtur constituere gravem materiam.

428. **Causae excusantes** ab hac lege reduci possunt ad tres categorias, quae sunt: 1. necessitas propria aut aliena; 2. consuetudo legitima; 3. dispensatio legitima.

Necessitas propria aut aliena excusat aliquando, e. g. agricolas tempore messis, pauperes, famulos, operarios, qui vigilare debent in magnis fabricis super machinas. Aliqualis necessitas etiam exsistit, si adest periculum peccandi ex otio.

Consuetudo excusat aliquando barbitonsores, aurigas curruum publicorum, venatores, piscatores, venditores parvarum rerum.

Dispensatio in hac lege potest concedi a Summo Pontifice; in casibus particularibus etiam ab episcopis, praelatis religiosis, parochis pro suis subditis (c. 1245). Confessarius nequit quidem dispensare in hac lege, sed in casibus dubiis potest eam interpretari et concedere, ut paenitentes necessarios labores peragant.

Caput III. De vitiis oppositis virtuti religionis.

429. Praenotamen. Virtuti religionis opponitur duplex vitium: alterum per defectum, nempe *irreligiositas;* alterum per excessum, scil. *superstitio.* Dividitur praesens caput in 10 articulos, quorum sex priores ad superstitionem, quattuor autem ulteriores ad irreligiositatem pertinent: 1. de superstitione in genere; 2. de idololatria; 3. de divinatione; 4. de vana observantia: 5. de magia et maleficio; 6. de magnetismo, hypnotismo, spiritismo; 7. de tentatione Dei; 8. de blasphemia; 9. de sacrilegio; 10. de simonia.

Art. 1. De superstitione in genere.

430. Notio. *Superstitio est vitium exhibens cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet* (S. Thomas). Quae quidem definitio magis clarescit, si attenditur ad diversas species superstitionis.

Species superstitionis sunt duae, quae tamen iterum plures subdivisiones admittunt:

a) Prima species superstitionis est *cultus indebitus veri Numinis* seu Dei; quod duplici modo fit: 1. per cultum falsum seu perniciosum; 2. per cultum superfluum.

Cultus *falsus* veri Dei diversis modis fieri potest, e. g. si quis velit colere Deum caeremoniis iudaicis, quae significant Christum adhuc venturum. Talis superstitio est ex genere suo peccatum mortale.

Cultus *superfluus* veri Dei est ille, qui fini religionis non est conveniens, e. g. velle orare cum certo numero, situ, colore candelarum. Haec superstitio est ex genere suo peccatum veniale. — Ab omni labe superstitionis immunes sunt modi colendi Deum ab Ecclesia approbati, e. g. devotiones novendiales, Missae Gregorianae etc.

b) Secunda species superstitionis est *cultus falsi numinis,* seu cultus divinus exhibitus alicui creaturae et praesertim diabolo; quod quidem fit per idololatriam, divinationem, vanam observantiam etc.

Art. 2. De idololatria.

431. Notio. *Idololatria est latria seu adoratio idoli.*

Haec autem adoratio non refertur ad ipsum idolum seu effigiem sed ad personam repraesentatam per imaginem, nempe ad aliquam creaturam vel ad diabolum.

Divisiones. 1. Idololatria est vel *materialis* (simulata, externa) vel *formalis* (interna), prout idolum adoratur vel solo externo et ficto modo, vel etiam vero interno cultu.

2. Idololatria *perfecta* et *imperfecta.* Ita subdividitur idololatria formalis. Prior est adoratio creaturae praestita ab eo, qui revera putat hanc creaturam esse Deum; posterior committitur ab eo, qui, clare sciens idolo nullam inesse divinitatem, tamen ex pravo affectu, e. g. ex odio Dei, ex cupiditate aliquid obtinendi a daemone, illi cultum divinum exhibet.

Malitia moralis. Omnis idololatria, sive materialis sive formalis, sive perfecta sive imperfecta, est gravissimum peccatum, nisi ex errore invincibili procedat.

Ratio est, a) quia strictissime prohibita est in primo praecepto Decalogi: «Non habebis deos alienos coram me»; b) quia est aperta rebellio contra Deum verum.

Art. 3. De divinatione.

432. Notio. *Divinatio est praenuntiatio seu praenotio futurorum modo indebito, i. e. per media a Deo non instituta.*

Cum cognitio futurorum non habeatur neque per naturales vires hominis, neque per Deum, neque per bonos angelos aut sanctos, reliquum est, ut divinatio fiat ope daemonis. Quapropter divinatio definiri quoque potest: superstitio, qua invocatur explicite aut saltem implicite daemon ad res occultas eius adiutorio cognoscendas. In omni igitur divinatione est explicita vel implicita invocatio diaboli. Sunt valde multi modi divinationis, e. g. *praestigium,* quando ipse daemon signo sensibili apparet; *oniromantia,* i. e. divinatio per somnia; *necromantia,* in qua diabolus rogatur, ut velit suscitare aliquem mortuum, qui revelet occulta (est idem ac modernus spiritismus); *pythonismus,* quando daemon per homines vivos a se obsessos manifestat occulta; *geomantia,* quando daemon docet per figuras aut signa apparentia in aliquo corpore terrestri. — Ad geomantiam reduci possunt sic dictae tabulae rotantes, quando ibi revera diabolicus influxus intercedit, quod videtur satis raro accidere.

Sortilegium quoque pertinet ad divinationem, si quis praesumit cognoscere futura ex signis arbitrarie electis, e. g. ex chartis, ex iactu taxillorum. Attamen sortes possunt licite adhiberi ad dividendas res, operas etc., et tunc vocantur *sortes divisoriae.*

Virga divinatoria, quae ex ligno coryli aut salicis caedi solet, licite adhibetur ad inveniendam aquam aut metalla sub terra, sed non ad inveniendas quascumque res occultas. Ratio est, quia naturaliter explicari potest influxus aquae et metallorum in hanc virgam, non autem influxus cuiuscumque rei.

433. Malitia moralis. Divinatio, quae fit cum explicita invocatione diaboli, est peccatum mortale ex toto genere suo; quae autem cum sola implicita invocatione diaboli peragitur, est peccatum mortale ex genere suo.

Ratio primi est, quia hoc modo exhibetur cultus divinus diabolo, hosti infenso Dei. Insuper oritur periculum imminens apostasiae aliorumque gravium peccatorum.

Ratio secundi est, quia tunc quidem non exhibetur cultus divinus diabolo, sed tamen aliquale commercium cum illo fovetur. — Haec divinatio est peccatum veniale, si fit a) ex ignorantia aut simplicitate agentis; b) ex ioco vel levitate; c) sine firma fiducia.

Omnes diversae divinationes, sive fiant cum explicito sive cum implicito pacto diaboli, non distinguuntur specifice in genere moris, quia omnes ad cultum falsi numinis reducuntur; nihilominus in confessione declarandum est, utrum divinatio sit facta per explicitum pactum cum diabolo necne, 1. quia sic confessarius facilius iudicare potest de gravitate peccati commissi; 2. quia cum divinatione per invocationem expressam diaboli solent coniuncta esse complura alia peccata, e. g. blasphemiae, sacrilegii, abusus rerum sacrarum.

Art. 4. De vana observantia.

434. Notio et divisio. *Vana observantia est species superstitionis, qua ad obtinendum certum effectum adhibentur media, quae nec ex natura sua nec ex Dei aut Ecclesiae ordinatione ad eum finem sunt idonea.*

Differentia inter vanam observantiam et divinationem est solummodo *accidentalis,* nempe in divinatione ope daemonis intenditur *cognitio* rerum occultarum vel futurarum, in vana vero observantia quaeruntur alii effectus externi, e. g. sanitas.

A veteribus theologis distinguebatur triplex vana observantia:

1. *ars notoria,* quae est quaedam ratio adipiscendi *scientiam* repente et sine labore per media prorsus inepta. S. Thomas merito inculcat omnimodam inefficaciam artis notoriae, quia daemon nequit repente scientiam communicare.

2. *observantia sanitatum* est quaedam ratio curandi morbos, adhibitis mediis prorsus ineptis, e. g. per sic dictam sympathiam, per amuleta etc.

3. *observantia eventuum* est quaedam ratio ex observatione fortuiti eventus coniectandi aliquid fausti vel infausti et inde suas actiones moderandi, e. g. si quis firmiter putat sibi aliquid infausti obventurum esse, quia cum 13 convivis assedit mensae.

Malitia moralis et specifica vanae observantiae eadem est ac divinationis, quia in utraque laeditur eodem modo virtus religionis.

Art. 5. De magia et maleficio.

435. **Notiones.** *Magia* in sensu generali sumpta *est ars operandi mira per causas occultas.*

Distinguitur magia *alba*, quae est ars operandi mira per media naturalia; et magia *nigra*, quae est ars operandi mira ope daemonis. Magia, quae adhibetur ad nocendum, vocatur *maleficium*, quod iuxta antiquos est vel *amatorium* seu philtrum, quod est excitatio vehementissimi amoris vel odii erga aliquam determinatam personam; vel *veneficum*, quod alicui determinatae personae infert damnum corporale ope daemonis.

Malitia moralis. a) Magia alba per se licita est; b) magia nigra est grave superstitionis peccatum, quod non differt nisi accidentaliter a divinatione et vana observantia; c) maleficium praeter malitiam superstitionis continet laesionem caritatis et iustitiae. — Omnia ista clara sunt ex supra dictis.

Art. 6. De magnetismo, hypnotismo, spiritismo.

436. 1. **Magnetismus** est vel mineralis vel animalis. Prior est aliqua vis physica valde similis et affinis electricitati. Posterior (de quo unice hic sermo est) est vis quaedam forte in nervis hominis subsistens apta ad curandos morbos aliosque effectus materiales producendos sola attrectatione externa. Talis magnetismus nostris diebus saepe exercetur a sic dictis magnetopathis et *obiective* per se consideratus nihil illiciti in se continet. Est enim nihil aliud nisi unus e diversis modis curandi morbos, sicut electrotherapia, homoeopathia etc. Per accidens tamen haud raro illicitus est, quia e. g. exercetur ab hominibus, qui carent debita scientia, bonis moribus, recto fine agendi.

Ope huius magnetismi forte explicari possunt etiam complura phaenomena «*tabularum rotantium*» (cf. nostrum Man. theol. mor. II 521).

437. 2. **Hypnotismus.** Etsi quidam auctores hypnotismum nihil aliud esse volunt nisi gradum superiorem magnetismi, rectius tamen distinguitur realiter ab illo. Etenim magnetismus solis attrectationibus corporalibus fieri potest; hypnotismus autem multis aliis mediis, e. g. aspectu fixo corporis lucidi, suggestione etc. Hypnotismus ordinarie causat somnum artificiosum, in quo hypnotizatus ad nutum oboedit hypnotizatori. Ad hypnotismum tamen reducitur quoque sic dicta suggestio in statu vigilantiae (Wachsuggestion), per quam non quidem producitur somnus hypnoticus, sed nihilominus hypnotizatus necessario perficit mandata hypnotizatoris seu suggestoris. Effectus hypnotismi sunt prorsus stupendi, e. g. katalepsis, lethargia, duplicitas personae ita ut e. g. puella putet se esse virum etc. Quamvis nonnulla phaenomena hypnotismi sint difficillima explicatu, tamen non est necessario recurrendum ad interventum diabolicum.

Principium. a) *Hypnotismus per se non est illicitus,* b) *saepe tamen propter abusum evadit illicitus.*

Ita sententia hodie communior. Ratio primi est, quia media adhibita et finis hyponotismi non sunt aliquid in se illicitum, ut patet ex dictis. Neque dicat quis, non licere se modo violento privare usu rationis, neque subicere voluntatem suam abitrio alieno, sicuti fit in hypnotismo. Etenim exsistente rationabili causa nihil obstat, quominus quis ad tempus renuntiet usui rationis et voluntatis, sicut e. g. fit in somno naturali et in somno artificioso per narcosim.

Ratio secundi est, quia hypnotismus est terra adhuc satis incognita, periculis plena, abusui valde subiecta, et saepe satis parvae utilitatis.

438. 3. **Spiritismus** in stricto sensu acceptus *est illicita conversatio cum spiritibus alterius mundi.* Quando haec conversatio fit mediante hypnotismo — quod satis raro accidit —, habentur simul phaenomena hypnotismi et spiritismi. In spiritismo stricte dicto feruntur evocari spiritus alterius mundi, nempe alicuius defuncti noti. Qui quidem spiritus producunt aliquando sic dictam «materializationem», i. e. apparent in forma sensibili et visibili, ita ut illorum photographia sumi possit. Media spiritistica, i. e. personae habentes specialem aptitudinem conversandi cum spiritibus, adhiberi solent, quae cadendo in somnum artificialem (qui vocatur trance) materializationem spirituum producunt. Haud semel probatum est, media celeberrima spiritistica fuisse viles impostores, qui magna dexteritate produxerunt effectus stupendos, sed solis viribus naturalibus. Quare complures auctores appellant omnia phaenomena spiritistica deceptiones et commenta.

Moralitas. *Spiritismus stricte dictus, i. e. artificiosa et vana conversatio cum spiritibus alterius mundi, illicitus est.*

Nam phaenomena spiritismi, sive vera sive ficticia sunt, semper prohibita remanent. Etenim si sint vera et veri spiritus alterius mundi appareant, isti spiritus certo non sunt boni spiritus, quippe qui istos effectus frivolos, immo saepe irreligiosos et immorales, non producant. Ergo est diabolus, et spiritismus nihil aliud est nisi commercium cum diabolo; quod profecto non licet. Sin vero phaenomena sint ficticia, adhuc spiritismus est illicitus, utpote causans scandalum, errores, nocumenta religionis, nihil utilitatis. Ergo non licet spiritisticis sessionibus interesse et a fortiori non licet inservire tamquam medium. (Cf. S. Offic. d. 17 Apr. 1917.)

Absente autem scandalo et cooperatione omnique exclusa approbatione spiritismi, homo probus posset forte assistere sessionibus spiritistarum *hoc solo fine, ut detegat veram naturam spiritismi;* qui semper fere nihil aliud est nisi deceptio a callidissimis hominibus facta.

Art. 7. De tentatione Dei.

439. Notio. *Tentatio Dei est dictum vel factum, quo quis explorat, num Deus aliquam perfectionem habeat vel exerceat,* e. g. scientiam, potentiam, misericordiam. Deum tentare igitur nihil aliud est nisi exspectare insolitam Dei manifestationem.

Divisio. Distinguitur tentatio Dei *formalis* (expressa, explicita) et *virtualis* (interpretativa), prout homo aliquam Dei perfectionem explicite intendit explorare vel implicite per quandam actionem vel omissionem.

440. Malitia. Tentatio Dei formalis est peccatum mortale ex toto genere suo; tentatio autem virtualis est peccatum mortale ex genere suo.

Ratio primi est, quia tentatio formalis includit duplex grave peccatum, scil. infidelitatis et gravis irreligiositatis; supponit enim saltem dubium de aliqua Dei perfectione.

Ratio secundi est, quia tentatio virtualis est solum contra virtutem religionis; saepe oritur ex nimia confidentia propria. Aliquando gravitas huius peccati est pensanda etiam ex laesione aliarum virtutum. Hinc e. g. sacerdos graviter peccat, qui ex neglegentia prorsus imparatus ad contionem accedit, sperans a Deo auxilium speciale. Non enim solam tentationem Dei, sed etiam grave scandalum committit.

Art. 8. De blasphemia.

441. Notio. *Blasphemia est locutio contumeliosa in Deum.*

Dicitur: *locutio,* quia blasphemia proprie et stricte dicta solis verbis fit; sub nomine tamen blasphemiae concluduntur quoque alia quaecumque signa contumeliosa in Deum; quare a nonnullis distinguitur blasphemia *cordis* (cogitationes contumeliosae), *oris* (verba blasphematoria), *operis* (opera blasphematoria, e. g. spuere in coelum).

Divisiones. Blasphemia distinguitur: 1. *haereticalis* et *nonhaereticalis,* prout continet vel non continet haeresim sive formalem sive materialem. Blasphemia haereticalis est e. g., si calvinista dicit: Deus est causa peccati. — Blasphemia nonhaereticalis subdividitur in: *simplicem seu probrosam,* et *imprecativam.* Prior est simplex contumelia seu derisio Dei.

Hoc modo blasphemabant iudaei dicentes Christo: «Vah qui destruis templum Dei et in triduo illud reaedificas, salva temetipsum.» Blasphemia imprecativa Deo malum exoptat, e. g. Deus pereat.

2. Blasphemia *immediata* et *mediata*, prout directe Deum inhonorat vel res sacras aut sanctos coniunctos cum Deo.

442. **Malitia.** *Blasphemia est peccatum mortale ex toto genere suo; ideoque non potest fieri veniale, nisi ex imperfectione actus.*

Ratio est, quia omnis blasphemia graviter laedit caritatem Dei, religionem, saepe vel ipsam fidem. Enormitas huius peccati potest perspici etiam ex gravissimis poenis, quas a) Deus inflixit in V. Testamento (poena mortis), b) Ecclesia infligit (cf. c. 2323), c) complura iura civilia imponunt (poena carceris).

Propter imperfectionem actus, i. e. per defectum sufficientis advertentiae et consensus, haud raro blasphemia non est nisi peccatum veniale praesertim in hominibus rudibus.

Regulae practicae ad discernendum, num in casu particulari adsit blasphemia graviter peccaminosa.

Ad tria praesertim attendere oportet:

1. ad intentionem loquentis vel agentis,
2. ad sensum naturalem verborum,
3. ad communem aestimationem in loco.

Remedia contra blasphemias. 1. Blasphematores serio monendi sunt, quam grave peccatum sit blasphemia, quam insulsum sit velle contumeliam inferre Deo altissimo. 2. Ad habitum blasphemandi eradicandum valde expediunt parvae poenae conventionales vel preces iaculatoriae, quae qualibet vice peraguntur, quando blasphemator iterum ex inadvertentia in blasphemias prorumpit.

A blasphemia clare distinguere oportet maledictionem et vanam usurpationem divini nominis.

443. *Maledictio est alteri malum imprecari.* Potest autem quis malum imprecari a) Deo aut

rebus et personis sanctis, b) creaturis rationalibus, c) creaturis irrationalibus, d) diabolo.

a) Maledicere Deo aut rebus personisque sanctis est blasphemia, ut supra dictum est.

b) Maledicere creaturis rationalibus non adversatur ordinarie nisi caritati vel iustitiae.

c) Maledicere creaturis irrationalibus, e. g. ventis, equis, est communiter nihil aliud nisi leve peccatum impatientiae. Immo si est finis honestus, tales maledictiones non sunt peccaminosae, quemadmodum fit in exorcismo.

d) Maledicere diabolo ut inimico Dei et hominis licitum est. *Exclamationes* sicut: diabolus, fulgura (Donnerwetter) etc., in se non sunt peccaminosae, evadunt autem illicitae per accidens, e. g. propter scandalum.

444. *Vana assumptio nominis Dei* vel rerum sacrarum per se est peccatum veniale, utpote non ita gravem irreverentiam Deo causans.

Art. 9. De sacrilegio.

445. **Notio et divisio.** *Sacrilegium est violatio rei sacrae.*

Res sacrae sunt aut personae aut loci aut res; quae scil. ritu publico et Ecclesiae auctoritate ad cultum divinum sunt dedicatae. Quare distingui solet sacrilegium *personale,* quod laedit personam sacram; sacrilegium *locale,* quod laedit locum sacrum; sacrilegium *reale,* quod laedit rem sacram.

Oportet notare tunc solummodo committi sacrilegium in stricto sensu, quando res sacra formaliter *ut sacra* laeditur, idque *graviter*. Hinc e. g. qui graviter laedit personam sacerdotis, committit sacrilegium; non autem, qui laedit eius famam, bona etc. Levis laesio rei sacrae, e. g. confabulationes in loco sacro, non solent nominari sacrilegia.

Malitia. *Sacrilegium est peccatum ex genere suo grave contra virtutem religionis.*

Patet ex ipsa notione sacrilegii. Sacrilegia personalia, localia, realia specifice inter se differunt ac proinde sunt distincte declaranda in confessione.

446. 1. **Sacrilegium personale** committi potest quattuor modis:

a) per laesionem *privilegii canonis,* i. e. suadente diabolo violentas manus iniciendo in clericos vel personas religiosas utriusque sexus. Requiritur, ut istae violentiae sint *reales* (non autem verbales) et *graviter peccaminosae* (non autem ex ioco, iusta correctione aut defensione);

b) per laesionem *privilegii fori,* i. e. illicite trahendo easdem personas ad tribunal saeculare. Non enim licet trahere clericos et personas religiosas ad tribunal laicale nisi prius obtenta licentia superioris ecclesiastici, quae in aliquibus regionibus conceditur vi Concordati, in aliis autem toties quoties obtineri debet;

c) per laesionem *privilegii immunitatis* personalis, i. e. exigendo indebite ab iisdem personis tributa, vectigalia, servitium militare. Complura autem gubernia civilia iam non agnoscunt hanc immunitatem, et Ecclesia illam non semper urget ad vitanda maiora mala;

d) per laesionem *voti publici castitatis,* i. e. committendo actus luxuriae a vel cum persona obstricta voto *publico* castitatis. Sacrilegium igitur committit tam ipsa religiosa persona luxuriose peccans quam eius complex.

447. 2. **Sacrilegium locale,** quod est violatio loci sacri, i. e. ad cultum divinum perpetuo consecrati vel saltem benedicti ex Ecclesiae auctoritate (c. 1154), committitur tribus modis:

a) per *pollutionem loci sacri,* quae fit α) iniusta et gravi effusione sanguinis humani; β) delicto homicidii, etiam sine effusione sanguinis, e. g. strangulatione; γ) impiis vel sordidis usibus, quibus ecclesia addicta fuerit, e. g. nundinis vel negotiationibus profanis; δ) sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam (c. 1172). Pollutio loci sacri tunc solum habetur, si actus praedicti sunt certi et notorii et in ipsa ecclesia positi. Ergo, si facti sunt in atrio, in turri, super fornices etc., polluta non est ecclesia. — Per peccaminosam effusionem seminis humani in loco sacro perpetratam iam non amplius polluitur iste locus, ita ut reconciliatione indigeat, quia Codex iur. can. silet de hac re; sed adhuc videtur grave sacrilegium locale committi. Idem valet de aliis actibus externis luxuriosis, graviter peccaminosis. Ratio est, quia omnibus his actibus gravis irreverentia committitur in locum sacrum;

b) per *furtum grave* in loco sacro commissum. Sic enim statuitur in Decreto Gratiani (c. 21, C. 17, q. 4): «Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non-sacrum de sacro, sive sacrum de non-sacro.» Complures autem auctores docent, tunc solum furtum in loco sacro commissum esse grave sacrilegium, si res ablata ad locum sacrum pertineat aut saltem eius custodiae sit concredita. S. Alphonsus probabiliorem putat sententiam, quae docet omne grave furtum commissum in loco sacro esse grave sacrilegium;

c) per *laesionem immunitatis localis.* Immunitas localis est privilegium concessum locis non solum sacris sed etiam *religiosis,* vi cuius in illo prohibentur complures actiones profanae et conceditur ius asyli. Loca religiosa sunt ea, in quibus opera pietatis et misericordiae

habitualiter et ex officio exercentur, et quae cum auctoritate aut expressa licentia episcopi sunt erecta, e. g. monasteria, hospitalia religiosa, seminarium clericorum, palatium episcopale etc.

448. Nota. Actiones sub duabus prioribus litteris a) et b) indicatae non causant sacrilegium, nisi patratae sunt stricte *in* loco sacro, i. e. intra ambitum loci sacri, seu si agitur de ecclesiis, in spatio quod circum includitur a parietibus, pavimento et lacunari. Ergo sacrilegium non est, si e. g. effusio sanguinis facta est in sacristia aut in porticu. Actiones autem tertio sub c) indicatae constituunt sacrilegium, etiam si factae sunt in locis immediate attingentibus locum sacrum Ceterum ista laesio immunitatis localis hodie non ita magni momenti est propter consuetudines contrarias.

449. 3. **Sacrilegium reale** est indigna tractatio rei sacrae. Res sacrae possunt reduci ad tres categorias, nempe sunt:

1. sacramenta et sacramentalia, 2. vasa sacra et ornamenta ecclesiastica, 3. bona ecclesiastica.

1. Indigna tractatio sacramentorum est principale sacrilegium reale, e. g. sacrilege recipere sacramenta, graves irreverentiae erga eucharistiam etc.

2. Vasa sacra consecrata adhibere ad usus profanos sine maxima necessitate est grave sacrilegium. Licet ex causa rationabili huiusmodi res adhibere ad usus profanos, si earum forma est prius totaliter destructa; tunc enim non ipsae res, sed potius earum materia deservit usui profano. Sic e. g. ex causa rationabili licet calicem consecratum fundere et metallum fusum adhibere pro aliis usibus.

3. Usurpatio rerum sacrarum et bonorum ecclesiasticorum in iure canonico passim vocatur sacrilegium, de quo tractabitur in tractatu de censuris.

Art. 10. De simonia.

450. **Notio.** *Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi (pretio temporali) aliquid spirituale vel spirituali annexum.*

Dicitur: 1. *studiosa voluntas,* i. e. deliberata intentio, quia labes simoniaca iam contrahitur ex ipsa prava intentione, quamvis non sit opere externo completa.

Dicitur 2: *emendi vel vendendi,* quibus verbis indicatur non solum contractus emptionis-venditionis, sed quilibet contractus *onerosus,* e. g. locationis, conductionis. Contractus igitur gratuitus per se non inducit labem simoniacam. — Ad magis explicandam naturam simoniae nonnulli auctores addunt in definitione: *pretio temporali,* quod triplex solet distingui: munus a manu, munus a lingua, munus ab obsequio. *Munus a manu* est pecunia omnisque alia res, quae pecunia aestimari potest. *Munus a lingua* est favor, laus, commendatio, intercessio, defensio, generatim quodvis patrocinium, quod apud alium fit ex conventione pro remuneratione alicuius rei spiritualis obtinendae. *Munus ab obsequio* est servitium temporale pro re spirituali acquirenda praestitum, e. g. clericus confert instructionem filio patroni, eo pacto ut ipse praesentetur ad paroeciam.

Dicitur 3: *aliquid spirituale vel spirituali annexum,* ad designandam materiam simoniae. Res spiritualis est id, quod vel ex se vel ex institutione Ecclesiae ad salutem supernaturalem animae ordinatur, e. g. gratia, sacramenta, potestas ordinis vel iurisdictionis etc. Spirituali autem annexum dicitur aliquid temporale tripliciter: a) *antecedenter,* quando temporale praeexsistit, cui deinde res spiritualis accedit, e. g. calix ut res temporalis praeexsistit, cui accedit spiritualis consecratio; b) *concomitanter,* quando temporale et spirituale quasi parallelo modo exsistunt, e. g. labor in Missa dicenda; labor et Missa simul exsistunt; c) *consequenter,* quando res spiritualis est prior, cui accedit res temporalis, e. g. reditus paroeciales sunt aliquid temporale, quod supponit aliquid spirituale, nempe officium ipsum paroeciale.

Corollarium. Ex dictis sequitur, ut simonia sit essentialiter aequiperatio rei temporalis cum re spirituali. Ergo simonia non adest, si una res spiritualis cum altera spirituali permutatur.

451. **Divisiones.** 1. Simonia *iuris divini* et *iuris ecclesiastici.* Prior (quae et aliquando vocatur simonia iuris naturalis) est illa, quae hucusque explicata est. Altera sunt commu-

tationes rerum ecclesiasticarum contra graves prohibitiones Ecclesiae, e. g. quando unum beneficium datur pro alio. Haec igitur simonia nihil aliud est nisi contractus circa spirituale aut spirituali annexum, qui ab Ecclesia est graviter prohibitus intuitu religionis (cf. c. 727, § 2).

2. Simonia mentalis, conventionalis, realis.

Simonia *mentalis* adest, quando pactum simoniacum est pure mentale neque manifestatur exterius, e. g. clericus servit patrono pro nullo aut exiguo salario hac intentione occulta, ut ab eo in recompensationem praestiti servitii sibi conferatur paroecia. Haec simonia mentalis est quidem grave peccatum, sed, utpote actus mere internus, non subiacet poenis ecclesiasticis.

Simonia *conventionalis* est conventio seu pactum ultro citroque vere quidem initum, sed *nondum exsecutioni mandatum* commutandi temporale cum spirituali aut spirituali annexo.

Simonia *realis* est pactum simoniacum ex utraque parte contrahentium exsecutioni mandatum saltem partialiter.

3. Simonia *confidentialis*, quae solummodo locum habet in beneficiis ecclesiasticis, est procuratio vel collatio vel acceptatio beneficii ecclesiastici cum certa confidentiali reservatione, nempe a) per *accessum*, quando scil. aliquis alteri tradit beneficium ecclesiasticum cum hac condicione, ut sibi vel alteri adhuc incapaci, e. g. ob defectum aetatis, post adeptam capacitatem resignetur beneficium, ita ut sibi pateat accessus ad illud; b) per *ingressum*, quando quis beneficium sibi collatum *ante* coeptam eius possessionem alteri cedit eo pacto, ut, post dimissionem beneficii quocumque modo factam, ipse cedens possessionem eius ingredi possit; c) per *regressum*, quando quis beneficium *iam possessum* alteri resignat sub condicione, ut postea sibi aut tertiae personae pateat regressus ad illud; d) per *reservationem partis* seu pensionis, quando quis alteri beneficium procurat sub ea condicione, ut sibi tertiove cedatur pars fructuum beneficii.

452. **Malitia moralis.** a) *Simonia iuris divini est peccatum ex toto genere suo mortale contra religionem;* b) *simonia autem solius iuris ecclesiastici est peccatum mortale ex genere suo.*

Ratio primi est, quia omnis simonia iuris divini etiam in materia parva est gravis parvipensio rerum sacrarum ac proinde ipsius Dei. Gravitas huius peccati licet perspici ex gravitate poenae, quae inflicta est Simoni Mago et adhuc infligitur simoniacis ab Ecclesia. — Ratio secundi est, quia simonia solius iuris ecclesiastici nihil est nisi praecepti ecclesiastici transgressio, quae quidem obiective est gravis, sed tamen admittit parvitatem materiae. — Quando simonia est simul iuris ecclesiastici et iuris divini, profecto est peccatum mortale ex toto genere suo, ut per se patet.

453. **Principium.** *Simonia iuris divini est emere aut vendere res temporales rei spirituali annexas* a) *consequenter,* b) *concomitanter intrinsece, non autem* c) *antecedenter, neque* d) *concomitanter extrinsece.*

Ratio primi et secundi est, quia tales res temporales, utpote inseparabiliter coniunctae cum re spirituali, censentur quasi spiritualizatae ideoque invendibiles. Quamvis autem istae res nullo modo emi aut vendi possunt, tamen licet occasione earum eleemosynam vel stipendium dare et acceptare; e. g. licet stipendium dare in sustentationem sacerdotis dicentis Missam.

Ratio tertii et quarti est, quia huiusmodi res temporales, utpote separabiles a re spirituali, possunt emi et vendi. Quare licet e. g. aliquid accipere etiam tamquam verum pretium pro Missa dicenda cum speciali labore.

454. **Simonia iuris ecclesiastici** locum habere potest in multis casibus, quorum principaliores sunt:

1. aliquid vel minimum dare aut accipere etiam sponte oblatum occasione examinis ad beneficium *paroeciale* obtinendum in sic dicto concursu paroeciali (Conc. Trid. sess. 24, c. 18 de reform.);

2. aliquid accipere etiam sponte oblatum pro collatione ordinum et tonsurae clericalis, pro litteris dimissorialibus, testimonialibus vel formatis (Conc. Trid. sess. 21, c. 1 de reform.), pro litteris testimonialibus adspirantium ad statum religiosum (c. 545);

3. vendere sepulturam ecclesiasticam (c. 13, X 3, 28). Attamen licet aliquid pecuniae exigere, si quis vult obtinere sepulturam in loco determinato (cf. tamen c. 1209, § 1);

4. vendere oleum benedictum vel sacrum chrisma etiam secundum valorem mere physicum (Benedictus XIV Const. «Apostolica» d. 17 Febr. 1742);

5. accipere aliquid pro erectione, institutione, aggregatione confraternitatum, sub poena nullitatis actus (Clemens VIII Const. «Quaecumque» d. 8 Dec. 1604);

6. vendere coronas, numismata aliasve res benedictas et indulgentiis ditatas, quae ipso venditionis facto omnes indulgentias amittunt (S. C. Indulg. d. 10 Iul. 1896 et c. 924, § 2). Quare huiusmodi res prius emendae aut vendendae et deinde benedicendae sunt. Item nefas est vendere reliquias (c. 1289);

7. exercere veram vel palliatam negotiationem aut mercaturam circa stipem Missarum (c. 827 2324);

8. vendere ipsum ius patronatus (c. 1470, § 1, n. 6). Licitum autem est vendere rem, e. g. castellum, quocum ius patronatus coniunctum est, dummodo ne pretium rei augeatur propter ius patronatus adiunctum.

455. Poenae simoniacorum.

1. Nulla poena ecclesiastica incurritur propter simoniam mentalem, quippe quae sit actus internus.

2. Ob simoniam realem sequentes poenae in iure statuuntur:

a) nullitas pacti simoniaci, ideoque etiam ante sententiam iudicis res simoniace data et accepta (si restitutionis est capax, nec obstat reverentia rei spirituali debita) restitui debet. Pariter fructus percepti ex ecclesiastico beneficio aut officio simoniace obtento restituendi sunt; potest tamen iudex ecclesiasticus vel ordinarius tales fructus *in bona fide* perceptos condonare ex toto vel ex parte (c. 729);

b) excommunicatio S. Sedi simpliciter reservata contra eos, qui perpetraverunt simoniam in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis; insuper iidem sunt ipso facto privati iure eligendi, praesentandi, nominandi (si quod habent) et, si sunt clerici, suspenduntur (c. 2392);

c) omnes (etiam episcopali dignitate aucti), qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint, aut alia sacramenta administraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi; clerici praeterea suspensionem incurrunt S. Sedi reservatam (c. 2371);

d) quaestum facientes ex indulgentiis plectuntur ipso facto excommunicatione simpliciter reservata S. Sedi (c. 2327).

e) delinquentes contra statuta de stipendiis Missarum vel de taxis ecclesiasticis plectuntur poenis ferendae sententiae (c. 2324 et 2408).

QUAESTIO II.

De virtutibus pietatis, observantiae, oboedientiae (seu de quarto praecepto Decalogi).

Caput I. De pietate.

456. Notio. Pietas sumitur in triplici sensu, scil. 1. pro *religione seu cultu divino;* quo sensu dicitur: «Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae quae nunc est et futurae» (1 Tim. 4, 8); 2. pro *benignitate seu misericordia,* quo sensu ipse Deus et sancti vocantur pii: «Quoniam pius et misericors Deus» (Eccli. 2, 3); 3. pro *virtute morali speciali*, qua parentes et patriam colimus tamquam principium exsistentiae nostrae. In hoc sensu pietas definitur a S. Thoma: «*Pietas est quaedam protestatio caritatis, quam quis habet ad parentes et ad patriam*» (S. theol. 2, 2, q. 101, a. 3, ad 1). Actus huius virtutis sunt duo: *obsequium et reverentia;* quae quidem exhibentur parentibus et patriae, quia sunt principium ortus nostri. Fundamentum igitur et motivum pietatis est arctissima unio, quae exsistit inter illos, qui sunt sanguine aut patria iuncti. — Pietas est virtus

specialis, quia habet speciale obiectum et speciale motivum, ut patet ex dictis.

457. **Peccata** contra pietatem sunt peccata specifice distincta ab aliis peccatis laedentibus caritatem aut iustitiam. Quare sunt etiam specialiter accusanda in confessione, e. g. verberare patrem et verberare alium hominem sunt peccata specifice diversa. Laesio autem pietatis inter consanguineos *remotioris gradus,* e. g. per odium, verberationem, est quidem circumstantia aggravans substantiam peccati, sed non inducit novam speciem moralem.

Pietas *erga patriam* laeditur per excessum et defectum. Per excessum laeditur ab iis, qui nationalismum excessivum verbis et factis exhibent cum iniuria aliarum nationum; per defectum autem ab iis, qui se esse cosmopolitas iactant et quorum adagium est vetus dictum paganum: «Ubi bene, ibi patria.»

Nota. Tunc solummodo laeditur pietas, quando parentes aut filii laeduntur in bonis *personalibus,* e. g. in incolumitate corporis, honoris, famae, non autem in bonis fortunae; immo tale peccatum est levius, quam si commissum est in extraneos; quia bona fortunae inter consanguineos sunt aliqualiter communia.

Caput II. De observantia.

458. **Notio.** *Observantia est virtus, per quam cultus et honor exhibetur personis in aliqua dignitate constitutis.* Solet distingui triplex observantia, prout triplex est dignitas colenda: a) observantia *civilis*, quae exhibetur dignitatibus civilibus, e. g. regi, praeceptori, hero; b) observantia *religiosa,* quae exhibetur dignitatibus ecclesiasticis, e. g Papae, episcopo, sacerdoti; c) observantia *supernaturalis*, quae exhibetur sanctis propter eorum virtutes supernaturales, et quae solet quoque vocari *dulia.* — Observantia est virtus specialis, utpote habens speciale obiectum et speciale motivum; eius actus sunt *revereri* et *oboedire.*

Peccata contra observantiam sunt irreverentia et inoboedientia erga illas personas, quibus debetur observantia. Quae quidem peccata sunt leviora quam peccata contra pietatem, quippe quae arctiorem unionem et obligationem inducat.

Caput III. De oboedientia.

459. **Notio.** *Oboedientia est virtus moralis, quae reddit promptam hominis voluntatem ad implendam voluntatem alterius, scil. praecipientis.* Ita S. Thomas. Duplex distinguitur oboedientia: altera *materialis,* quae est mera physica exsecutio alicuius actus praecepti; altera *formalis,* quae est exsecutio operis, *in quantum est a superiore praeceptum.*

Oboedientia eousque se extendit, quo se extendit auctoritas praecipientis. Hinc oboedientia erga Deum est illimitata, oboedientia autem erga homines limitatur a) legibus superioribus, contra quas superiores inferioribus nihil praecipere valent; b) competentia limitata, quae iis convenit.

Oboedientia est virtus valde excellens, cum bonum valde excellens, nempe propriam voluntatem agentis, Deo sacrificet.

460. **Peccata** contra oboedientiam sunt a) per *excessum:* servilitas seu oboedientia indiscreta, quae etiam in rebus illicitis obtemperat; b) *per defectum:* inoboedientia, quae est vel *materialis,* nempe laesio cuiuslibet virtutis; vel *formalis,* nempe formalis contemptus praecepti aut praecipientis. Formalis contemptus praecepti est peccatum mortale ex genere suo; formalis vero contemptus ipsius praecipientis est peccatum mortale ex toto genere suo, cum sit gravis iniuria non solummodo in ipsum praecipientem, sed etiam in Deum, cuius vices gerit praecipiens.

Caput IV. De iisdem virtutibus pietatis, observantiae, oboedientiae, prout observari debent a parentibus, filiis etc.

461. 1. Obligationes filiorum erga parentes.

Filii tenentur exhibere a) amorem, b) reverentiam, c) oboedientiam. Quae quidem triplex obligatio est ex genere suo gravis.

Amor debitus sit *affectivus* simul et *effectivus*.

Reverentia exhibenda est verbis, signis, factis.

Oboedientia praestanda est parentibus in omnibus, quae ad ipsorum curam pertinent. Quaenam sit materia gravis in laesione oboedientiae debitae, difficulter dici potest. Si tamen ex inoboedientia oritur notabile damnum parentibus vel filiis, tunc profecto peccatum commissum est grave.

Oboedientia parentibus debita etiam in rebus licitis habet duas limitationes, nempe a) quoad *durationem*, cessat enim, si filius maiorennis vel emancipatus degit extra domum paternam; b) quoad *electionem status vitae*, ideoque filii etiam minorennes sunt liberi in hac electione, et parentes peccant cogentes filios ad amplectendum aliquem statum vitae.

462. 2. Obligationes parentum erga filios.

Parentes tenentur exhibere filiis a) amorem, b) educationem corporalem et spiritualem [1].

Amor debitus sit affectivus et effectivus, ita ut parentes non solum omne odium omnemque malevolentiam seponant, sed etiam filiis bene velint, bene faciant atque subveniant in necessitatibus.

Educatio corporalis postulat, ut parentes inde a conceptione prolis sedulam curam habeant de salute eius corporali. Hinc mater praegnans evitet omnia, quae minitantur nocumentum foetui; parentes peccant, qui filiis non praebent sufficiens nutrimentum, vestitum, habitationem, curationem tempore morbi; qui non curant, ut filii obtineant convenientem statum vitae.

[1] Codex iur. can. c. 1113 de hac re statuit: «Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem curandi et etiam eorum bono temporali providendi.»

Educatio *spiritualis* perquam necessaria est proli, quoniam per illam eius salus aeterna fovetur. Hinc imprimis curandum est, ut proli natae mox baptismus conferatur; deinde, ut proles iam a teneris annis assuefiat operibus religiosis et piis peragendis mota non solum verbis, sed praecipue exemplis parentum; tum ut proles mittatur in bonas scholas.

463. Obligationes coniugum.

Distinguuntur obligationes *mutuae*, quae inter ambos coniuges sunt aequales, et obligationes, quae alterutri coniugi sunt *peculiares*.

a) *Obligationes mutuae* sunt: α) mutuus amor affectivus et effectivus; β) debitum coniugale; γ) convictus.

b) *Obligationes mariti* sunt: α) tamquam caput familiae dirigere uxorem, filios, domesticos; β) praebere uxori et toti familiae sufficientem victum, vestitum, sustentationem; γ) recte administrare bona familiae.

c) *Obligationes uxoris* sunt: α) debitam oboedientiam praestare marito; β) sedulam curam habere de re domestica et praesertim de educatione prolis.

464. **Scholion.** De emancipatione feminarum. Quamvis haec materia non pertineat ad virtutem pietatis, tamen, cum sermo sit de relationibus inter virum et mulierem, praestat hic pauca delibare scitu necessaria pro theologo moralista de emancipatione feminarum, quae hodie ita agitat mentes et rem publicam.

1. Vir et mulier pares sunt quantum ad animam, ad gratiam et gloriam obtinendam.

2. Quamvis ordinarie mulier sit debilior viro, quantum ad vires corporis et intellectus, tamen haud paucae exsistunt mulieres valentes perficere eadem opera, quae viri praestant. Per se igitur nihil obstat, quominus mulieribus capacibus haec opera et munia committantur, e. g. munus medici, magistri etc.

3. Deus creavit mulierem in adiutorium viri illamque desumpsit ex costa Adae; insuper mulierem exclusit ab officio sacerdotali. Quae quidem omnia haud obscure demonstrant, Deum nolle *omnimodam* aequalitatem inter virum et mulierem. Ergo emancipatio radicalis mulierum et omnimoda aequiperatio cum viro videntur esse contra intentionem Creatoris.

4. Officium principale mulieris est cura domestica, ideoque talis emancipatio mulierum, quae vitam familialem laedit, est reicienda.

5. Ex parte religionis catholicae nihil obstat (saltem per se), quominus mulieribus capacibus concedatur *ius suffragii* etiam in rebus politicis. Sed est alia quaestio, utrum rei publicae et Ecclesiae aliquid utilitatis revera enascatur ex iure votandi mulieribus concesso in aliqua regione.

465. 4. Obligationes dominorum et famulorum.

a) *Domini et heri* debent α) famulos et operarios benigne tractare, β) instruere et corripere atque inducere ad religiosa munia adimplenda, γ) iustam mercedem iis solvere.

b) *Famuli et operarii* tenentur dominis et heris exhibere α) debitam reverentiam, β) debitam oboedientiam, γ) fidele obsequium.

466. 5. Obligationes magistrorum et discipulorum.

a) *Magistri* vices parentum gerunt quantum ad educationem spiritualem, ac proinde habent in hac re obligationes similes ac parentes. Ideo debent sedulo instruere verbo et exemplo discipulos scientiis et bonis moribus.

b) *Discipuli* tenentur magistris praestare reverentiam, amorem, oboedientiam in iis omnibus, quae studia et bonos mores spectant.

467. 6. Obligationes principum et subditorum.

a) *Principes* debent strenue exercere iustitiam α) legalem, β) distributivam, γ) vindicativam.

b) *Subditi* tenentur principibus α) exhibere reverentiam, oboedientiam, fidelitatem; β) eligere bonos deputatos; γ) solvere iusta tributa; δ) aliquando praestare servitium militare.

Oboedientia praestanda est principibus in omnibus rebus licitis, quas possunt legitime mandare. Numquam licita est positiva rebellio contra legitimum principem, etiamsi est tyrannus. Attamen licet illi aliquando opponere *passivam resistentiam,* si scil. iniustae res exiguntur.

Subditi per se graviter laedunt iustitiam legalem, si non eligunt bonos deputatos. Electores enim saltem aliqualiter participant in nocumentis, quae rei publicae causantur a malis deputatis. Per accidens licet eligere malum deputatum, si gravis causa excusat. Sic e. g. operarius posset eligere malum deputatum, si secus suum officium amitteret et aliud officium invenire non valeret. Licet eligere malum deputatum ad impediendam electionem peioris; quod quidem haud raro accidere potest in sic dictis secundis electionibus (Stichwahlen, ballottage). Ratio autem, quare in necessitate liceat eligere malum deputatum, est, quia talis electio non est nisi cooperatio materialis ad peccatum alterius.

QUAESTIO III.

De ceteris virtutibus iustitiae annexis, nempe de gratitudine, vindicatione, affabilitate, liberalitate, epikeia.

Quoniam iam supra n. 261 sqq. sufficienter dictum est de mendacio aliisque actibus virtuti *veritatis* (veracitatis) oppositis, non videtur esse necessarium specialiter tractare de hac virtute, «*qua aliquis et vita et sermone talem se demonstrat, qualis est*» (S. theol. 2, 2, q. 109, a. 3 ad 3). Sit breviter dictum: Tria sunt officia huius pulchrae virtutis: 1. amare

veritatem in omnibus dictis et factis; 2. cavere, ne contra iudicium propriae mentis aliquid dicatur aut significetur; 3. patefacere sincere iudicium propriae mentis per verba aut alia signa, nisi tamen aliquando sit necessarium servare secretum aut occultare veritatem.

Caput I. De gratitudine.

468. **Notio.** *Gratitudo est virtus, quae inclinat hominem ad beneficia accepta agnoscenda (mente et ore) atque ad ea saltem aliqualiter rependenda.*

Explicatur. Gratitudo oritur ex vero beneficio accepto, quod est indebita et utilis praestatio gratis alicui facta ex affectu benevolentiae. Si beneficium collatum est a superiore, e. g. a Deo, parentibus, gratitudo inde orta refertur ad alias virtutes, e. g. ad religionem, ad pietatem etc. Gratitudo consistit magis in affectu, nempe in animo grato, quam in effectu, i. e. in reali remuneratione beneficii. Ideo gratitudo est possibilis omnibus, etiam pauperibus.

Officia gratitudinis sunt tria: 1. agnoscere beneficium acceptum; 2. verbis exprimere gratitudinem, e. g. laudando benefactorem, ei grates exprimere; 3. factis retribuere beneficium acceptum, in quantum facultas permittit.

Qualitates. Gratitudo debet esse: 1. *prompta,* i. e. cito manifestari post beneficium acceptum; 2. *interna* et non solum externa, i. e. procedere ex sincero affectu interno et non tantum verbis frigidis enuntiari; 3. *humilis,* i. e. cum vera agnitione beneficii tamquam rei nobis utilis; 4. *carens cupiditate,* i. e. gratitudo non debet exprimi eo potissimum fine, ut ampliora beneficia a benefactore recipiantur.

Vitium oppositum gratitudini est ingratitudo, quae est aut *formalis,* nempe contemptus benefactoris aut beneficii; aut *materialis,* quae est omissio debitae gratitudinis absque contemptu.

Caput. II. De vindicatione.

469. **Notio.** *Vindicatio est redditio mali poenalis pro malo culpabili facta ab homine privato, ut habeatur reparatio iniuriae commissae et satisfactio partis laesae.*

Cum homo ex natura sua valde proclivis sit ad ulciscendas iniurias acceptas, virtus quaedam necessaria est, ne fiat excessus in hac re. Vindicta sumpta a superiore ad tuendum bonum commune non est actus huius virtutis, sed iustitiae legalis. Si quis homo privatus vindictam debitam sumit propter *correctionem* fratris peccantis, est actus caritatis; si id facit ad honorem Dei reparandum, est actus religionis. — In praxi saepe expedit, ut homo privatus abstineat a vindicta sumenda aut petenda, quia sub specie aequitatis quaesitae saepe latet nimius amor proprius vel etiam odium proximi.

Vitia opposita virtuti vindicationis per *excessum* sunt crudelitas seu saevitia, per *defectum* autem nimia remissio in puniendo.

Caput III. De affabilitate.

470. **Notio.** *Affabilitas* (comitas, urbanitas, amicitia) *est virtus, qua quis ex debito vitae socialis in communi convictu grate et decenter se habet ad alios tam in factis quam in dictis* (Höflichkeit, politesse, affabilité, politeness).

Actus affabilitatis praecipui sunt: 1. omnes benigne audire eosque libenter et hilari vultu alloqui; 2. signa urbanitatis omnibus exhibere, attamen iuxta condicionem uniuscuiusque et consuetudinem patriae; 3. interius et exterius habere veram caritatem erga proximum, atque nimium amorem erga semetipsum impugnare.

Vitia opposita sunt duo: alterum per *excessum,* nempe *adulatio,* qua quis modo excessivo et inordinato alium delectare studet verbis et factis alicuius commodi consequendi causa; alterum per *defectum,* scil. *litigium* seu *morositas,* qua

quis se praebet difficilem in consortio, raro acquiescens et saepe contradicens verbis alterius ex intentione alterum contristandi aut saltem illi non placendi.

Caput IV. De liberalitate.

471. **Notio.** *Liberalitas seu largitas est virtus moderans amorem pecuniae et reddens hominem promptum ad pecuniam erogandam iuxta rectae rationis dictamen.* Obiectum igitur proximum et immediatum liberalitatis non est ipsa pecunia, sed *cupiditas* pecuniae moderanda. Quare etiam pauper, qui reapse nullam pecuniam habet, potest virtutem liberalitatis habere, si moderatur iuxta rectam rationem amorem pecuniae.

Vitia opposita sunt duo: alterum per *excessum,* nempe prodigalitas, quae est erogatio superflua et irrationalis rerum suarum; alterum per *defectum,* nempe avaritia, de qua iam supra n. 173 dictum est.

Caput V. De epikeia seu aequitate.

472. **Notio.** *Epikeia seu aequitas est congrua quaedam moderatio stricti iuris.* Est autem vel actus *iustitiae legalis,* quando nempe est interpretatio benigna non ipsius legis sed mentis legislatoris. De hac epikeia supra n. 105 in tractatu de legibus sermo fuit. Vel est actus *virtutis specialis,* quae ab aliquibus vocatur quaedam iustitia naturalis, nempe iuxta S. Cyprianum: *iustitia dulcore misericordiae temperata.* Hanc virtutem aequitatis exercet e. g. creditor, qui concedit debitori aliquam solvendi dilationem. Laesio huius virtutis, quippe quae tam parvum debitum contineat, non est nisi peccatum veniale.

Virtus aequitatis residet in voluntate et nihil fere aliud est nisi exsecutio virtutis *gnome,* quae est pars prudentiae, et quae residet in ratione practica.

TRACTATUS XII.
De virtute fortitudinis et de vitiis oppositis.

Dividitur iste tractatus in quattuor capita: 1. de notione fortitudinis, 2. de actibus eius, 3. de partibus eius, 4. de vitiis oppositis.

Caput I. De notione fortitudinis.

473. **Notio.** *Fortitudo est virtus cardinalis, qua appetitus irascibilis (et voluntas) ita roboratur, ut a bono arduo prosequendo non desistat etiam propter maxima pericula vitae corporalis.*

Explicatur. *Subiectum* fortitudinis est appetitus irascibilis, prout tamen voluntati subiacet; fortitudo enim reddit appetitum irascibilem firmum ad prompte et facile moderandas passiones timoris et audaciae, instantibus periculis maximis.

Obiectum fortitudinis sunt pericula maxima recte sustinenda, nempe timores nimii expellendi et audacia nimia refrenanda.

Donum fortitudinis in hoc excedit virtutem fortitudinis, quod causat firmam fiduciam evadendi omnia pericula.

Caput II. De actibus fortitudinis.

Actus fortitudinis sunt duo: cohibere timores et moderari audacias; qui quidem actus suum fastigium obtinent in martyrio.

474. *Martyrium est tolerantia mortis corporalis pro testimonio veritatis christianae.* Ad perfectam igitur rationem martyrii requiritur, ut quis a) revera mortem corporalem patiatur; b) ut subeat hanc mortem sibi inflictam ab hoste in odium christianae veritatis. Ergo proprie martyr non est, qui e. g. moritur propter morbum contractum ex leprosorum cura, propter veritates naturales, propter haeresim, propter suicidium

factum ad castitatem servandam; c) ut acceptet voluntarie mortem.

Effectus martyrii sunt a) remissio omnis culpae et poenae, est enim martyrium actus perfectissimae caritatis; b) aureola martyrum, quae est privilegiatum quoddam praemium respondens privilegiatae victoriae.

Caput III. De partibus fortitudinis.

475. Fortitudo, cum sit virtus specialissima, non habet species aut partes subiectivas. Eius partes potentiales et integrantes sunt quattuor; quae quidem sunt integrantes, in quantum adiuvant ipsam fortitudinem ad perficiendos eius actus supra cap. praec. indicatos; sunt autem potentiales, in quantum versantur circa materias minus difficiles. Hae partes sunt: 1. magnanimitas, 2. magnificentia, 3. patientia, 4. perseverantia.

476. **Magnanimitas** *est virtus inclinans ad magna in omni virtutum genere opera exsequenda, quae sunt magno honore revera digna.*

Obiectum igitur magnanimitatis sunt magni honores recte obtinendi. Qui quidem honores nequeunt obtineri nisi per exercitium virtutum christianarum, idque arduarum. Non ergo vere magnanimus est, qui honores quaerit, e. g. propter divitias aliasque res materiales, quia haec omnia non sunt vere magna neque per se merentur honorem.

Magnanimitas est vera et specialis virtus, habet enim nobile et speciale obiectum, quia instigat ad obtinendos magnos honores per magna opera virtutum; minime autem opponitur humilitati. Nam magnanimitas et humilitas procedunt secundum diversas considerationes: magnanimitas tendit in alta, prout obtinentur adiutorio gratiae divinae; humilitas autem considerat proprios defectus hominis, qui sic seipsum despicit aliosque anteponit.

Proprietates magnanimitatis pulchre enumerantur a S. Thoma post Aristotelem: magnanimus a) modice delectatur honoribus etiam magnis oblatis; b) in prosperis et in adversis moderatum se praebet; c) libenter aliis auxilium praebet, sed ipse vix quemquam rogat de auxilio pro se ipso; d) magnatibus non adulatur neque sinit suam libertatem ab eorum auctoritate opprimi; e) non est ambitiosus; f) aperte suam sententiam dicit, si est necessarium; non enim timet homines; g) non meminit iniuriarum acceptarum; h) in suis exterioribus gestibus corporis est tardus.

477. **Magnificentia** *est virtus moderans amorem pecuniae, ne magni sumptus impediantur, quibus magna opera externa fieri debent.*

Differt ergo magnificentia a magnanimitate sicut species a genere; magnanimitas etenim intendit magnum in omni materia et in omnibus virtutibus, magnificentia vero magnum intendit et exsequitur *in externo opere factibili*. Materia seu obiectum magnificentiae sunt magni sumptus faciendi pro magnis operibus externis. Cum autem hoc obiectum sit quid speciale et arduum, magnificentia est virtus specialis, cuius exercitium pertinet ad reges et divites, qui possunt facere magnos sumptus. Magnificentia differt quoque a liberalitate, quae versatur circa moderatas acceptiones et dationes pecuniae, magnificentia autem solummodo versatur circa *magnos sumptus*.

478. **Patientia** *est virtus, qua quis mala praesentia ita perfert, ut ex iis non inordinate tristetur.*

Si patientia versatur circa moderandam tristitiam ex imminentia mortis, est pars *integralis* fortitudinis; sin autem tristitia oritur ex minoribus malis, tunc patientia est tantum pars *potentialis* fortitudinis. Patientia est virtus perquam necessaria, ideoque Christus dicit: «In patientia vestra possidebitis animas vestras» (Luc. 21, 29).

Medium ad obtinendam patientiam est vivida consideratio: a) Dei patienter tolerantis peccatores; b) Christi patientis in vita et in morte; c) sanctorum tolerantium omnigena mala; d) fructuum patientiae, qui sunt satisfactio pro peccatis commissis et gloria aeterna; e) malorum, quae oriuntur ex impatientia.

479. **Perseverantia** *est virtus inclinans ad persistendum in exercitio virtutum, secundum quod recta ratio dictat, non obstante molestia ex diuturnitate operis proveniente.*

Sane quaelibet vera virtus est firma et perducit opus ad finem, sed perseverantia hanc firmitatem praebet ex speciali motivo, nempe ex speciali honestate, quae invenitur in perficiendo opere, non obstantibus omnibus impedimentis.

Caput IV. De vitiis oppositis.

480. Fortitudini opponuntur tria vitia, magnanimitati quattuor, magnificentiae duo, patientiae duo, perseverantiae item duo.

1. **Fortitudini** opponuntur: a) timiditas seu ignavia, b) intimiditas, c) audacia seu temeritas.

a) *Timiditas* est timor inordinatus malorum temporalium et praecipue periculorum mortis, seu est *excessus in timendo et defectus in audendo*. Defectus autem in audendo potius vocatur *ignavia*.

b) *Intimiditas* est vitium, quod non sufficienter timet pericula.

c) *Audacia* seu temeritas est excessus in aggrediendis periculis.

481. 2. **Magnanimitati** opponuntur:

a) praesumptio, b) ambitio, c) inanis gloria, d) pusillanimitas.

a) *Praesumptio* est vitium, quo quis aggreditur opera, quae eius vires excedunt. Non est igitur confundendum hoc vitium cum alia praesumptione, quae est contra theologicam virtutem spei, et quae sperat obtinere beatitudinem aeternam per media a Deo non ordinata.

b) *Ambitio* est vitium, quo quis inordinate desiderat honorem. Talis inordinatus appetitus honoris saepe habet effectus prorsus negativos, cum loco honoris obveniant homini ambitioso derisiones et contemptus.

c) *Inanis gloria* est inordinatus appetitus inanis gloriae. Cf. quae supra n. 172 dicta sunt de hac re.

d) *Pusillanimitas* est vitium, quo quis refugit aggredi vel facere aliquid quasi nimis magnum et superans vires suas, cum revera non superet.

482. 3. **Magnificentiae** opponuntur sumptuositas et parvificentia.

a) *Sumptuositas* est vitium, quo quis facit prorsus irrationabiliter magnos sumptus.

b) *Parvificentia* est vitium, quo quis indebite refugit facere magnos sumptus, quamvis sit necessarium.

483. 4. **Patientiae** opponuntur per defectum insensibilitas et per excessum impatientia.

a) *Insensibilitas* seu durities est vitium, quo quis nullis malis sive propriis sive alienis tangitur. Quod quidem profecto est defectus tristitiae, licet sit excessus sustinentiae, atque sapit stolidam brutalitatem.

b) *Impatientia* est vitium, quo quis nimis tristatur et ex tristitia vel dolore a bono recedit. Impatiens igitur habet excessum tristitiae et defectum sustinentiae.

484. 5. **Perseverantiae** opponuntur pariter duo vitia, scil. per defectum: inconstantia, et per excessum: pertinacia.

a) *Inconstantia* est vitium, quo quis facile recedit ab incepto opere ob difficultates, quae in eius continuatione occurrunt. Inconstantia est igitur quaedam mollities, quae nequit resistere difficultatibus orientibus.

b) *Pertinacia* est vitium, quo quis persistit in opere incepto magis quam oportet.

TRACTATUS XIII.
De virtute temperantiae et de vitiis oppositis.

Dividimus istum tractatum in quattuor capita: 1. de notione temperantiae; 2. de partibus temperantiae in genere; 3. de subiectivis eius partibus in specie atque de vitiis oppositis; 4. de potentialibus eius partibus in specie atque de vitiis oppositis.

Caput I. De notione temperantiae.

485. **Notio.** *Temperantia est virtus moderans appetitum circa delectationes tactus, i. e. circa delectationes ciborum et venereorum.*

Explicatur. Solent **distingui** delectationes quadruplicis generis:

1. delectationes *pure spirituales,* quae oriuntur ex actione intellectuali et versantur circa obiectum spirituale, e. g. visio beatifica, gaudium de scientia theologiae sibi comparata;

2. delectationes *non-corporales* seu late spirituales, quae oriuntur quidem ex actione intellectuali, sed versantur circa obiectum materiale, e. g. delectatio avari de pecunia possessa;

3. delectationes *corporales sensitivae,* quae oriuntur ex perceptione sensitiva alicuius obiecti convenientis, e. g. delectatio auris ex dulci melodia, delectatio oculi ex pulchris coloribus;

4. delectationes *corporales sensuales* seu carnales, quae oriuntur ex coniunctione intima et physica obiecti cum peculiaribus nervis apparatus genitalis vel gustus, scil. delectationes in cibis et in rebus venereis.

Temperantia sumitur a) *latissime,* pro moderamine afferendo in qualibet actione et passione; b) *late,* pro moderamine delectationum spiritualium et sensitivarum; c) *stricte,* pro moderamine delectationum sensualium seu carnalium, i. e. in cibis et venereis.

Subiectum proximum temperantiae in stricto sensu acceptae est appetitus concupiscibilis, prout rationis et voluntatis imperio subiacet.

Obiectum huius virtutis sunt delectationes tactus, i. e. ciborum et venereorum, moderandae. Aliae autem delectationes sensitivae et intellectuales per accidens regulantur a temperantia, in quantum scil. influunt in delectationes ciborum et venereorum.

Temperantia naturalis, i. e. ea, quae naturalibus viribus acquiritur et a sola ratione naturali dirigitur, nihil aliud intendit nisi *valetudinem* hominis; differt igitur specifice a temperantia supernaturali, quae dirigitur a lumine *fidei* et quae principaliter intendit bonum animae. Namque haec temperantia supernaturalis aliquando praecipit ieiunium, virginitatem etc., quibus temperantia mere naturalis repugnat.

Caput II. De partibus temperantiae in genere.

486. 1. *Partes integrales* temperantiae sunt duae: verecundia et honestas. *Verecundia* est timor opprobrii; non est virtus proprie dicta, sed passio laudabilis, quae facit hominem erubescere, quando aliquid probrosi illum tangit. *Honestas* est amor et prosecutio decoris. Istae duae: verecundia et honestas, sunt vigilantes *custodes* castitatis et temperantiae ideoque valde colendae inde a iuventute.

2. *Partes subiectivae* temperantiae enumerantur a S. Thoma quattuor: *abstinentia,* quae est temperantia in cibo; *sobrietas,* quae est temperantia in potu praesertim inebriante; *castitas,* quae est temperantia in delectatione principali coitus; *pudicitia,* quae versatur circa delectationes circumstantes, e. g. in osculis, tactibus etc.

3. *Partes potentiales* temperantiae sunt: continentia, mansuetudo, clementia, modestia; quae quidem temperant appetitum in rebus, quae non sunt tam difficiles sicut delectationes tactus. Sub modestia humilitas aliaeque virtutes continentur. De singulis istis partibus postea sermo erit.

Caput III. De partibus subiectivis temperantiae in specie et de vitiis oppositis.

Praenotamen. In hoc capite agemus: 1. de virtute abstinentiae et ieiunio; 2. de vitio opposito seu gula; 3. de sobrietate et vitio opposito; 4. de castitate et virginitate; 5. de vitio opposito, nempe de luxuria.

Art. 1. De virtute abstinentiae et de ieiunio.

§ 1. De notione et obligatione abstinentiae et ieiunii.

487. Notio. *Abstinentia est virtus moralis inclinans ad moderatum usum ciborum, prout recta ratio (sive fides) determinat ad bonum morale.*

Actus huius virtutis sunt ieiunium et abstinentia stricte dicta, nempe a cibis determinatis, e. g. a carne.

Ieiunium aut est a) *naturale,* i. e. totalis abstinentia ab omni cibo et potu, e. g. ante eucharistiam suscipiendam; aut b) *philosophicum,* i. e. abstinentia aliqualis a cibo et potu, prout hoc exigit valetudo vel alius finis naturalis; aut c) *ecclesiasticum* (vel arbitrarium), prout positivis legibus ecclesiasticis est determinatum. De hoc ieiunio ecclesiastico hic sermo est.

488. *Essentia ieiunii ecclesiastici consistit in unica perfecta refectione.*

Veteres auctores satis communiter ponebant essentiam ieiunii in tribus, scil. in unica refectione, in determinata hora istius refectionis, in abstinentia a certis cibis, scil. a carnibus, ovis, lacticiniis. Hodie autem secunda et tertia condicio non pertinent ad essentiam sed ad solam *perfectionem* ieiunii. Hinc e. g. adhuc essentia ieiunii adest, licet manducentur carnes, ova, lacticinia. Si essentia ieiunii in istis tribus simul iunctis exsisteret, hodie iam disparuisset essentia ieiunii ecclesiastici; quod profecto non est verum. Nostris temporibus Ecclesia permittit, ut sumantur 1. prandium, 2. cenula vespertina, 3. frustulum matutinum.

489. De prandio diebus solius ieiunii.

a) *Hora* prandii iuxta modernam disciplinam est relicta liberae dispositioni ieiunantis, ideoque potest serotina refectio cum prandio permutari (c. 1251, § 2). Prandium tamen ipsum debet esse moraliter *continuum,* nec *immoderate protractum.* Si enim prandium notabiliter interrumpitur (e. g. ultra dimidiam horam), iam non est una, sed sunt duae refectiones. Satis communiter docent auctores prandium diebus ieiunii non posse licite protrahi ultra duas horas.

490. b) *Qualitas* ciborum antiquitus quidem fuit determinata, sed hodie ieiunii diebus, *qui non sunt simul dies abstinentiae,* permittuntur a lege ecclesiastica communi (aliter est de lege particulari) quicumque cibi; immo nec vetitum est carnes et pisces in eadem refectione permiscere (c. 1251, § 2).

491. De cenula vespertina.

Hora istius cenulae est libera.

Quantitas ciborum permissa hodie communiter sunt octo unciae seu circiter dimidia libra ciborum, non tamen valde nutritivorum.

Qualitas ciborum permissa in cenula vespertina dignoscenda est ex consuetudine et statutis particularibus.

492. De frustulo matutino.

Hodie invaluit consuetudo legitima sumendi mane diebus ieiunii frustulum panis vel alius cibi levis in quantitate duarum unciarum seu 60 gramm. Codex iur. can. c. 1251 expresse permittit hodie cenulam vespertinam et frustulum matutinum.

493. Tempus ieiunii. Ex iure communi sunt dies ieiunii:

a) tempus Quadragesimae, exceptis diebus dominicis. Sabbato autem Sancto ieiunium cessat post meridiem (c. 1252);

b) dies Quattuor Temporum;

c) quattuor vigiliae festorum, scil. Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, Nativitatis D. N. I. Ch.;

d) pridie ante consecrationem alicuius ecclesiae cum episcopus tum populus, qui petit consecrari ecclesiam, ieiunare debent. Ita ex Pontificali Romano.

494. Personae ad ieiunium obligatae sunt omnes baptizati, qui vigesimum primum annum expleverunt et nondum sexagesimum annum inceperunt (c. 1254).

Quamvis autem Protestantes omnesque alii baptizati acatholici, utpote subiecti legibus Ecclesiae, teneantur per se ad ieiunium ecclesiasticum, tamen pia mater Ecclesia non videtur ita urgere hanc obligationem, ac proinde isti acatholici ordinarie non sunt arguendi de peccato gravi propter laesionem ieiunii ecclesiastici aut abstinentiae.

495. Qualitas obligationis. 1. Praeceptum ieiunii ecclesiastici obligat ex genere suo sub gravi peccato.

Quare damnata est ab Alexandro VII propositio (23): «Frangens ieiunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inoboedientia hoc faciat, puta quia non vult se subicere praecepto.» Admittit autem praeceptum ieiunii parvitatem materiae, quae videtur adesse, si in cibis non attingitur nova refectio completa.

2. Praeceptum abstinentiae quidem a carnibus est negativum; praeceptum autem ieiunii est affirmativum. Ita sententia communis.

Itaque qui pluries manducat carnes diebus vetitis, tot peccata committit, quoties illicite manducat carnes; qui vero culpabiliter sive inculpabiliter ieiunium laesit per sumptionem

secundae refectionis completae, probabiliter novum peccatum non committit, si tertio vel quarto manducat.

496. ***Scholion.*** **De liquido diebus ieiunii.** Commune adagium dicit: «Liquidum non frangit ieiunium.» Rationem liquidi habent ea, quae communiter *pro vehiculo cibi* sumuntur; non autem ea, quae, licet sint liquida, tamen notabilem vim nutritivam habent, e. g. lac, chocolatum liquefactum, etc. Permittuntur vinum, cerevisia levis, Kaffee, Tee etc. Electuaria (Kompott, confiture, electuary) quoque permittuntur, saltem si in parva quantitate sumuntur.

497. De lege abstinentiae a carnibus.

1. «Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis, quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium» (c. 1250).

Nomine carnium intelleguntur: a) carnes animalium in terra viventium et respirantium atque calidum sanguinem habentium; b) sanguis, laridum, iusculum, sic dictum «extractum carnis», medulla ossium, partes cerebrales et intestinales. In dubio, num aliquis cibus sit considerandus tamquam caro, licitum est comedere illum; in dubiis enim libertas.

Nomine piscium intelleguntur non solum pisces stricte tales, sed etiam omnia animalia, quorum sanguis est frigidus, ut sunt reptilia et amphibia, e. g. ranae, testudines, ostreae, cancri, cammari, caviale. Piscibus quoque assimilantur (saltem in aliquibus regionibus) lutrae (Fischotter), castores (Biber), fulicae (Wasserhühner).

2. Lex solius abstinentiae servanda est singulis sextis feriis totius anni. Sin autem aliqua feria sexta (extra Quadragesimam) occurrit festum de praecepto, lex abstinentiae cessat (c. 1252, § 4).

Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est:

a) feria quarta Cinerum;

b) feria sexta et sabbatis Quadragesimae;

c) tribus feriis Quattuor Temporum;

d) quattuor pervigiliis, scil. Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, Nativitatis D. N. I. Ch. (c. 1252, § 1 et 2). Si ista per-

vigilia cadunt in dominicam, iam non anticipantur, neque exigunt abstinentiam et ieiunium.

3. Ad legem abstinentiae a carnibus non tenentur infantes septennio minores et perpetuo amentes. Haec lex abstinentiae obligat sub gravi, datur tamen parvitas materiae, nempe quantitas *nucis iuglandis* = 4 grammata circiter.

§ 2. De causis excusantibus a ieiunio et abstinentia.

498. Omnes causae excusantes revocari possunt ad duas generales: a) ad dispensationem, b) ad impotentiam physicam vel moralem.

a) *Dispensatio* super lege ecclesiastica ieiunii et abstinentiae concedi potest a Summo Pontifice pro tota Ecclesia; ab episcopo autem ex causa peculiari magni populi concursus aut publicae valetudinis potest dispensari *tota dioecesis* vel totus locus. Non solum autem episcopi sed etiam parochi possunt *in casibus singularibus* iustaque de causa dispensare subiectos sibi singulos fideles singulasve familias (etiam extra territorium) atque in suo territorio etiam peregrinos.

Superiores religiosi in religionibus clericalibus exemptis omnes suos subditos dispensare possunt, sicuti parochi suos paroecianos (c. 1245).

Confessarii ex iure communi nullam dispensandi facultatem habent, sed, si sunt legitime delegati, possunt dispensare super lege ieiunii et abstinentiae etiam extra sacramentalem confessionem, nisi hoc sit specialiter interdictum. — Omnes, qui habent discretum iudicium, e. g. superiorissae, sacerdotes, immo et unusquisque, possunt *declarare* in casu particulari legem ieiunii et abstinentiae non obligare propter impedimenta gravia obstantia.

b) *Impotentia* excusat, si ex lege ieiunii vel abstinentiae observata sequeretur notabile damnum.

Hinc excusantur e. g. infirmi et convalescentes, pauperes qui carent cibis sufficientibus, qui debent graves labores peragere, eosque incompatibiles cum ieiunio. Generatim facilius adest impotentia servandi legem ieiunii quam legem abstinentiae. Quare senes sexagenarii excusantur quidem a ieiunio, non autem generatim ab abstinentia a carnibus. Pariter non tenentur ieiunare qui peragere debent graves et defatigantes labores spirituales, e. g. studentes, qui diligenter student, confessarii, qui cum magna defatigatione per 6—8 horas laborant in confessionali etc.

499. Nota. 1. Confessarius ne praebeat se nimis difficilem in concedenda dispensatione ieiunii, cum nostris diebus non sint ita multi fideles, qui ieiunium ecclesiasticum perfecte observare possunt; obstant enim saepe graves labores peragendi, valetudo debilis, cibus parcus. Attamen admoneantur fideles, ut tempore ieiunii peragant specialia opera mortificationis aut religiositatis.

2. Qui utitur dispensatione per episcopale mandatum concessa, *tenetur* quidem dicere orationem praescriptam aut dare eleemosynam impositam, sed haec obligatio non est *gravis*, cum dispensatio sit concessa absolute et non condicionate, neque episcopus praesumatur imponere obligationem gravem, nisi id expresse dicat.

Art. 1. De vitio opposito virtuti abstinentiae, scil. gula.

500. **Notio.** *Gula est inordinatus appetitus edendi et bibendi.* Quae quidem inordinatio fieri potest diversis modis indicatis in versiculo noto:

«Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.»

Moralitas. Gula, utpote excessus in re ceteroquin licita, non est ex se nisi peccatum leve; per accidens autem, e. g. ratione scandali aliorumque malorum effectuum, fit peccatum mortale.

Effectus seu filiae gulae enumerantur a S. Thoma quinque: inepta laetitia, multiloquium, scurrilitas, hebetudo mentis, immunditia.

Art. 3. De sobrietate et vitio opposito, i. e. de ebrietate.

501. **Sobrietas** *est virtus moderans affectum et usum potus inebriantis;* est virtus specialis, quia habet speciale obiectum idque valde necessarium pro recta vita morali, nempe moderatum usum potus inebriantis. Necessitas huius virtutis magis apparet ex vitio opposito, scil. ex ebrietate.

502. **Ebrietas** *est voluntarius excessus in potu (materia) inebriante usque ad violentam privationem usus rationis commissus ex inordinata concupiscentia liquoris inebriantis, i. e. sine relatione ad valetudinem tuendam.*

Explicatur. Dicitur 1: *voluntarius excessus in potu seu materia inebriante;* si etenim deest voluntas, actus non est humanus; deinde requiritur *excessus,* i. e. ut valetudini non sit utilis talis potatio. Potus enim a Creatore ordinatus est ad valetudinem corporis; proinde homo peccat, si ita excedit, ut noceat sanitati et se privet usu rationis. Iste excessus fieri potest non solum in potu inebriante, e. g. in vino, sed etiam in aliis materiis, quae producunt similes effectus. Quare abusus morphii, opii etc. usque ad violentam privationem usus rationis ad peccatum ebrietatis reducitur.

Dicitur 2: *usque ad violentam privationem usus rationis.* Si non adest privatio usus rationis eaque violenta, non est perfecta ebrietas. Usus rationis modo naturali intercipitur per somnum naturale. Signa perfectae ebrietatis sunt: prorsus insolita agere, iam non discernere inter bonum et malum, crastina die omnino non recordari eorum, quae durante ebrietate acta sunt etc.

Dicitur 3: *ex inordinata concupiscentia liquoris inebriantis.* Non requiritur quidem, ut iste liquor sumatur cum magna voluptate; quare etiam ille e. g., qui nimis bibit vinum ab aliis valde instigatus, peccat ebrietate; sed est necesse, ut materia inebrians non serviat ad valetudinem restituendam, ut iam dictum est. Quare e. g. qui sumit magnam quantitatem Cognac ad evitandam febrim typhoicam iam eminentem, non peccat ebrietate, quamvis usum rationis ex potu amittat ad tempus.

503. **Malitia.** 1. *Ebrietas perfecta est peccatum mortale ex genere suo.*

Ita sententia hodie communissima. Ratio est, quia graviter repugnat rectae rationi, a) quod homo sciens et volens se privat violenter usu rationis ex concupiscentia liquoris inebriantis, quin valetudo id postulet; b) quod ita agendo se exponit gravi periculo peccandi; c) quod per ebrietatem compluribus malis, e. g. sanitatis, familiae, fortunae, ansam praebet.

2. *Ebrietas imperfecta est ex se solum peccatum veniale.*

Immo exsistente sufficienti causa, e. g. ad melancholiam pellendam, nullum est peccatum, nisi tamen inde scandalum aut alia mala oriantur.

Nota. Peccata in ebrietate perfecta commissa imputanda sunt eo modo, quo potuerunt et debuerunt praevideri.

504. **De usu morphii aliorumque narcoticorum remediorum.** Omnia ista remedia non sunt licita, nisi adsit causa sufficiens, quae ad sanitatem corporalem conducit. Etenim nisi adhibeantur ista remedia cum magna cautione, valde nocent sanitati atque insuper haud raro producunt pravos effectus morales, ut patet in illis qui sunt addicti morphinismo.

Art. 4. De castitate et virginitate.

505. **Notiones.** 1. *Castitas est virtus moderativa delectationum venerearum iuxta dictamen rectae rationis.* Castitas coniugalis moderatur appetitum delectationis venereae; castitas vero vidualis et virginalis hunc appetitum excludit. *Pudicitia* est quaedam circumstantia castitatis; versatur enim circa exteriora signa, e. g. circa impudicos aspectus, tactus, locutiones etc.

Castitas est virtus specialis, quia habet obiectum speciale idque arduum, nempe delectationes venereas moderandas.

506. 2. *Virginitas est firma voluntas perpetuo abstinendi ab omni delectatione venerea in subiecto numquam corrupto.*

Virginitas aliquando sumitur pro carnis integritate, quae amittitur in viris per peccaminosam pollutionem, in feminis autem per voluptuosam disruptionem hymenis seu claustri virginalis; aliquando etiam pro statu caelibatus. Prout autem virginitas est specialis virtus moralis, integritas carnis se habet per accidens. Itaque si haec integritas carnis perit per operationem chirurgicam vel per violentam oppressionem, ipsa virtus virginitatis non amittitur, nisi tamen accedat voluntaria et voluptuosa pollutio. Ad virtutem virginitatis proprie dictae non sufficit voluntaria incorruptio carnis; secus omnes iuvenes et puellae caste viventes, etiamsi volunt tempore opportuno inire matrimonium, haberent specialem virtutem virginitatis distinctam a virtute castitatis; quod non videtur esse verum. Ideo theologi docent, ad virtutem virginitatis requiri *firmum propositum* perpetuo servandi castitatem, et quidem in obsequium Dei; nam virginitas Vestalium aliarumve feminarum, quae ob motiva profana servant virginitatem, non est virtus specialis. Immo iuxta S. Thomam aliosque theologos virginitas non est specialis virtus, nisi sit *voto* confirmata.

Excellentia cum status tum virtutis virginitatis praedicatur et in S. Scriptura (1 Cor. 7, 25 sqq.; Apoc. 14, 4) et a SS. Patribus et a ratione naturali. Pia etenim virginitas ab omni delectatione venerea abstinet ea intentione, ut homo liberius et perfectius se devoveat servitio divino; quod profecto est licitum et valde laudabile. Ea autem, quae obiciuntur contra virginitatem, quasi sit aliquid innaturale et laedens valetudinem corporalem, sunt prorsus futilia.

Art. 5. De vitio opposito castitati, nempe luxuria.

Dividitur hic articulus in quinque paragraphos: 1. de luxuria in genere; 2. de peccatis internis luxuriae; 3. de peccatis externis non consummatis; 4. de peccatis externis consummatis iuxta naturam; 5. de peccatis consummatis externis contra naturam.

§ 1. De luxuria in genere.

507. **Notio** *Luxuria est inordinatus appetitus delectationis venereae.*

Delectatio venerea oritur ex commotione organorum et humorum generationi inservientium et completur voluptate effusionis seminis (in viro pubere et sano) vel secretione alterius humoris ex membris genitalibus (in feminis vel in impuberibus).

Principium. *Delectatio venerea, si est directe volita extra legitimum matrimonium, est peccatum mortale ex toto genere suo; sin autem est indirecte volita, est peccatum mortale ex genere suo.*

Prima pars huius principii hodie admittitur ab omnibus. Ratio autem est, quia omnis delectatio venerea est aliqualiter coniuncta cum actu generationis, quem Creator ex iustissimis causis graviter prohibuit extra legitimum matrimonium. Ergo convenienter Creator non tantum delectationem veneream summam (in pollutione), sed etiam quamlibet aliam directe volitam graviter prohibuit. Et revera, quicumque vel levem delectationem veneream directe vult, est in proximo periculo ulterius procedendi. Semper autem est peccatum grave se sine sufficienti causa exponere proximo periculo peccandi.

Altera pars principii patet ex dictis de voluntario indirecto. Delectatio venerea indirecte volita ea est, quae minime in se appetitur, sed quae est coniuncta cum actione, quam quis ponit; e. g. iuvenis legit librum, praevidens ex hac lectione veneream delectationem esse secuturam. In hac delectatione venerea indirecte volita non adest semper proximum periculum consentiendi in actum perfectum; ideoque non semper adest grave peccatum. — Ad iudicandum autem in praxi, num revera sit graviter peccaminosa delectatio venerea indirecte volita, oportet attendere, a) quousque actio *ex se* influat in delectationem veneream; b) num adsit causa proportionate gravis ad ponendam actionem. Exempla practica dabuntur infra, quando sermo erit de aspectibus, tactibus etc.

§ 2. De peccatis internis luxuriae.

Tria enumerantur peccata interna luxuriae: 1. delectatio morosa, 2. gaudium, 3. desiderium.

508. 1. *Delectatio morosa* est complacentia de re libidinosa per imaginationem repraesentata; est grave peccatum, quia nihil aliud est nisi voluntarius affectus in rem ipsam libidinosam, etsi non opere perficiendam; nisi habeat adiuncta

desideria prava, specificatur ex solo obiecto, non autem ex circumstantiis. Ita saltem in praxi. Quare sufficit, si paenitens se accusat dicens: toties delectatus sum in cogitationibus obscenis; neque necesse est, ut dicat accurate, de quibusnam obiectis cogitaverit.

509. 2. *Gaudium* impurum est complacentia libera de illicito actu venereo praeterito; e. g. aliquis delectatur de adulterio antea commisso. Tale gaudium specificatur ex obiecto *et* circumstantiis; ideoque non sufficit dicere in confessione: Delectatus sum de operibus libidinosis patratis, sed insuper explicandum est, quaenam ista opera fuerint. Ratio est, quia tale gaudium est approbatio operis patrati ac proinde habet eandem moralitatem specificam ac ipsum opus.

510. 3. *Desiderium* impurum est complacentia de actu venereo illicito faciendo; est duplex: *efficax,* quando quis revera intendit perficere rem turpem cogitatam; *inefficax,* si est mera velleitas. Desiderium impurum specificatur ex obiecto *et* circumstantiis obiecti desiderati; quare in confessione accurate accusandum est, quid praecise desideratum fuerit, saltem si id est moraliter possibile.

§ 3. De peccatis externis non consummatis luxuriae.

Peccata luxuriae non consummata vocantur ea, in quibus pollutio non habetur; sunt a) motus carnales, b) actus impudicitiae.

511. a) *Motus carnales* seu venerei dicuntur commotiones membrorum genitalium et humorum in illis organis exsistentium; solent esse coniuncti cum aliqua modica *distillatione* ad extra.

Quantum ad moralitatem istorum motuum valent sequentia: 1. si sunt directe voluntarii, sunt peccatum grave, utpote delectatio venerea directe volita; 2. si sunt prorsus involuntarii, nullum sunt peccatum, ut patet; 3. si sunt indirecte voluntarii, iudicandum est de illis iuxta regulas voluntarii indirecti saepe indicatas. — Huiusmodi motus carnales facile et efficaciter solent supprimi, a) si ipsorum causa amovetur, in quantum id est possibile, et b) si mens ad alia distrahitur.

512. b) *Actus impudicitiae* vocantur illi, qui solent habere propinquam relationem seu influxum in delectationem veneream, ut aspectus turpes, tactus etc.

Isti actus in se mali non sunt ideoque licite fieri possunt exsistente sufficienti et rationabili causa, e. g. a medicis, obstetricibus etc. Certum est et sequitur ex iam dictis, huiusmodi actus esse malos, si fiant propter delectationem veneream directe volitam. Restat dicendum de eorum moralitate, si fiunt neque propter delectationem veneream neque propter iustam causam, sed ex levitate, curiositate etc.

Solent distingui in corpore humano: partes *honestae,* quae conspectui omnium sunt expositae, e. g. facies, manus; partes *minus honestae,* quae solent ordinarie vestibus tegi, e. g. pectus, crura; partes *inhonestae,* quae sunt membra genitalia et partes illis omnino proximae.

513. **Regula generalis.** *Omnes actus impudicitiae (sine sufficienti causa et sine prava intentione facti) in tantum sunt mali, in quantum causant proximum periculum delectationis venereae.*

Gravitas huius periculi pensanda est a) ex natura actus, b) ex dispositione agentis. — De singulis actibus sequentia breviter notentur:

514. 1. **Oscula** decentia iuxta morem patriae facta sunt licita, oscula vero indecentia vel nimis

ardentia (e. g. oscula columbina) solent causare grave periculum delectationis venereae, ideoque sunt graviter illicita.

515. 2. **Tactus** in partes *inhonestas* alterius personae adultae morose factus sine necessitate est graviter illicitus; tactus *obiter* factus in partes inhonestas proprii corporis vel in partes minus honestas alterius personae videtur esse leve peccatum, quia periculum illicitae delectationis venereae (saltem ordinarie) non est ita grave. Sin autem isti tactus sunt morosi, sunt etiam libidinosi ideoque graviter peccaminosi. — De tactu inhonesto bestiarum iudicandum est iuxta intentionem et condicionem personae tangentis.

Tactus inhonesti induunt speciem personae, quacum habentur ex pravo affectu ad eam, e. g. incestus, adulterii, non autem aspectus, nisi accedat pravum desiderium tactus.

516. 3. **Aspectus** solent minus periculum delectationis venereae inducere quam tactus. Nihilominus aspectus partium inhonestarum alterius adultae personae diversi sexus morose factus videtur esse peccatum mortale. Mitius potest iudicari de aspectu statuarum aut picturarum prorsus nudarum, quia artefacta non solent tam vehementer movere sicut naturalia. Per se tamen patet, etiam huiusmodi aspectus posse saepe causare graves tentationes, ideoque esse vitandos, nisi exsistat sufficiens causa. Aspicere sine sufficienti causa quidem, sed etiam sine affectu libidinoso verenda propria vel aliena eiusdem sexus non videtur esse grave peccatum.

517. 4. **Colloquia** ex affectu libidinoso aut cum gravi scandalo facta de rebus obscenis sunt peccata gravia. Haud raro tamen difficile est iudicare, num colloquium turpe fuerit peccatum mortale, quia periculum delectationis venereae multum pendet ex variis circumstantiis personarum cum audientium tum loquentium. — Idem valet de lectione pravorum librorum, de frequentatione theatri et chorearum.

Scholion. **De familiari conversatione inter personas diversi sexus.** Talis conversatio saepe accidit praesertim inter nupturientes atque haud raro causat delectationes venereas. Confessarius sequentes regulas generales prae oculis habeat:

1. Si delectatio venerea intenditur, talis conversatio est graviter mala ideoque prohibenda. Patet ex dictis.

2. Si delectatio venerea non solum non intenditur, sed pro viribus vitatur, mutua signa honesta amoris permittuntur, e. g. honesta oscula, amplexus, colloquia etc.

3. Si talis conversatio aliquando, sed non semper est occasio proxima peccandi, non ilico est prohibenda sub poena denegandae absolutionis, sed prius investigandum est, num talis conversatio sit moraliter necessaria. Quo in casu confessarius iubeat, ut poenitens abstineat ab omnibus, quae proxime libidinem excitant, et ut adhibeat cautelas necessarias. Sin autem conversatio ista, aliquando causans peccata est omnino non necessaria neque vere utilis, confessarius eam stricte prohibeat.

§ 4. De peccatis luxuriae consummatis iuxta naturam.

Sex peccata consummata iuxta naturam solent enumerari: fornicatio, stuprum, raptus, incestus, adulterium, sacrilegium.

518. 1. *Fornicatio est copula ex mutuo consensu facta inter solutum et solutam corruptam;* est intrinsecus mala, ut patet ex propositione (48) damnata ab Innocentio XI: «Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.» Ratio autem interna est, quia fornicatio per se graviter laedit bonum prolis et bonum societatis, neque obstat, huiusmodi laesiones aliquando per accidens non occurrere.

Ad fornicationem reducuntur concubinatus et meretricium tamquam circumstantiae aggravantes.

519. 2. *Stuprum* sumitur in triplici sensu: 1) pro illicita defloratione virginis *ipsa consentiente;* 2) pro defloratione virginis *ipsa invita;* 3) pro copula cum quacumque muliere *ipsa invita.* In hoc ultimo sensu iura civilia solent sumere stuprum.

Stuprum in primo sensu acceptum est quidem circumstantia aggravans fornicationis, sed ordinarie non addit malitiam aliam mortalem necessario declarandam in confessione, uti voluerunt complures antiqui theologi. Stuprum in secundo et tertio sensu acceptum includit praeter fornicationis etiam iniustitiae malitiam gravem, cum sit violentia iniusta.

520. 3. *Raptus est abductio violenta personae cuiusvis explendae libidinis causa.* Est peccatum grave cum contra iustitiam (propter iniustam vim illatam) tum contra castitatem. Raptores puniuntur a lege tam civili quam canonica; (cf. c. 2353 sq.).

521. 4. *Incestus est copula carnalis inter cognatos aut affines, qui matrimonium inire nequeunt.* Exsistit triplex cognatio: carnalis, spiritualis, legalis. Incestus commissus inter personas cognatas vel affines primi vel secundi gradus includit duplex grave peccatum, necessario accusandum: alterum contra castitatem, alterum contra pietatem. In gradibus remotioribus incestus non est nisi circumstantia aggravans.

522. 5. *Sacrilegium carnale est violatio personae sacrae vel loci sacri vel rei sacrae per actum venereum.*

Quid sit sacrilegium personale, locale, reale, supra n. 446 sqq. sufficienter dictum est. Exemplum sacrilegii realis per actum venereum est sollicitatio

ad turpia occasione confessionis. Sacrilegium carnale continet duplicem gravem malitiam: alteram contra castitatem, alteram contra religionem.

523. 6. *Adulterium est copula carnalis inter personas, quarum saltem alterutra est ligata matrimonio;* continet duplicem gravem malitiam: contra castitatem et contra iustitiam. Adulter enim graviter laedit ius compartis. Speciem adulterii induunt quoque tactus inhonesti facti ab homine matrimonio iuncto in aliena persona, actus contra naturam, desideria prava in alienam personam.

§ 5. De peccatis luxuriae consummatis contra naturam:

Tres solent enumerari species luxuriae consummatae contra naturam: mollities, sodomia, bestialitas. Vocantur autem contra naturam, quia adversantur naturali fini summae delectationis venereae, qui est generatio prolis. Idcirco in genere luxuriae sunt ceteris graviora.

524. 1. *Pollutio venerea* (mollities; a medicis vocatur quoque onanismus, masturbatio, i. e. manu stupratio) *est emissio seminis vel quasi-seminis extra copulam carnalem.*

Dicitur: seminis vel quasi-seminis emissio. Pollutio stricte dicta locum non habet nisi in viris puberibus, qui possunt emittere verum semen. In latiore autem sensu pollutio vocatur quoque emissio quasi-seminis, i. e. alicuius humoris, quae cum delectatione venerea evenit et quae locum habet in pueris impuberibus, in spadonibus et in feminis. — Malitia moralis utriusque pollutionis videtur esse eadem fere. Accedit tamen in pollutione proprie dicta malitia frustaneae emissionis seminis contra ordinem naturae.

a) *Pollutio directe voluntaria est peccatum mortale ex toto genere suo.*

Est enim delectatio venerea directe volita. Quantum ad eius moralitatem parum refert, quomodo sit procurata, dum-

modo tamen desit affectus sodomiae, bestialitatis, complicitatis aut aliud medium in se illicitum.

b) *Pollutio indirecte voluntaria iudicanda est iuxta regulas voluntarii indirecti.*

Hinc videndum est, 1. num actio ex qua sequitur pollutio, sit in se honesta, e. g. lavare, natare, equitare; 2. num adsit finis honestus; 3. num sit sufficiens ratio ponendi actionem.

c) *Pollutio, quae solet accidere in somno, non est peccaminosa, nisi sit aliqualiter voluntaria.*

In praxi homines recti cordis non debent esse anxii de istis pollutionibus nocturnis, etiamsi accidunt in semi-somnio.

***Scholion.* De remediis contra pollutiones venereas adhibendis.** Experientia comprobatum est vitium pollutionis late grassari inter iuvenes utriusque sexus atque difficulter posse eradicari. Confessarius ante omnia satagat, ne poenitens habituatus in hoc vitio desponˈdeat animum, sed ut fretus firma spe victoriae obtinendae adhibeat fideliter media a confessario indicata. Talia remedia autem sunt a) supernaturalia et moralia, b) naturalia et hygienica.

a) Remedia *supernaturalia et moralia* sunt: frequentia sacramentorum, exercitia pietatis quotidie peragenda, fuga occasionis et otii, horror atque detestatio ipsius vitii.

b) Remedia *naturalia et hygienica* sunt: exercitia corporalia usque ad moderatam defatigationem corporalem, balnea et lotiones frigidae totius corporis, lectum durum et non nimis calidum, in lecto dormire super latere dextero et manibus compositis super pectus, mane tempore debito statim surgere, cavere a cibo et potu nimis abundante vel excitante, adhibere medicinas quae nervos sedant; demum, si frequentes pollutiones proveniunt ex morbido statu corporis, consulere medicum timoratae conscientiae.

525. 2. *Sodomia* (vocatur quoque paederastia, paedicatio, Urning, petits-jésus) *est immissio penis in vas posterum alterius personae.* Si ista persona est masculini generis, habetur sodomia *perfecta;* sin autem est feminini sexus, est sodomia *imperfecta.* Sodomia est peccatum, cuius malitia in caelum clamat. Cf. infra dicenda de perversione sexuali.

526. 3. *Bestialitas est copula carnalis cum bestia.* Est gravissimum inter omnia peccata luxuriae. Bestialitas non exsistit, si quis sine copula habita vel volita solummodo se polluit ex tactu bestiae.

***Scholion.* De perversione sexuali.** In praxi necessarium est, ut confessarius ea cognoscat, quae moderni auctores narrant de perversione sexuali, quae nihil aliud est nisi luxuria contra naturam et saepe evadit habitus quasi pathologicus difficillime superabilis. Principaliores modi perversionis sexualis sunt:

a) *sadismus* (dictus ab homine perverso Marquis de Sade) est excitatio ad delectationem veneream ope crudelitatis exercitae *in alium*, e. g. percussione, vulneratione, occisione (Lustmord);

b) *masochismus* (dictus a scriptore lubrico Sacher-Masoch) est excitatio ad delectationem veneream ope crudelitatis exercitae *ab alio* in ipsum, e. g. mulier petit verberari, ut in ipsa delectatio venerea excitetur;

c) *fetischismus* (dictus a verbo lusitano feitico) est cultus libidinosus alicuius rei; e. g. libido excitatur contrectatione vestium muliebrium, calcei, crinium etc. Fetischismus saepe est status pathologicus;

d) *sexualitas contraria* est appetitus sexualis valde vehemens in personam eiusdem sexus, i. e. viri in virum, mulieris in mulierem. Talis sexualitas contraria inter mulieres exsistens ab antiquis vocata es amor. lesbius, sapphius, Tribadismus.

Perversio sexualis aliquando quasi innata est, aliquando est acquisita actibus valde libidinosis, aliquando inducit statum vere pathologicum mentis. Cum autem rarissime mens totaliter perturbetur hac perversione sexuali, actus libidinosi peracti imputantur agenti. Confessarius cum magna prudentia et patientia tractet istos homines perversos, si volunt se emendare ab eorum pessimo habitu.

Caput IV. De partibus potentialibus temperantiae.

527. 1. *Continentia* est dispositio voluntatis, qua resistitur pravis concupiscentiis circa tactum. Valde adiuvat virtutem temperantiae.

2. *Mansuetudo* est virtus moralis, quae iram secundum rectam rationem moderatur. Ad mansuetudinem acquirendam valde conducunt humilitas et fortitudo.

3. *Clementia* est virtus moralis superiorem inclinans ad poenam debitam mitigandam vel etiam remittendam, in quantum recta ratio permittit. Clementiae opponitur *crudelitas,* quae atrociter exigit atque exsequitur poenas.

4. *Modestia* est virtus, qua quis intra modum et limites sui status, ingenii et fortunae quantum ad motus tam internos quam externos et omnem rerum suarum apparatum se continet. Continet sub se quattuor species: humilitatem, studiositatem, modestiam motuum exteriorum, modestiam cultus.

a) *Humilitas* est virtus, quae cohibet inordinatum appetitum propriae excellentiae et hominem inclinat ad propriam mediocritatem agnoscendam secundum veritatem. Quare humilitas duo munia habet: 1. reprimere inordinatum appetitum propriae excellentiae; 2. se subicere Deo agnoscendo omnia bona provenire a Deo. Hoc secundum munus est praecipuum, quod non satis agnoscitur a nonnullis auctoribus asceticis. — Humilitas est virtus valde necessaria, in quantum removet pestiferam superbiam, quae impedit efficaciam divinae gratiae.

Humilitati opponitur per *excessum:* inordinata abiectio sui; per *defectum* vero: superbia.

b) *Studiositas* est virtus moderans appetitum et studium veritatis cognoscendae secundum regulas rectae rationis. Cui quidem virtuti opponitur per excessum: *curiositas,* quae est inordinatus appetitus cognoscendi; et per defectum: *neglegentia,* quae est voluntaria omissio sciendi ea, quae sunt necessaria secundum statum et condicionem cuiusque personae.

c) *Modestia* in exterioribus rebus est virtus inclinans hominem ad servandum decorem in

exterioribus iuxta rectam rationem. Ista autem exteriora sunt: 1. motus corporis, 2. ludi, 3. vestimenta et ornamenta corporis.

Modestia in motibus corporis valde necessaria est ad iucundum convictum, ideoque S. Augustinus in Regula ad servos Dei monet: «In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat aspectum.»

Modestia in ludis seu rectus usus ludorum vocatur *eutrapelia.*

Modestia in vestimentis et ornamentis corporis non tantum omnem turpitudinem et defectum sed etiam omnem superfluitatem vitat. Per excessum peccant contra hanc virtutem praesertim mulieres per ornatum excessivum vel etiam indecentem. Mulieres valde indecenter ornatae sunt repellendae a s. communione. In hac tamen re multum considerandae sunt consuetudines diversarum regionum, atque cum magna prudentia procedendum est.

PARS II.

De sacramentis in genere et in specie.

TRACTATUS I.

De sacramentis in genere.

«Cum omnia sacramenta N. L. a Christo Domino nostro instituta sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est» (c. 713, § 1).

Dividitur tractatus de sacramentis in genere in sex capita: 1. de essentia et exsistentia sacramentorum; 2. de numero et divisione; 3. de efficacia et effectibus; 4. de institutore; 5. de ministro; 6. de subiecto. — In fine tractatus per modum appendicis agemus de sacramentalibus.

Caput I. De essentia et exsistentia sacramentorum.

528. Notio. «*Sacramentum est res sensibus subiecta, quae ex Dei institutione sanctitatis et iustitiae cum significandae tum efficiendae vim habet*» (Cat. Rom. P. 2, c. 1, q. 8). Haec definitio non valet nisi de N. Legis sacramentis, ad quae tria requiruntur: 1. signum externum, 2. productio interioris gratiae, 3. institutio a Iesu Christo.

Signum externum sensibile in sacramentis duplici elemento componitur, scil. materia et forma. *Materia* sacramentorum sunt res vel actus; *forma*

vero sunt verba, quibus istae res vel actus determinatam significationem et efficaciam accipiunt. Materia et forma perficitur sacramenti essentia, ut dicit Concilium Trid. (sess. 14, c. 2 de sacr. paenit.).

Solet distingui duplex materia: altera *remota*, quae est ipsa res in sacramentis adhibita, e. g. aqua in baptismo, chrisma in confirmatione; altera *proxima*, quae est actualis applicatio rei sensibilis seu materiae remotae, e. g. materia proxima in baptismo est ablutio facta cum aqua.

529. Condiciones materiae et formae.

Materia et forma 1. omnino sunt *necessariae* ad validitatem sacramentorum, nec licet eas vel accidentaliter mutare sine gravi causa; *substantialis* autem earum mutatio reddit sacramentum invalidum. Censetur adesse mutatio substantialis, si secundum communem et prudentem aestimationem materia est alterius speciei quam ea, quae a Christo instituta est, vel forma habet alium prorsus sensum;

2. debent moraliter *simul* uniri. Sicut enim in rebus physicis materia et forma simul unitae constituunt unum corpus, ita materia et forma in sacramentis necesse est ut sint *moraliter* simul unitae ad constituendum unum sacramentum. Hinc e. g. baptismus est invalidus, si prius funditur aqua et post intervallum pronuntiatur forma;

3. debent *certo* adesse, cum ex ipsis pendeat valor sacramentorum. Ideo non licet circa eas sequi opinionem solummodo probabilem, et extra casum urgentis necessitatis est grave peccatum adhibere materiam aut formam non moraliter certam;

4. debent (ordinarie) *ab uno eodemque ministro* applicari. Excipitur e. g. sacramentum paenitentiae, in quo paenitens praebet materiam proximam et sacerdos pronuntiat formam;

5. debent repeti, ita ut sacramentum fiat certo validum, si dubiae fuerint (c. 732, § 2). Sin autem dubium insolubile exsistat, num adsint essentialiter requisita ad sacramentum, forma *sub condicione* est pronuntianda. Regula generalis hoc in casu est: *Licet conferre sacramentum sub condicione, quoties absolute collatum exponeretur periculo nullitatis; absolute autem negatum privaret hominem magno bono aut illum detruderet in periculum aeternae salutis.* Hinc e. g. licet sub condicione

absolutionem sacramentalem conferre moribundo sensibus destituto, de cuius vita et dispositione valde dubitatur. Infantes expositi et inventi, nisi re diligenter investigata, de eorum baptismo constet, sub condicione baptizentur (c. 749).

530. Exsistentia sacramentorum. In V. Testamento exsistebant quattuor species sacramentorum, quae significabant gratiam per fidem in Christum futurum, nempe 1. circumcisio, 2. variae purificationes, 3. esus agni paschalis, 4. consecratio levitarum et sacerdotum. In N. Testamento exsistere sacramenta, quae non solum significant sed etiam causant gratiam, definitum est in Conciliis Florentino et Tridentino.

Caput II. De numero et divisione sacramentorum.

531. Numerus. De fide est in N. Testamento exsistere septem sacramenta, quae sunt: baptismus, confirmatio, eucharistia, paenitentia, extrema unctio, ordo, matrimonium. (Conc. Flor. et Trid.)

532. Divisiones. Sacramenta distinguuntur:

1. ratione *necessitatis* in sacramenta *necessaria omnibus* et *singulis personis* (quinque priora sacramenta), et necessaria solummodo *ipsi societati* christianae (duo ultima sacramenta);

2. ratione *subiecti* in sacramenta *vivorum* (confirmatio, eucharistia, extrema unctio, ordo, matrimonium), quae non possunt suscipi nisi a spiritualiter vivis, i. e. ab exsistentibus in statu gratiae sanctificantis; et sacramenta *mortuorum* (baptismus et paenitentia), quae *per se* instituta sunt ad conferendam vitam spiritualem, i. e. gratiam sanctificantem, spiritualiter mortuis, i. e. peccatoribus. *Per accidens* autem sacramenta mortuorum non conferunt sed augent gratiam, quando scil. homo suscipiens iam est in statu gratiae; similiter per accidens conferunt sed non augent gratiam sacramenta vivorum, quando scil. homo suscipiens cum ignorantia inculpabili versatur in statu peccati mortalis;

3. ratione *effectus* in sacramenta *characterem* imprimentia (baptismus, confirmatio, ordo) et non imprimentia. Priora vocantur quoque non iterabilia, posteriora iterabilia;

4. ratione *habitudinis ad subiectum* in sacramenta *formata*, quae producunt omnes effectus ipsis proprios, et *informia*, quae propter obicem nequeunt gratiam producere. Sacramentum igitur informe minime confundendum est cum sacramento invalido, cui aliquid essentiale deest. Si obex, qui reddit sacramentum informe, cognitus erat a suscipiente, tunc sacramentum informe est simul *sacrilegium*, secus non. Sacramentum sacrilege susceptum vocatur quoque: *formaliter* informe; aliud, quod susceptum fuit cum obice ignorato: informe *materialiter*.

Caput III. De efficacia et effectibus sacramentorum.

533. 1. Efficacia. Sacramenta N. Legis producunt effectus suos *ex opere operato*. Ita definivit Concilium Trid. (sess. 7, c. 8 de sacr. in gen.).

Expressio «ex opere operato» significat effectus sacramentales sequi ex ipsa valida administratione sacramenti, dummodo ne adsit obex ex parte suscipientis. Ergo sacramenta non producunt effectus ex opere operantis, i. e. per merita et dispositiones sive ministri sive suscipientis sacramentum.

534. 2. Effectus sacramentorum sunt:

a) *gratia sanctificans* data aut aucta. Sacramenta mortuorum ordinarie dant gratiam, sacramenta autem vivorum ordinarie augent gratiam sanctificantem iam exsistentem; cf. supra n. 532;

b) *gratia sacramentalis*, i. e. quoddam auxilium cuique sacramento proprium;

c) *character indelebilis;* imprimitur a tribus sacramentis (scil. a baptismo, confirmatione, ordine), quae propterea nequeunt iterari.

Quamvis theologi non concordent de natura istius characteris sacramentalis, tamen haec videntur esse certa:

1. character signat animam et distinguit;
2. character disponit ad specialem cultum Deo exhibendum;
3. character assimilat sacerdotio Christi.

535. Reviviscentia sacramentorum est transitus sacramenti informis ad sacramentum formatum. Qui quidem transitus causatur ablatione obicis, quocum sacramentum erat susceptum.

Iuxta sententiam probabiliorem quinque sacramenta informia possunt reviviscere: baptismus, confirmatio, extrema unctio, ordo, matrimonium. Ut autem ista sacramenta reviviscant, requiritur et sufficit eadem dispositio, quae erat in ipsa receptione requisita ac sufficiens ad gratiam consequendam (cf. nostrum Man. theol. mor. III 43).

Caput IV. De institutore sacramentorum.

536. *Omnia sacramenta N. Legis sunt immediate instituta a Christo ante suam ascensionem.* Quod quidem theologice certum est, quamvis pauci theologi ante Concilium Tridentinum putaverint, nonnulla sacramenta esse ex auctoritate Dei ab Ecclesia instituta.

Christus non tantum immediate instituit omnia sacramenta N. Legis, verum etiam eorum materiam et formam ita specifice determinavit, ut eas substantialiter mutare non liceat.

Omnes theologi hodie docent Christum aliqualiter determinasse materiam et formam sacramentorum, sed disputant, quousque ista determinatio se extendat. Solet enim distingui triplex determinatio: *individualis, generica, specifica.* Certum est Christum non dedisse determinationem *individualem,* i. e. usque ad singula etiam accidentia, quia ista accidentia lapsu temporis mutata sunt in Ecclesia tam latina quam graeca. Sic e. g. Christus non determinavit, utrum consecratio eucharistica fiat in pane azymo an in pane fermentato. Determinatio *generica* in eo consistit, quod Christus quidem determinavit efficaciam cuiusque sacramenti, sed reliquit Ecclesiae facultatem eligendi materiam et formam cuiusque sacramenti. Determinatio *specifica* insuper exigit, ut Christus determinaverit *essentialem* materiam et formam cuiusque sacramenti. Sententia docens specificam determinationem a Christo esse factam videtur praeferenda, nam, si Christus materiam et formam non determinasset nisi in genere, tunc Ecclesia adhuc posset essentiam materiae et formae mutare, quod tamen Concilium Trid. expresse negat.

Caput V. De ministro sacramentorum.

Subdividitur istud caput in quattuor articulos: 1. de ipso ministro eiusque probitate et fide; 2. de eius attentione et intentione; 3. de sacramentis dandis et negandis; 4. de simulatione et dissimulatione sacramentorum.

Art. 1. De ipso ministro eiusque probitate et fide.

537. 1. **Persona ministri.** Solus homo viator isque legitime deputatus aut consecratus est minister sacramentorum. Ergo neque angeli neque animae defunctorum possunt sacramenta ministrare; immo ad nonnulla sacramenta administranda requiritur in homine specialis consecratio et deputatio.

Distinguitur a) minister *consecratus,* qui eget speciali consecratione, et minister *non consecratus,* qui tali consecratione caret, nempe in baptismo et in matrimonio;

b) minister *ordinarius* et *extraordinarius,* prout ex officio vel ex speciali delegatione in casu necessitatis sacramenta ministrat. E. g. minister ordinarius confirmationis est episcopus, extraordinarius est sacerdos rite delegatus.

538. 2. **Fides et probitas ministri.** a) Ad *validam* administrationem sacramentorum requiritur neque fides neque probitas (i. e. status gratiae sanctificantis) ministri. — Ratio est, quia sacramenta operantur ex opere operato.

b) Ad *licite* conficienda sacramenta sub gravi requiritur status gratiae sanctificantis, saltem si minister consecratus extra casum necessitatis sollemniter administrat sacramenta.

Ratio est, quia gravem irreverentiam committit minister consecratus ad sacramenta digne ministranda, si in statu peccati mortalis et sub potestate diaboli constitutus vult in persona Christi sanctissimi aliis conferre gratiam, quam ipse ita vilipendit.

Non peccat graviter, qui in statu peccati mortalis exsistens administrat sacramentum, 1. si non est minister consecratus,

e. g. laicus, qui baptizat in casu necessitatis; 2. si urget necessitas et deest tempus ad comparandum sibi statum gratiae, etiam per actum contritionis.

Minister consecratus in statu peccati mortalis exsistens et extra casum necessitatis sacramenta administrans committit tot peccata, quot sacramenta illicite administrat. Ita sententia probabilior. Non constat sacerdotem aut diaconum committere grave peccatum, si in statu peccati mortalis exsistens ministrat *s. communionem*, quia in illo actu ipse non causat instrumentaliter gratiam, quippe quae non per porrectionem, sed per manducationem hostiae producatur.

Diaconus in statu peccati mortalis exsistens probabiliter non committit peccatum grave tangendo vel portando eucharistiam, vel ministrando in Missa sollemni.

Art. 2. De attentione et intentione ministri sacramentorum.

539. 1. **Attentio.** Ad *validam* sacramentorum administrationem sufficit et requiritur attentio *externa;* ad *licitam* vero administrationem requiritur attentio *interna* excludens omnem voluntariam divagationem mentis. Quare minister voluntarie distractus durante administratione sacramentorum valide quidem sed illicite administrat. Quod quidem peccatum est veniale; sin autem sacerdos voluntarie est distractus durante consecratione in Missa, tunc iuxta S. Alphonsum committit tantam irreverentiam, quae est peccatum grave. Alii tamen theologi hoc negant.

540. 2. **Intentio,** quae est ratiocinata voluntas, prout dirigitur per media in finem, efficit, ut minister velit mediante signo sacramentali facere, quod facit Ecclesia.

Intentio distinguitur:

a) *ratione subiecti: actualis,* quae hic et nunc elicitur; *virtualis,* quae antea elicita numquam retractata est et nunc adhuc influxum exercet in actum humanum ministri; *habitualis,* quae antea elicita numquam retractata est, sed iam nullo modo positive influit in opus, ut est actus humanus; *interpretativa,* quae nec antea fuit nec nunc adest, sed praesumitur adesse ex claris indiciis; e. g. aliquis Protestans moribundus et sensibus destitutus, qui in bona fide fuit et vitam morigeram duxit, censetur habere intentionem interpretativam suscipiendi absolutionem ideoque condicionate absolvi potest a sacerdote;

b) *ratione obiecti: clara* et *confusa,* prout obiectum intentum clare vel confuse obversatur menti; *determinata* vel *indeterminata,* prout voluntas fertur in obiectum undequaque limitatum vel vago modo designatum; *explicita* et *implicita,* prout obiectum clare cognitum intenditur in se ipso vel in alio, quocum est coniunctum; *absoluta* et *condicionata,* prout obiectum simpliciter vel solum cum condicione intenditur.

541. **Necessitas intentionis.** a) *Ad valide conficienda sacramenta requiritur, ut minister habeat saltem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.*

Est de fide definitum in Concilio Trid. (sess. 7, c. 11 de sacr. in gen.). — Non concordant theologi in explicando, quid sibi velint haec verba: faciendi, quod facit Ecclesia. Nonnulli putant nullam aliam intentionem in ministro requiri, nisi ut velit serio (et non ludicre) applicare materiam et formam (intentio externa); alii rectius docent hanc intentionem non sufficere, sed insuper requiri, ut minister velit peragere ritum, *in quantum sacer habetur a vera Ecclesia* (intentio interna). Minister enim debet agere tamquam *mandatarius Christi.* Ergo debet habere intentionem perficiendi ritum, quem Ecclesia Christi habet sacrum. Minime autem requiritur, ut ipse minister credat istum ritum esse revera sacrum. Pariter non est necesse, ut velit id facere, quod facit Ecclesia *catholica,* dummodo intendat facere, quod facit vera Ecclesia Christi.

b) Intentio interpretativa et habitualis non sufficit; intentio actualis non est necessaria; intentio virtualis sufficit et requiritur.

Art. 3. De sacramentis dandis et negandis.

542. **Principium 1.** *Ii, quibus cura animarum vi muneris incumbit, tenentur ex iustitia, alii autem ex caritate, administrare sacramenta rationabiliter petentibus.*

Ratio primi est, quia pastores suscipiendo curam animarum inierunt quasi-contractum praebendi subditis ea omnia, quae necessaria et utilia sunt ad salutem. Iamvero susceptio sacramentorum est medium necessarium aut valde utile ad salutem, ac proinde negando sacramenta subditis rationabiliter petentibus pastores laedunt contractum initum ideoque iustitiam. Pastor animarum etiam *cum periculo vitae* tenetur sacramenta administrare subditis in extrema necessitate spirituali versantibus, e. g. tenetur tempore pestis aliusve morbi contagiosi administrare moribundis sacramentum paenitentiae.

Ratio secundi est, quia alii sacerdotes negando sacramenta rationabiliter petentibus non quidem laedunt aliquem contractum initum sed caritatem; privant etenim proximum pretioso bono gratiae sacramentalis. Insuper saepe oritur magnum scandalum, si sacerdos sine sufficienti ratione recusat administrare sacramenta.

543. **Principium 2.** a) *Subiecto* **incapaci**, *quod non solum illicite, sed etiam invalide susciperet sacramentum, numquam licet dare sacramentum;* b) *subiecto vero* **indigno** *(sed non incapaci) non licet sacramentum administrare nisi ex gravissima causa.*

Ratio primi est, quia talis administratio est grave sacrilegium, et quidem directe procuratum a ministro. Hinc e. g. etiam ad vitandam mortem episcopus non posset conferre ordines mulieri.

Ratio secundi est, quia talis administratio est valida et non est nisi cooperatio materialis ad peccatum alterius. Iamvero licet materialiter cooperari ad peccatum alterius, si adest sufficiens causa. Quod quidem confirmatur exemplo ipsius Christi, qui probabilius administravit sacramenta Iudae Iscariotae indignissimo.

Causae, ex quibus licitum est administrare indignis sacramenta, sunt:

1. ne violetur sigillum sacramentale;

2. ne ipse, qui petit indigne sacramentum, incurrat gravissimam infamiam ex divulgatione criminis occulti;

3. ne oriatur grave scandalum fidelium.

Regulae practicae. 1. Sacramenta negari debent: a) publico peccatori, de cuius emendatione non sufficienter constat; b) occulto peccatori occulte petenti.

2. Sacramenta non sunt neganda peccatori occulto publice petenti, si inde scandalum aut infamia oritur.

Has regulas applicat Codex iur. can. c. 855 hoc modo relate ad eucharistiam: «Arcendi sunt ab eucharistia publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti manifestoque infames, nisi de eorum paenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint. Occultos vero peccatores, si occulte petant et eos non emendatos agnoverit, minister repellat; non autem si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat.»

Art. 4. De simulatione et dissimulatione sacramentorum.

544. **Notio.** *Simulatio vel fictio sacramentorum est illicita mutatio materiae vel formae vel intentionis necessariae clam facta a ministro, ita ut sacramentum sit nullum et suscipiens in errorem inducatur.*

Ergo simulatio triplici modo fieri potest: 1. si minister clam adhibet materiam ineptam, e. g. si loco vini consecrandi poneret in calice alium liquorem similem; 2. si clam essentialiter mutat formam substantialem; 3. si interius cohibet intentionem administrandi sacramenta. — A simulatione apprime distinguenda est *dissimulatio* sacramentorum, quae est actus *non* sacramentalis, ex quo non suscipiens sed *alii* erronee iudicant sacramentum revera esse collatum, e. g. confessarius, qui denegare debet absolutionem paenitenti illique id expresse dicit, recitat nonnullas preces et dat benedictionem eo fine, ne circumstantes percipiant absolutionem denegatam.

545. **Principium.** *Licita quidem est aliquando dissimulatio sacramenti exsistente sufficienti causa, numquam autem simulatio.*

Ratio primi est, quia dissimulatio sacramenti nihil aliud est quam ex sufficienti causa permittere, ut alii, qui nullum habent ius cognoscendi veritatem, cadant in errorem haud nocivum.
Ratio secundi est, quia simulatio sacramenti est a) mendacium valde nocivum, b) detestabile sacrilegium. Quapropter Innocentius XI damnavit propositionem (29): «Urgens metus gravis est causa iusta sacramentorum administrationem simulandi.»

Caput VI. De subiecto sacramentorum.

1. Ad **validam** susceptionem sacramentorum diversa pro diversis sacramentis requiruntur. Generatim tamen sequentia valent:

546. a) *Fides et probitas* suscipientis non requiruntur, excepto paenitentiae sacramento, quod ad validitatem requirit contritionem (attritionem), quae profecto haberi nequit sine fide et probitate (saltem incohata).

b) Nulla *attentio* (neque interna neque externa) suscipientis requiritur ad *valorem* sacramentorum. Hinc etiam sensibus destitutus potest valide absolvi, dummodo adsit intentio virtualis vel saltem interpretativa suscipiendi sacramentum.

c) Ad valorem omnium aliorum sacramentorum requiritur *baptismus validus* praevie susceptus.

d) In infantibus et perpetuo amentibus nulla requiritur *intentio* (personalis) suscipiendi sacramenta, quorum sunt capaces. In illis enim Ecclesia supplet intentionem. Infantes autem possunt *valide* suscipere baptismum, confirmationem, eucharistiam, ordinem. Iuxta hodiernam autem disciplinam Ecclesia infantibus et perpetuo amentibus non aliud sacramentum administrat nisi baptismum et in paucis regionibus etiam confirmationem.

e) In habentibus usum rationis requiritur ad valorem omnium sacramentorum (excepta eucharistia) aliqua *intentio*, quae est diversa pro diversis sacramentis, ut infra de singulis sacramentis dicetur. Dicitur: *excepta eucharistia*, quae, cum consistat in re permanenti, i. e. in speciebus consecratis, a nulla intentione cum ministrantis tum suscipientis quoad validitatem dependet.

2. Ad **licitam** susceptionem sacramentorum speciales condiciones requiruntur in singulis sacramentis, ut infra dicetur. Generatim tamen sequentia valent:

a) Qui usu rationis pollet, nequit licite suscipere α) sacramentum *mortuorum*, nisi habeat saltem attritionem; β) sacramentum *vivorum*, nisi sit in statu gratiae sanctificantis.

b) Non licet nisi ex gravi causa recipere sacramentum a ministro indigno. Immo ab excommunicatis vitandis necnon ab aliis excommunicatis, postquam intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, fideles in solo mortis periculo possunt petere cum absolutionem sacramentalem tum etiam, si alii desint ministri, cetera sacramenta et sacramentalia (c. 2261, § 3).

Appendix de sacramentalibus.

547. **Notio.** *Sacramentalia* (in stricto sensu) *sunt res aut actiones, quibus Ecclesia in aliquam sacramentorum imitationem uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales* (c. 1144).

Sacramentalia a veteribus aliquando vocabantur *sacramenta minora*, quia habent quandam similitudinem cum sacramentis, a quibus tamen in multis quoque differunt, nempe:

a) ratione *originis:* sacramenta instituta sunt a Christo, sacramentalia autem ab Ecclesia. Iuxta praesentem disciplinam sola S. Sedes potest nova sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex iisdem aliqua abolere aut mutare (c. 1145);

b) ratione *effectus:* sacramenta causant ex opere operato gratiam sanctificantem eiusve augmentum; sacramentalia vero causant ex se non nisi gratias actuales aliaque auxilia spiritualia et temporalia;

c) ratione *modi operandi:* sacramenta causant effectus ex opere operato; sacramentalia vero producunt effectus ex opere operantis cum hominis tum Ecclesiae, quae ex sua impetratione efficacissima tribuit sacramentalibus saluberrimos effectus, scil. α) gratias actuales, β) remissionem peccatorum venialium, γ) victoriam super maleficia diaboli, δ) bona temporalia;

d) ratione *numeri:* sacramenta sunt septem; sacramentalia vero sunt in numero indeterminato et variabili.

548. **Divisio.** Distinguuntur sacramentalia *permanentia seu res* et *transeuntia seu actiones.*

Priora sunt quaedam res benedictae seu consecratae, quarum usu fideles obtinent diversa auxilia salutaria. Huiusmodi sacramentalia sunt e. g. aqua benedicta, scapularia, numismata etc. Posteriora sunt quaedam actiones, quibus ex ordinatione Ecclesiae speciales gratiae adnectuntur, e. g. benedictiones, exorcismus etc.

Benedictiones hodie magnam partem sacramentalium constituunt. Quaedam benedictiones reservantur Summo Pontifici, e. g. benedictio «Agnus Dei», pallii etc.; quaedam pertinent ad episcopos, e. g. chrismatis; quaedam propriae sunt nonnullis institutis religiosis, e. g. rosariorum, scapularium etc.; quaedam reservantur parocho, e. g. benedictio domorum Sabbato Sancto (non autem alia), benedictio nuptialis; complures benedictiones possunt dari a quolibet sacerdote. Benedictiones invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta (c. 1148, § 2). Si ex licentia episcopi diaconus viaticum administrat, potest benedicere infirmum cum SS. Sacramento; pariter potest benedicere sepulcrum in sepultura. — Laici autem nullam benedictionem liturgicam nullumque sacramentale perficere possunt.

549. **Subiectum.** Sacramentalia (et specialiter benedictiones) imprimis impertienda sunt catholicis; dari quoque possunt catechumenis, immo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo, corporis sanitatem (c. 1149). Hinc e. g. numisma benedictum dari potest acatholico, qui eo non abutitur.

Ecclesia prohibet, ne sacramentalia dentur a) excommunicatis per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (c. 2260, § 1); b) personaliter interdictis (c. 2275, n. 2); c) catholicis, qui matrimonium mixtum sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint (c. 2375). Casus primus vel secundus hodie est rarissimus, tertius vero satis frequens.

TRACTATUS II.
De baptismo.

Dividimus istum tractatum in septem capita: 1. de notione, institutione, divisione baptismi; 2. de eius materia et forma; 3. de eius effectibus; 4. de eius necessitate; 5. de eius ministro; 6. de eius subiecto; 7. de eius caerimoniis.

CAPUT I. De notione, institutione, divisione baptismi.

550. 1. **Notio.** Baptismus definitur a Catechismo Romano (P. 2, c. 2, n. 5): *sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Quibus verbis significantur a) baptismi effectus, nempe regeneratio; ex Adam enim nascimur filii irae, ex Deo vero per baptismum renascimur filii misericordiae; b) materia et forma, nempe aqua et verba.

2. **Institutio** baptismi certo facta est a Christo, sed quandonam Christus hoc sacramentum instituerit, non concordant theologi: alii putantes baptismum esse institutum, quando Christus baptizatus est in Iordane; alii, quando Christus dixit Nicodemo: «Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei»; alii, quando Christus ante passionem misit disci-

pulos ad baptizandum; alii, quando Christus post resurrectionem dixit: «Euntes docete omnes gentes, baptizantes . . .» Prima sententia, quae est S. Thomae, videtur melior.

551. 3. **Divisiones.** Quamvis sit unum et unicum sacramentum baptismi, tamen *principalis* effectus huius sacramenti, nempe remissio peccati originalis et collatio gratiae sanctificantis, tribus modis obtineri potest Hinc solet distingui triplex baptismus:

a) baptismus *fluminis* seu aquae, i. e. ipsum sacramentum a Christo institutum;

b) baptismus *flaminis,* qui est perfectus actus caritatis includens saltem implicite votum baptismi aquae;

c) baptismus *sanguinis,* qui est martyrium pro Christo toleratum ante baptismum aquae.

Distinguitur quoque baptismus *sollemnis* et *privatus,* prout ministratur servatis omnibus ritibus et caerimoniis, quae in ritualibus libris praescribuntur, vel secus (c. 737, § 2).

Caput II. De materia et forma baptismi.

552. 1. **Materia** *remota valida* est omnis et sola aqua naturalis (c. 737, § 1). Quaenam autem res vocari possit aqua, non tam ex chymica analysi quam ex communi aestimatione hominum desumendum est.

2. Materia *remota licita* in baptismo *sollemni* est aqua baptismalis consecrata et decenter munda (c. 757, § 1). In baptismo *necessitatis* et in baptismo *privato* aqua baptismalis praeferenda est quidem, sed facile adest causa permittens usum aquae etiam naturalis aut benedictae.

In extrema necessitate licet baptizare etiam cum materia dubia; sacramenta enim sunt propter salutem humanam instituta. Qui autem extra casum necessitatis sollemniter baptizat cum aqua non consecrata, pariter qui baptizat cum aqua lutulenta aut mixta cum aliis materiis, graviter peccat propter commissam gravem irreverentiam in sacramentum. Si infans in utero materno baptizatur, licet in periculo morbi admiscere

aquae «sublimatum corrosivum in proportione 1/1000». (S. Off. d. 21 Aug. 1901.)

3. Materia *proxima* baptismi est applicatio aquae a ministro facta ita, ut iuxta commune iudicium *vera ablutio* adsit. Quae quidem ablutio tribus modis fieri potest: immersione, aspersione, infusione.

Modus baptizandi per infusionem est hic: a) infusio debet esse trina; b) super caput baptizandi[1] (nisi in casu extremae necessitatis); c) aqua *fluat* necesse est immediate super cutem baptizandi; d) idem minister debet pronuntiare formam et facere ablutionem.

553. **Forma** baptismi in Ecclesia latina est: «N. ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti»; in Ecclesia vero orientali: «Baptizetur (baptizatur) servus Christi N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.»

Ad essentiam formae baptismalis pertinet, ut saltem duo exprimantur: a) *actus baptizandi* factus a ministro, b) *auctoritas trium personarum SS. Trinitatis,* qua baptismus confertur. Expressio actus baptizandi includit tria, scil. ministrum, subiectum, actionem ipsam baptizandi. Expressio explicita trium personarum SS. Trinitatis est prorsus necessaria. — Num apostoli baptizaverint in solo nomine Iesu, controvertitur.

Ex dictis potest diiudicari, quaenam formulae baptizandi sint validae, quaenam invalidae. Non vacat de singulis loqui.

Si baptismus sub condicione iteratur, dicat baptizans: Si non es baptizatus(a), ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti (Rit. Rom. tit. II, c. 4, n. 40).

Caput III. De effectibus baptismi.

554. **Praenotamen.** Circa effectus baptismi flaminis et sanguinis haec breviter notentur: 1. neuter imprimit characterem, cum non sit sacramentum; 2. uterque producit gratiam sanctificantem; 3. baptismus sanguinis solet remittere quoque

[1] Si ablutio facta est in alio membro, baptismus postea sub condicione est iterandus, si hoc est possibile.

omnem culpam venialem et poenam temporalem; non item baptismus flaminis, nisi sit coniunctus cum actu caritatis valde intenso.

Nunc tractabitur de effectibus baptismi fluminis, quorum alii proveniunt ex iure divino, nempe sex; alius ex iure ecclesiastico, nempe unus.

Ex iure divino producuntur per baptismum:
1. character baptismalis (etiam per baptismum illicitum);
2. remissio omnis peccati;
3. remissio omnis poenae;
4. infusio gratiae, virtutum, donorum;
5. gratia sacramentalis;
6. incorporatio in Ecclesiam.

Ex iure ecclesiastico producitur per baptismum inter baptizatum ex una parte et baptizantem et patrinum ex altera parte cognatio spiritualis, de qua longior sermo erit in tractatu de matrimonio.

Caput IV. De necessitate baptismi.

555. **Principium.** a) *Baptismus est necessarius necessitate medii ad salutem aeternam*; b) *baptismus tamen fluminis quoad principalem effectum, scil. quoad gratiam sanctificantem, suppleri potest in infantibus per baptismum sanguinis, in adultis vero insuper per baptismum flaminis.*

Omnia videntur esse satis clara ex antea dictis.

Caput V. De ministro baptismi.

556. **Minister necessitatis** baptismi est quilibet homo usum rationis habens atque volens et potens rite applicare formam ad materiam.

Etenim Concilium Florentinum definivit: «In casu autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae et facere intendat, quod facit Ecclesia.» Talis necessitas est periculum mortis, neque requiritur articulus mortis. Quare e. g. absente sacerdote in locis missionum, catechetae solent baptizare infantes recenter natos, qui, quamvis nunc satis bene valeant, tamen facile mori possunt ante adventum sacerdotis.

557. **Minister ordinarius baptismi sollemnis** est solus parochus (vel Ordinarius), seu aliis verbis: ius sollemniter baptizandi est *ius privative paroeciale.*

Quicumque igitur sollemniter baptizat sine parochi aut Ordinarii licentia expressa vel saltem rite praesumpta, laedit graviter ius alterius. Hoc ius paroeciale est *territoriale* et non personale. Ideo in alieno territorio nemini licet (sine debita licentia) baptismum sollemnem conferre, ne sui quidem loci incolis (c. 739). Ita saltem de iure communi; de iure particulari haud semel specialia statuta vigent. Parochus in suo territorio potest baptizare omnes, etiam peregrinos et vagos; peregrinus autem, si id facile et sine mora fieri potest, debet baptizari a proprio parocho in sua paroecia (c. 738, § 2).

Adultorum baptismus sollemnis, e. g. Iudaeorum conversorum, ubi commode fieri potest, pro maiore sollemnitate ad episcopum deferatur (c. 744).

558. **Minister delegatus baptismi sollemnis** est quilibet sacerdos aut diaconus, dummodo ne sint aliqua censura ligati.

Quilibet sacerdos dignus delegari potest etiam sine causa; diaconus vero, cum non sit nisi minister *extraordinarius*, nequit licite baptizare sollemniter, nisi adsit: 1. saltem mediocris necessitas, 2. commissio (saltem praesumpta) parochi vel Ordinarii. Quando in casu inopinatae necessitatis diaconus invitatur ad baptizandum, potest commissionem legitimam praesumere et sollemniter baptizare (c. 741). Mediocris autem necessitas, in qua parochus potest delegare diaconum, adest e. g., quando parochus absens est vel occupatus est confessionibus audiendis etc. Quando diaconus sollemniter baptizat, nequit benedicere salem aut aquam, sed debet uti istis rebus a sacerdote benedictis.

Baptismus *privatus*, qui absolute vel condicionate confertur sine caeremoniis, quando haeretici

recipiuntur in gremium Ecclesiae, non videtur esse de iure paroeciali.

559. **Ordo servandus inter ministros necessitatis** hoc modo a Rituali Romano statutus est: «Si adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico, vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum baptizandi.» Patri autem vel matri suam prolem baptizare non licet, praeterquam in mortis periculo, quando alius praesto non est, qui baptizet (c. 742, § 3). — Curet parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi, rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant (c. 743).

Caput VI. De subiecto baptismi.

Subiectum *baptismi est omnis homo viator et nondum baptizatus* (c. 745, § 1).

560. Dispositiones subiecti. 1. *In infantibus* et in perpetuo amentibus nulla requiritur dispositio, ut valide et licite baptizari valeant.

2. *In adultis,* i. e. in iis, qui pollent sufficienti usu rationis, requiritur, ut habeant a) intentionem, b) fidem, c) paenitentiam. *Intentio* suscipiendi baptismum requiritur ad valorem sacramenti. *Fides,* i. e. cognitio praecipuorum articulorum fidei, et *paenitentia,* i. e. saltem attritio, requiruntur ad licitam et fructuosam susceptionem baptismi. Adultus, qui certo non est baptizatus, potest quidem *ex devotione,* sed non tenetur confiteri peccata ante baptismum commissa. *Haereticus* autem, de cuius valido baptismo non constat, et qui proinde sub condicione iterum baptizatur, tenetur confiteri peccata commissa et sub condicione absolvi. Contraria opinio paucorum theologorum neque probabilis neque tuta est in praxi. (Cf. nostrum Man. theol. mor. III 138.)

Adultus, qui in periculo mortis versatur et nequit in praecipuis fidei mysteriis diligentius instrui, potest nihilominus baptizari, si aliquo modo ostendit se istis mysteriis assentire et serio promittit se christianae religionis mandata servaturum esse. Immo si baptismum petere nequit, utpote e. g. sensibus destitutus, sub condicione baptizandus est, si aliquo probabili modo unquam manifestavit intentionem suscipiendi baptismum. Sed si deinde convaluerit et dubium de valore baptismi collati permaneat, sub condicione baptismus iteretur (c. 752, § 3).

561. Infantes parentum catholicorum *quam primum* baptizandi sunt. Ideo Leo XIII vehementissime reprobat consuetudinem differendi baptismum infantium. — Disputant theologi, quaenam dilatio sit grave peccatum, sed nil certi dici potest. In nonnullis regionibus salutaria statuta particularia de hac re lata sunt.

562. Infantes duorum parentum haereticorum (aut schismaticorum aut apostatarum) iuxta vigentem disciplinam Ecclesiae sunt baptizandi a ministro catholico, si a) *adsit extrema necessitas,* i. e. si infans in eo versatur discrimine vitae, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat; b) *si exsistat fundata spes eos educandi in religione catholica.* Quae quidem spes adest, si saltem *alteruter* parens promittit pro viribus procurare educationem catholicam infantis, vel si parentes aut tutores desunt vel ius educationis exercere non possunt vel nolunt.

Infantes parentum infidelium nequeunt (extra articulum mortis) baptizari insciis vel invitis parentibus (Benedict. XIV Const. «Postremo mense» d. 28 Febr. 1747; Cod. iur. can. c. 750). Quando autem parentes consentiunt, vel quando infantes sunt positi extra potestatem parentum, baptismus conferri potest, dummodo adsit spes educandi infantes in religione catholica (c. 750, § 2).

563. **Infantes expositi** ordinarie sub condicione baptizandi sunt, cum rarissime constet illos validum baptismum suscepisse (c. 749).

564. **Infantes in utero materno adhuc totaliter exsistentes** possunt et debent baptizari, si non est probabilis spes, fore ut rite editi baptizari possint. Quando autem postea nati fuerint, debent iterum sub condicione baptizari, quia prior baptismus forte non fuit validus.

De hac re statuit Codex iur. can. c. 746: «Si infans caput emiserit et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, est iterum sub condicione baptizandus.» Haec autem solummodo valent, si adest moralis certitudo, illum, qui hoc modo in capite baptizavit, omnia necessaria ad validitatem baptismi adhibuisse. «Si infans aliud membrum emiserit, in illo, si periculum immineat, baptizetur sub condicione; at tunc, si natus vixerit, est rursus sub condicione baptizandus. Si mater praegnans mortua fuerit, foetus ab iis, ad quos spectat extractus, si certo vivat, baptizetur absolute; si dubie, sub condicione.»

565. **Foetus abortivi et monstra,** qui dubie vivunt, necesse est baptizari sub condicione. Foetus autem abortivus, qui certo vivus est, absolute debet baptizari (c. 747 et 748).

Modus baptizandi embryonem, qui in secundinis inclusus emittitur: Embryo eiectus caute sumatur et ponendo eum in aqua tepida (non frigida) eius velamenta disrumpantur, ita ut liquor amnii effluat et aqua tangere possit ipsum embryonem. Tunc statim pronuntietur forma: «Si vivis, ego te baptizo . . .», et deinde extrahatur ex aqua. Ratio huius modi agendi est, quia invalidus esse videtur baptismus collatus super secundinas. Quando autem secundinae extra aquam disrumpuntur, periculum est, ne foetus ex contactu aeris statim moriatur. Sin vero sub aqua secundinae disrumpuntur, maior adest probabilitas, ut aqua tangat foetum, antequam moriatur.

566. ***Scholion.*** **De operatione caesarea,** quae potest fieri aut vivente aut mortua matre.

Vivente matre sectio caesarea a) consulenda est, si exsistit fundata spes, fore ut per eam salventur et mater et infans, secus morituri; b) fieri non debet, si adest parva spes salvandi matrem aut infantem. Ratio est, quia nemo tenetur subire tam gravem operationem, quin adsit fundata spes salutis. Infans autem in utero materno exsistens potest cum morali certitudine valide baptizari sine sectione caesarea.

Mortua matre sectio caesarea ex gravi praecepto *caritatis* fieri debet cum ad salvandam vitam corporalem infantis tum ad eum baptizandum. Quare medici et chirurgi eam tunc perficere debent quantocius post mortem matris. Sin autem est moraliter certum, foetum iam mortuum esse ante matrem vel simul cum matre (ut saepe accidit); vel si nemo adest, qui capax est hanc operationem perficere, omitti potest. Sacerdos eam numquam perficere potest [1], debet autem prudenter procurare, ut obstetrix vel medicus baptizet ope instrumenti infantem forte adhuc vivum in alvo materno.

Caput VII. De caeremoniis baptismi.

567. Sub nomine caeremoniarum intelleguntur non solum actiones praestandae a ministro, sed etiam ea omnia, quae Ecclesia statuit de loco, tempore baptismi, et notanter de patrinis, qui «semper tamquam praecipua caeremonia in Ecclesia Christi habiti sunt».

Obligatio. Baptismus sollemnis conferendus est cum omnibus caeremoniis in Rituali praescriptis, excepto casu gravis necessitatis, i. e. periculo mortis imminente. Ideo peccat graviter sacerdos, qui notabilem partem caeremoniarum omittit. Ex licentia Ordinarii loci omitti possunt caeremoniae baptismi, quando haereticus redit in gremium Ecclesiae, sive condicionate baptizatur sive baptismus non iteratur. Pariter caeremoniae omitti possunt in baptismo sub condicione iterato, si in priore baptismo iam adhibitae sunt (c. 760). Qui quidem casus est valde rarus. — Quando in periculo mortis baptismus collatus est sine caeremoniis, tunc istae postea supplendae sunt (c. 759).

[1] S. Off. d. 13 Dec. 1899.

568. Locus et tempus. 1. *Locus* baptismi sollemniter conferendi ordinarie est ecclesia paroecialis, ubi habetur fons baptismalis. Potest tamen loci Ordinarius pro fidelium commoditate permittere vel iubere, ut fons baptismalis pro baptismo sollemni ponatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines (c. 774, § 2).

In sacristia licet baptizare ob rationabilem causam ab episcopo approbandam, e. g. ob magnum frigus infanti nocivum.

In domibus privatis baptismus sollemnis non licet conferri, nisi a) filiis aut nepotibus eorum, qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum; b) si loci Ordinarius ex iusta et rationabili causa *in casu aliquo extraordinario* id concesserit (c. 776).

Baptismus privatus (e. g. baptismus haeretici neoconversi) et baptismus necessitatis in quolibet loco decenti administrari possunt (c. 771).

2. *Tempus* baptismi, etiam sollemnis, est quilibet dies (ergo etiam Parasceve). Decet autem adultorum baptismum conferri, si fieri commode queat, in pervigilio Paschatis et Pentecostes (c. 772). — Infantes quam primum baptizentur (c. 770), ut iam dictum est.

Nomen, quod baptizato imponitur, sit christianum; quodsi parochus id obtinere nequit, nomini a parentibus imposito addat nomen alicuius sancti et in libro baptizatorum utrumque nomen inscribat (c. 761).

569. Patrinus unus tantum, licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum unus et una adhibeantur (c. 764); idque etiam in baptismo *privato*, si facile haberi queat (c. 762, § 2). Si patrinus non interfuerit baptismo e. g. necessitatis, adhibeatur in supplendis baptismi caeremoniis, sed hoc in casu nullam contrahit spiritualem cognationem (ib.). In baptismi condicionata iteratione patrinus non est necessarius. Sin autem in condicionata iteratione baptismi adhibetur patrinus, tunc neque hic neque ille patrinus, qui in priore baptismo forte adhibitus fuit, contrahit cognationem spiritualem, nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit (c. 763).

Qualitates requisitae.

570. a) Ad *validam* susceptionem muneris patrini requiruntur quinque qualitates, scil.:

1. ut homo sit baptizatus atque intentionem habeat id munus gerendi;

2. ut ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam sit excommunicatus aut infamis infamia iuris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus;

3. ut non sit pater vel mater vel coniux baptizandi;

4. ut sit designatus ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro;

5. ut baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice tangat vel statim levet aut suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis (c. 765).

571. b) Ad *licitam* susceptionem muneris patrini requiruntur item quinque (c. 766), scil.:

1. ut homo attigerit 14 annum aetatis, nisi aliud iusta de causa ministro videatur; potest igitur sacerdos ex legitima causa dispensare ab hac condicione;

2. ut non sit propter notorium delictum excommunicatus (e. g. vivens in matrimonio mixto graviter illicito) vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti;

3. ut fidei rudimenta noverit;

4. ut in nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia superioris saltem localis;

5. ut non sit in sacris ordinibus constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia.

Onera patrini. Si quis valide factus est patrinus, contrahit: 1. impedimentum cognationis spiritualis cum baptizato, de quo infra n. 918; 2. obligationem pro viribus curandi, ut baptizatus in vita christiana se semper talem exhibeat, qualem in baptismo spopondit (c. 769).

572. **Nota.** 1. In reiciendo indigno patrino parochus utatur omni prudentia, ne alios offendat neve noceat bono religionis. Ad maiora autem mala certo vitanda parochus videtur posse aliquando admittere patrinum quoque indignum, si scandalum deest. In dubio, utrum quis valide vel licite admitti possit necne ad patrini munus, parochus, si tempus suppetat, consulat Ordinarium (c. 767).

2. Baptismo peracto parochus debet in libro baptismorum inscribere nomen a) baptizati, b) ministri, c) parentum, d) patrinorum; debet quoque adnotare diem et locum collati baptismi (c. 777, § 1). Ubi agitur de baptismo filii illegitimi inscribendo, potest inscribi tamquam filius patris ignoti vel ignotorum parentum. Nomen autem matris et etiam patris inscribi debet, si hoc ex publico documento constat, vel si parentes id expresse et sponte petunt idque scripto aut coram duobus testibus (ib. § 2).

3. Hortandae sunt matres catholicae, quae legitime pepererunt, ut postea recipiant benedictionem puerperae ab aliquo sacerdote. Benedictio haec puerperae non est ius stricte paroeciale (S. Rit. Congr. d. 21 Nov. 1893, Decr. auth. n. 3813).

TRACTATUS III.
De confirmatione.

Dividitur iste tractatus in 4 capita: 1. de notione et effectibus confirmationis; 2. de eius materia et forma; 3. de eius ministro et subiecto; 4. de eius caeremoniis.

Caput I. De notione et effectibus confirmationis.

573. **Notio.** *Confirmatio est sacramentum a Christo Domino institutum, quo baptizatis per manuum impositionem et chrismatis unctionem*

sub certis verbis sacris datur Spiritus Sanctus ad fidem verbis operibusque fortiter confitendam.

Effectus confirmationis sunt tres ex iure divino (nempe character, augmentum gratiae sanctificantis, gratia sacramentalis) et unus ex iure ecclesiastico (nempe cognatio spiritualis, quae tamen non amplius producit impedimentum matrimonii). Ex iure igitur divino per sacramentum confirmationis producitur:

1. *character indelebilis,* quo homo significatur et disponitur bonus miles ad fortiter pugnandum in fidei periculis, atque ad ducendam vitam iuxta praecepta fidei;

2. *augmentum gratiae sanctificantis,* specialiter augentur dona Spiritus Sancti;

3. *gratia sacramentalis* ad specialem fortitudinem exercendam contra fidei hostes cum externos tum internos.

574. **Institutio** sacramenti confirmationis certo facta est a Christo, sed ignoratur, quandonam id factum sit. Alii putant in cena Domini post eucharistiae institutionem, alii vero opinantur post resurrectionem Christum instituisse sacramentum confirmationis.

Caput II. De materia et forma confirmationis.

575. **Materia remota** confirmationis est *sacrum chrisma,* i. e. unguentum compositum ex oleo olivarum et balsamo atque speciali consecratione benedictum ab episcopo.

Dicitur *speciali* consecratione benedictum; quare probabilius invalide administraretur confirmatio cum oleo infirmorum aut catechumenorum, quamvis ista olea sint quoque benedicta ab episcopo.

576. **Materia proxima** confirmationis est sic dicta «*chrismatio*», i. e. unctio cum chrismate in fronte confirmandi in modum crucis immediate

facta per manus impositionem (non aliquo instrumento). Ita iuxta ritum latinum; in ritibus autem orientalibus exsistunt quaedam differentiae, sed accidentales dumtaxat.

577. **Forma** confirmationis consistit in verbis: «Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.» Ita iuxta ritum latinum; in ritu graeco adhibetur forma: «Signaculum doni Spiritus Sancti».

Caput III. De ministro et subiecto confirmationis.

578. 1. **Minister** *ordinarius confirmationis est episcopus; minister vero extraordinarius est sacerdos rite delegatus vel a iure vel peculiari S. Sedis indulto* (c. 782).

Episcopus potest in proprio territorio sacramentum confirmationis administrare *omnibus* non solum subditis sed etiam peregrinis; in alieno vero territorio non sine licentia saltem rationabiliter praesumpta episcopi istius loci, nisi agatur de propriis subditis, quibus confirmationem conferat privatim ac sine baculo et mitra (c. 783). — Episcopus sub gravi tenetur aliquoties, i. e. saltem intra quodlibet quinquennium (c. 785), praebere occasionem suis subditis recipiendi sacramentum confirmationis; non autem stricte tenetur hoc sacramentum administrare moribundo petenti. Ratio huius secundi est, quia confirmatio non est omnino necessaria pro moribundo.

Sacerdos nequit administrare sacramentum confirmationis sine Summi Pontificis delegatione, quae conceditur vel indulto peculiari (e. g. quando episcopus loci est infirmus) vel iure communi. Ipso iure gaudent facultate confirmandi Cardinales, Abbas vel Praelatus nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus (c. 702, § 3), qui tamen ea *valide* uti nequeunt nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum. Tacite et habitualiter delegantur omnes sacerdotes in ritu graeco, sed pro solis fidelibus istius ritus. Sacerdos ritus latini debet qualibet vice in lingua vernacula expresse monere ante administrationem confirmationis, se non esse ministrum huius sacramenti nisi ex speciali delegatione.

579. 2. **Subiectum** confirmationis est quilibet homo baptizatus et nondum confirmatus. Hodie tamen (exceptis nonnullis regionibus, e. g. Hispania, America Latina) non solet sacramentum confirmationis administrari infantibus ante septimum aetatis annum.

Nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo est constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et *graves* causas videtur (c. 788). Confirmandus adultus debet habere intentionem suscipiendi hoc sacramentum; insuper exigitur status gratiae, cum confirmatio sit sacramentum vivorum. Laudabiliter ieiunus et sacra communione refectus accedat homo ad hoc sacramentum.

580. *Obligatio confirmationis suscipiendae* non est de necessitate salutis, immo probabilius ne de necessitate gravis praecepti quidem. Quare non peccat mortaliter, qui non recipit sacramentum confirmationis, dummodo tamen desit scandalum aut contemptus aut speciale periculum salutis. Parochi autem curent, ut fideles opportuno tempore et congrua praeparatione ad s. confirmationem accedant (c. 787).

Caput IV. De caeremoniis confirmationis.

581. Caeremoniae in Pontificali praescriptae observandae sunt; immo sub gravi obligant eae, quae certo aut probabiliter ad valorem sacra-

menti pertinent, e. g. unctio in fronte per modum crucis.

Confirmatio ordinarie administranda est cum omnibus sollemnitatibus in Pontificali praescriptis; ex rationabili tamen causa episcopus potest illam administrare sola stola pastorali indutus in quocumque loco decenti et quacumque die et hora. Caeremonia *alapae* non obligat sub gravi, pariter cereus; in confirmatione homo potest sed non tenetur sibi novum nomen imponere.

582. **Patrinus** sub gravi adhibendus est aeque in confirmatione ac in baptismo, saltem si haberi potest. Patrinus autem iste unum tantum confirmandum aut duos praesentet; potest tamen minister confirmationis iusta de causa permittere, ut unus patrinus complures confirmandos praesentet (c. 794).

Ad *valorem* debet patrinus confirmationis easdem (5) qualitates habere, ac supra n. 570 de patrino baptismi dictum est; insuper sit ipse confirmatus (c. 795).

Ad *liceitatem* debet patrinus confirmationis pariter easdem (5) qualitates habere (mutatis mutandis), ac supra dictum est de patrino baptismi. Insuper sit a) alius ac patrinus baptismi, nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime confirmatio conferatur; b) eiusdem sexus ac confirmandus, nisi adsit rationabilis licentia ministri (c. 796). Ex confirmatione quoque oritur spiritualis cognatio inter confirmatum et patrinum, ex qua patrinus debet christianam educationem confirmati curare, eum commendatum sibi perpetuo habere, sed ex hac cognatione non iam gignitur impedimentum matrimoniale (c. 797 1079 1335).

583. **Adnotatio.** *Confirmatio collata* debet simili modo notari in libro speciali, sicut supra dictum est de adnotatione baptismi; insuper debet notari in libro baptizatorum (c. 798). Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, debet certior fieri quam primum de collata confirmatione (c. 799). Quare e. g. si confirmatio administrata fuerit in aliquo collegio puerorum, minister confirmationis iubeat, singulis parochis singulorum puerorum confirmationem notificari.

TRACTATUS IV.
De eucharistia.

Praenotamen. Eucharistia, quae omnia alia sacramenta praecellit in dignitate, sub duplici respectu considerari potest, nempe ut sacramentum et ut sacrificium. Proinde tractatus de eucharistia solet dividi in duas sectiones: scil. de eucharistia ut est sacramentum, et de ea ut est sacrificium.

SECTIO I.
De ss. eucharistia prout est sacramentum.

Dividitur ista sectio in quinque capita: 1. de notione et institutione eucharistiae; 2. de eius materia et forma; 3. de eius effectibus, 4. de eius subiecto; 5. de eius ministro.

Caput I. De notione et institutione eucharistiae.

584. **Notiones.** Eucharistia, quae diversis nominibus appellatur e. g. synaxis, cena Domini, viaticum, sacramentum altaris, corpus Christi etc., potest tripliciter considerari: in fieri, in facto esse, in usu.

1. *Eucharistia* **in fieri** *est conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi, remanentibus speciebus, ad animae nutrimentum;* vel brevius: *est actus transubstantiationis.*

2. *Eucharistia* **in facto esse** *est sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi*

sub speciebus panis et vini ad animae nutrimentum a Christo institutum.

3. *Eucharistia* **in usu** *est sumptio corporis Christi sub speciebus eucharisticis.*

Cum proprium sit uniuscuiusque sacramenti aliquid significare, eucharistia significat tria: 1. *passionem Christi,* 2. *gratiam ad alendam et sustentandam animam,* 3. *futurae gloriae pignus.* Eucharistia gratiam sanctificantem auget in ipsa sumptione seu manducatione, i. e. quando species eucharisticae ex ore in stomachum traducuntur. Itaque qui istas species tam diu in ore retinet, donec dissolutae fuerint, vel moribundus, qui iam nequit deglutire species, non recipit effectus sacramenti. Qui autem recepit quidem in stomachum species, sed postea evomuit, revera manducavit ac proinde gratiam recepit.

585. **Institutio** eucharistiae facta est a Christo in cena Domini. Ita docent omnes.

Caput II. De materia et forma eucharistiae.

Art. 1. De materia eucharistiae.

586. **Materia remota** eucharistiae est panis triticeus et vinum de vite. Ita Concilium Florentinum.

Ad **valide** conficiendum sacramentum eucharistiae requiritur:

1. ut panis sit ex farina *triticea,* non ex hordeo, secali, avena etc. Sufficit autem quaelibet species tritici, dummodo id communi aestimatione habetur ut verum triticum;

2. ut haec farina sit mixta *aqua naturali* et deinde igne cocta, ita ut fiat verus panis. Itaque si alius liquor (e. g. lac, oleum) in notabili quantitate est mixtus, vel si tota massa est cruda et non est cocta nisi per modum pultis, placentae, libi, materia est invalida;

3. ut vinum sit *de vite;* ideoque invalidus est omnis alius liquor, e. g. cerevisia, vinum factum ex pomis, vinum factum acetum vel alio modo substantialiter corruptum, vinum cui subtractum est omne alcohol, vinum artificiale.

Ad **licite** conficiendam eucharistiam insuper requiritur:

1. ut adhibeatur panis *azymus* in ritu latino, panis vero fermentatus in ritu orientali;

2. ut hostia consecranda sit munda, integra, recens, formae orbicularis;

3. ut vinum sit fermentatum, ergo non mustum aut succus ex uvis maturis recenter expressus;

4. ut vinum sit purum nec turbidum nec mixtum aliis liquoribus, excepta modica aqua, quae in Missa addenda est vino consecrando. S. Officium (d. 5 Aug. 1896) permisit, ut vino debili admisceatur spiritus alcohol *ex vino subtractus,* ita tamen ut spiritus vini in toto mixto composito exsistens non excedat 18 %;

5. ut vinum nondum sit acescens.

587. **Materia proxima** eucharistiae est applicatio panis et vini, quae fit in consecratione.

A quibusdam autem auctoribus materia proxima eucharistiae vocantur species eucharisticae, prout continent corpus et sanguinem Christi.

Ad *validam* consecrationem requiruntur duae condiciones, scil. a) ut materia consecranda sit physice praesens; b) ut sit determinata.

Physica praesentia materiae habetur, quotiescumque iuxta communem aestimationem hominum verba «hic» et «hoc» recte adhiberi possunt. Ideo valide consecrantur hostiae in pyxide (etiam clausa) contentae. Num valida sit consecratio hostiarum in pyxide, quae ex inadvertentia relicta est in angulo altaris vel extra corporale, nequit determinari ex sola eius praesentia physica (cum talis pyxis sit certo magis praesens celebranti, quam hostia consecranda est praesens neopresbyteris in Missa ordinationis). Attendenda est igitur intentio virtualis celebrantis. Praestat, ut quilibet sacerdos semel pro semper eliciat intentionem consecrandi super altari omnem materiam consecrabilem, quam voluit initio Missae consecrare.

Determinatio materiae consecrandae per intentionem actualem aut saltem virtualem sacerdotis consecrantis requiritur ad validitatem sacramenti; quare si inscio sacerdote hostia ponitur super altari, ea non est consecrata.

588. Ad *licitam* consecrationem requiritur, ut materia consecrabilis:

a) sit super altari consecrato vel portatili;

b) sit super corporali;

c) teneatur in manibus sacerdotis vel contineatur in vase aperto super corporali;

d) ut consecratio fiat in Missa, et res consecranda sit saltem ante Offertorium in altari. Nonnulli putant consecrationem extra Missam factam non solum esse graviter illicitam, sed prorsus invalidam. De hac re statuit Codex iur. can. c. 817: «Nefas est, urgente etiam necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque extra Missae celebrationem consecrare.»

Art. 2. De forma eucharistiae.

589. Forma in consecratione panis est: «Hoc est enim corpus meum.» Omnia ista verba sunt essentialia, excepto verbo «enim».

Forma in consecratione vini est: «Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.» Verba essentialia sunt: «Hic est calix sanguinis mei», vel etiam: «Hic est sanguis meus.»

Si quis ex neglegentia aut pravo usu pronuntiaret «oc, ic, es, copus, calis, sanguis», peccaret quidem, sed valide consecraret; quoniam tales mutationes non sunt nisi accidentales. — In praxi omnia verba utriusque formae pronuntiari debent distincte, reverenter, continuate, sine interruptione et repetitione. Scrupulosi sacerdotes in huiusmodi vetita repetitione facile a peccato excusantur. Non enim voluntarie causant hanc irreverentiam.

Caput III. De effectibus eucharistiae.

590. Eucharistia 1. producit perfectissimam unionem hominis cum Christo, Deo et homine, quare recte vocatur communio;

2. tamquam cibus animae a) sustentat vitam spiritualem, b) auget gratiam et virtutes, c) remittit culpas veniales et poenas temporales, d) causat delectationem spiritualem; est enim panis de caelo omne delectamentum in se habens;

3. tamquam specialis significatio passionis Christi praebet pignus futurae gloriae et scutum validum contra diabolicas tentationes.

Eucharistia producit omnes istos effectus eo momento, quo habetur vera manducatio seu sumptio. Quare probabilius eucharistia etiam tunc effectus suos producit, quando modo artificioso per fistulam in stomachum transfertur. Attamen S. Officium d. 27 Ian. 1886 prohibuit, ne tali modo artificioso communio detur.

Caput IV. De subiecto eucharistiae.

Dividitur hoc caput in 4 articulos: 1. de persona subiecti; 2. de dispositionibus requisitis; 3. de obligatione suscipiendi eucharistiam; 4. de communione frequenti.

Art. 1. De ipsa persona subiecti.

591. Principium. *Subiectum capax suscipiendi cum fructu eucharistiam est omnis homo vivens baptizatus, modo per peccatum mortale gratiae obicem non ponat.*

Hodie non iam solet dari communio *infantibus*. Postquam autem homo usum rationis adeptus est, potest et debet communionem recipere. Cognitio religionis, quae in puero requiritur, ut ipse ad primam communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat (cf. S. C. de Sacr. d. 8 Aug. 1910). Ad parentes eorumque vices gerentes et ad confessarium pertinet iudicare, num quis puer in particulari sit sufficienter dispositus ad recipiendam primam communionem. Ad parochum autem spectat advigilare, ne pueri non satis dispositi ad s. communionem admittantur (c. 854). In periculo mortis potest et debet ss. eucharistia administrari pueris, si sciunt Corpus Christi discernere a communi cibo illudque reverenter adorare (ib.).

Amentibus non solet communio dari nisi per modum viatici, quando sine periculo irreverentiae illud sumere valent. Amentibus fere aequiperandi sunt moribundi sensibus destituti, qui

possunt et debent viaticum recipere, si hoc est possibile. Ad hanc possibilitatem experiendam iuvat illis prius porrigere parvam particulam non consecratam.

Semifatui, senes repuerascentes, surdo-muti etc. possunt et debent eucharistiam recipere, dummodo desit periculum irreverentiae. Idem valet de iis, qui iugi tussi aut vomitu laborant.

Art. 2. **De dispositionibus requisitis ad sumendam eucharistiam.**

592. SS. eucharistia potest sumi vel *spiritualiter* vel *sacramentaliter*. Sumptio spiritualis est desiderium sumptionis sacramentalis, quando haec reapse impossibilis est propter rationes obstantes. Omnes auctores ascetici instanter commendant exercitium communionis spiritualis utpote valde fructiferum ex opere operantis caritatis. In sequentibus non loquimur nisi de dispositionibus requisitis ad sacramentalem sumptionem eucharistiae.

593. **Ex parte animae** requiritur:

1. *immunitas ab excommunicatione et interdicto personali*, ut latius dicetur in tractatu de censuris;

2. *immunitas a peccato mortali*, quae omnino necessaria est, cum quia eucharistia est sacramentum vivorum, tum quia cibus spiritualis non datur cadaveri, i. e. peccatori spiritualiter mortuo.

Si quis est sibi conscius peccati mortalis, tenetur omnino confiteri ante susceptionem eucharistiae, nec sufficit actus contritionis, nisi desit confessarius et urgeat necessitas communicandi (Conc. Trid. sess. 13, c. 7 et c. 856). Censetur confessarius revera deesse, quoties paenitens nequit confiteri absque gravi incommodo, *quod est ipsi confessioni extraneum*, e. g. quando ex confessione oriretur scandalum pro populo vel notificaretur nomen complicis, vel confessarius praesens ignorat idioma etc. Nullum autem incommodum confessioni *intrinsecum*, ut e. g. erubescentia magna, excusat a confessione. Sacerdos, qui sic deficiente confessario et necessitate cogente celebravit Missam cum sola contritione, debet quam primum confiteri, i. e. *intra triduum*. Urget autem hoc praeceptum, etiamsi sacerdos infra hoc triduum vel longius tempus non est celebraturus (cf. c. 807).

3. *devotio actualis*, propter reverentiam tanti sacramenti. Quapropter etiam praeparatio sedula et gratiarum actio fervens faciendae sunt.

594. **Ex parte corporis** requiritur:

1. *decentia habitus* propter reverentiam tanti sacramenti; laeditur autem cum ex defectu (e. g. habitu sordido) tum ex inordinato luxu (e. g. habitu immodesto mulierum);

2. *munditia corporis*, quae deest a) propter sordes adhaerentes, b) propter aegritudines exterius valde deturpantes, c) propter fluxum seminis aut menstrui sanguinis.

Sordes adhaerentes et exterius apparentes sunt abluendae ante susceptionem communionis. Aegritudines valde deturpantes non impediunt susceptionem eucharistiae, nisi aliis communionem recipientibus horrorem iniciunt. Fluxus seminis et sanguinis menstrui, si non sunt cum peccato coniuncti, non reddunt corpus ita immundum, ut, aliqua vel levi causa accedente, susceptio eucharistiae sit ommittenda.

595. 3. *ieiunium naturale*, i. e. abstinentia ab omni cibo et potu inde a media nocte praecedenti. Ita ex universali consuetudine antiquissima, quae in compluribus Conciliis et in Codice iur. can. c. 808 et 858 confirmata est.

Haec lex ieiunii non admittit parvitatem materiae neque ex parte rei sumptae neque ex parte temporis. Ad rationem cibi et potus tria requiruntur, scil. a) ut res sumpta sit *digestibilis*. Hinc qui deglutit ante communionem ossicula, ungues, filum, non laedit ieiunium; b) ut res proveniat *ab extrinseco*, quia id, quod provenit ab intrinseco, non proprie editur aut bibitur. Hinc qui deglutit salivam aut sanguinem fluentem ex dentibus vel naribus, non impeditur a communione suscipienda; c) ut sumatur *per modum comestionis aut potionis*. Ideo ieiunium non solvitur per illas res, quae in stomachum transferuntur α) per modum *salivae*, ut guttulae aquae, qua dentes lavantur; β) per modum *aspirationis*, ut si quis tabacum aspirat vel fumat; γ) per *clysterium nutritivum*.

Tempus mediae noctis potest computari secundum tempus vel solare vel legale (sive illud sit regionale aut aliud extraordinarium, c. 33, § 1).

596. *Exemptio a ieiunio naturali* conceditur in sex casibus:

1. ad sacrificium Missae complendum (consecratione saltem alterutra peracta);
2. ad profanationem eucharistiae vitandam;
3. ad vitandum scandalum publicum (si e. g. infamia oriatur ex eo, quod sacerdos non dicit Missam);
4. ad sumendum viaticum;
5. ad communionem infirmorum, qui iam a mense sunt aegroti absque certa spe cito convalescendi. Isti possunt per modum potus vel medicinae aliquid sumere et nihilominus bis in hebdomada communionem recipere (c. 858, § 2). Potus censetur, quidquid bibitur, quamvis sit cibus nutritivus, e. g. ova cruda, non autem ova cocta;
6. ad communionem catechumenorum, qui in baptismo salem gustaverunt.

Nota. A lege ieiunii eucharistici nemo dispensare potest nisi Summus Pontifex (per S. Officium pro sacerdotibus celebrantibus, per S. Congregationem de Sacramentis pro laicis).

Art. 3. De obligatione suscipiendi eucharistiam.

597. **Principium.** a) *Necessitate medii non est necessaria sumptio eucharistiae nisi in voto; b) necessitate autem praecepti (cum divini tum ecclesiastici) realis sumptio eucharistiae est necessaria omnibus usum rationis habentibus.*

Ratio primi est, quia necessitate medii nihil aliud est necessarium nisi gratia sanctificans omniaque indivisibiliter coniuncta cum illa. Iamvero gratia sanctificans haberi potest sine sumptione reali eucharistiae, e. g. per baptismum. Nihilominus *votum* explicitum vel saltem implicitum sumendae eucharistiae videtur esse necessarium, quia eucharistia est finis omnium sacramentorum, quippe quae tendant in unionem cum Christo, quae maxime habetur in eucharistia (cf. S. Thomas, S. theol. 3, q. 73, a. 3).

Ratio secundi est, quia praeceptum *divinum* manifeste eruitur e compluribus verbis Christi, e. g. «Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis» (Io. 6, 54).

Praeceptum autem *ecclesiasticum* habetur in Conciliis Lateranensi IV et Tridentino, atque in Codice iur. can. c. 859.

Nota. Obligatio praecepti communionis sumendae, quae impuberes gravat, in eos quoque ac praecipue recidit, qui ipsorum curam habere debent, i. e. in parentes, tutores, confessarium, institutores, parochum (c. 860)[1].

Praeceptum divinum mandat, ut eucharistia sumatur a) aliquoties in vita et b) probabilius etiam in articulo mortis; praeceptum vero ecclesiasticum statuit, ut omnes, qui ad annos discretionis pervenerunt, saltem tempore Paschatis communionem recipiant.

Lex viatici. «In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles s. communionis recipiendae praecepto tenentur» (c. 864, § 1). Quae quidem obligatio certo est gravis, si nullam vel tenuem probabilitatem habet homo evadendi periculum mortis neque communionem suscepit intra ultimam hebdomadam.

«S. Viaticum infirmis ne nimium differatur et qui animarum curam gerunt, sedulo advigilent, ut eo infirmi plene sui compotes reficiantur» (c. 865). Consulendum est, ut viaticum detur infirmis, a) qui in solo probabili mortis periculo

[1] Prima communio recipienda est; postquam homo ad annos discretionis pervenit. Cf. nostrum Man. theol. mor. III 211.

versantur, quamvis probabilis spes sanitatis recuperandae adsit; b) qui eodem die mane iam communionem receperunt, si postea periculum vitae oritur; c) saepius (etiam quolibet die) durante eodem mortis periculo (c. 864, § 1 et 2).

Tempus paschale currit a dominica Palmarum ad dominicam in Albis, sed locorum Ordinariis fas est ex iusta causa id extendere a quarta dominica Quadragesimae usque ad festum SS. Trinitatis inclusive (cf. c. 859, § 2). Immo ex iure particulari tempus paschale aliquando durat a die Cinerum usque ad festum SS. Trinitatis. — Cum tempus paschale sit definitum non ad finiendam sed ad urgendam obligationem, communio paschalis quavis de causa omissa tempore paschali postea quantocius est suscipienda (ib. § 4).

Omnibus fidelibus datur quidem facultas, etiam solius pietatis causa suscipiendi ss. eucharistiam quolibet ritu confectam, sed iis suadetur, ut suo proprio ritu recipiant communionem paschalem; immo debent suo proprio ritu recipere viaticum, nisi adsit necessitas (cf. c. 866).

598. Suadendum (non autem stricte praecipiendum) est fidelibus, ut praecepto paschali satisfaciant in sua quisque paroecia, et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere (c. 859, § 1). Haec certioratio saepe non stricte obligat; certo ab ea eximuntur:

1. sacerdotes omnes, qui per Missae celebrationem ubique satisfaciunt praecepto paschali;

2. religiosi utriusque sexus eorumque familiares, commensales, qui communicare possunt in propriis sacellis. Idem valet de sororibus religiosis, non autem de earum famulis;

3. milites, incarcerati, studentes habitantes in collegiis aliique, qui ex iure particulari vel ex legitima consuetudine in propriis sacellis satisfacere possunt praecepto paschali;

4. peregrini et vagi, qui possunt communionem paschalem recipere ubique.

Art. 4. De communione frequenti.

599. Nomine communionis frequentis proprie intellegitur communio saepius in hebdomada suscepta vel etiam communio cotidiana. Ergo communio hebdomadaria et a fortiori communio de quindena in quindenam proprie non est communio frequens.

De dispositionibus requisitis ad communionem frequentem non iam valent normae traditae ab antiquis theologis, sed quas statuit S. Congregatio Concilii d. 16 Dec. 1905, quarum praecipuae sunt

Regulae: 1. «Communio frequens et cotidiana utpote a Christo Domino et a catholica Ecclesia optatissima christifidelibus cuiusvis ordinis aut condicionis pateat, ita ut nemo, qui in statu gratiae sit, et cum recta piaque mente ad s. mensam accedat, impediri ab ea possit.» Ergo ad frequentem, immo ad cotidianam communionem nihil aliud requiritur nisi status gratiae et recta piaque mens.

2. «Recta autem mens in eo est, ut, qui ad s. mensam accedit, non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.»

3. «Communio frequens et cotidiana praesertim in religiosis institutis cuiusvis generis promoveatur . . .; item in clericorum seminariis et in aliis christianis omne genus ephebeis.»

4. «Post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et cotidianam communionem abstineant.»

Caput V. De ministro eucharistiae.

Dividimus istud caput in duos articulos: 1. de consecratione et administratione eucharistiae; 2. de eius asservatione.

Art. 1. De consecratione et administratione eucharistiae.

600. 1. *Omnis et solus sacerdos potest valide consecrare eucharistiam* (Conc. Lateranense IV).

Ad *licite* consecrandam eucharistiam complures condiciones requiruntur, de quibus infra sermo erit.

2. Minister *ordinarius* administrandae eucharistiae est sacerdos, minister vero *extraordinarius* est diaconus legitime delegatus. Quae quidem legitima delegatio conceditur vel ab episcopo vel a parocho vel a superiore religioso, exsistente gravi causa (c. 845).

In gravi necessitate ministrandi viaticum moribundo non requiritur haec delegatio, immo tunc non solum diaconus, sed etiam alius clericus potest viaticum administrare. Recte docent Noldin aliique: «Ubi in communicando infirmo peculiaris dexteritas requiritur, sacerdos mulieri, puta sorori caritatis infirmo ministranti, committere potest, ut cochleari viaticum porrigat.»

Nemo potest sibi ipsi eucharistiam administrare nisi in duobus casibus: 1. sacerdos in propria Missa, 2. casu maximae necessitatis. Probabiliter sacerdos (deficiente alio sacerdote vel diacono) potest sibi etiam *devotionis causa* administrare communionem, non autem diaconus sibi.

601. **Requisita ad licitam administrationem** eucharistiae sunt: 1. iurisdictio debita, 2. tempus debitum, 3. locus debitus, 4. ritus debitus.

602. 1. **Iurisdictio debita** requiritur, quia pascere fideles alimento eucharistico est officium pastoris animarum. Iuxta vigentem autem disciplinam Ecclesiae *sacerdos quilibet, qui alicubi licite dicit Missam, licite quoque potest dispensare communionem cuilibet rite disposito, nisi loci Ordinarius iustis de causis in casu particulari id prohibuerit.* — Etiam extra Missam quilibet sacerdos eadem facultate pollet ex licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae, si sit extraneus (c. 846).

Quantum ad *viaticum,* eius administratio ordinarie pertinet ad parochum eiusque delegatum, sunt autem sequentes exceptiones:

a) in *casu necessitatis,* deficiente parocho, quilibet sacerdos vel diaconus administrare potest viaticum;

b) episcopo dioecesano aegroto administratur viaticum a dignitate vel canonico capituli (c. 397, n. 3);

c) in omni *religione clericali* ius et officium superioribus est per se vel per alium administrandi viaticum (et extr. unctionem) non solum aegrotis professis, sed etiam novitiis aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis (c. 514, § 1);

d) in *monialium* domo idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel eius vices gerens (ib. § 2);

e) in alia religione *laicali* hoc ius et officium spectat ad parochum loci vel ad capellanum, quem Ordinarius parocho suffecit (ib. § 3).

Nota. Communionem devotionis causa (aliud est de viatico) *privatim* ad infirmos deferre non est ius paroeciale, ac proinde quilibet sacerdos id potest (c. 849, § 1).

603. 2. **Tempus debitum** est omnis dies omnisque hora, qua licet celebrare Missam. Ita regula generalis. Feria sexta in Parasceve solum viaticum administrari potest (c. 867, § 2). Sabbato Sancto s. communio nequit fidelibus administrari nisi inter Missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis (ib. § 3). — Si adest rationabilis causa, communio distribui potest etiam post meridiem aliisque horis, quibus non licet dicere Missam (ib. § 4).

604. 3. **Locus debitus** eucharistiae administrandae est is, ubi Missa licite celebratur; viaticum autem quolibet loco decenti administrari potest. Sacerdoti celebranti non licet ss. eucharistiam intra Missam distribuere fidelibus adeo distantibus, ut ipse altare e conspectu amittat (c. 868).

605. 4. **Ritus debitus** praescribitur a Rituali Romano vel ab alio Rituali approbato. In ritu latino numquam (ne pro viatico quidem) licet communionem administrare sub specie vini; attamen nunc concessum est, ut omnes fideles etiam pietatis causa possint communionem recipere alieno ritu a sacerdotibus talis ritus, ut iam supra n. 597 dictum est.

606. *Rubricae* praecipuae in administratione communionis sunt hae:

a) Sacerdos debet communionem administrare pollice et indice manus dexterae. Si isti digiti laborant morbo valde diuturno, licentia dicendi Missam et administrandi communionem petenda est a S. Congregatione; sin autem isti digiti impediti sunt parvo tempore, sacerdos autem aliis digitis decenter uti potest, videtur ex iusta causa posse celebrare et communionem distribuere. Tota enim manus sacerdotis est consecrata.

b) Nisi gravis necessitas contrarium exigit, sacerdos administrare debet communionem duabus vel saltem una candela accensa, sacris vestibus indutus, e. g. (extra Missam) superpelliceo et stola albi coloris (vel etiam coloris conformis officio diei). In die animarum stola sit alba vel violacea: (S. R. C. d. 19 Apr. 1912). Ante communionem oportet dicere: Confiteor etc., post communionem (extra Missam): O sacrum convivium, versiculos, orationem cum *longa conclusione* (Rit. Rom. tit. 4, c. 2, ed. typica).

c) Si in distributione s. communionis species aliqua ceciderit in terram, locus est tegendus et postea lavandus (sub levi); si ceciderit in vestem mulieris neque facile et absque scandalo a sacerdote inde extrahi potest, mulier ducatur in sacristiam, ubi ipsa extrahat speciem et postea lavet manus; aqua autem lotionis in sacrarium est proicienda.

d) Eucharistia ad aegrotos deferenda est secundum statuta ab Ordinario loci legitime approbata.

Art. 2. De asservatione eucharistiae.

607. Locus asservationis. De iure communi ss. eucharistia *debet* asservari:

1. in ecclesia cathedrali et in ecclesia principe Abbatiae vel Praelaturae nullius, Vicariatus vel Praelaturae Apostolicae;

2. in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali;

3. in ecclesia annexa domui religiosorum exemptorum utriusque sexus.

Potest autem ss. eucharistia asservari *de licentia Ordinarii loci:*

1. in ecclesia collegiata;

2. in oratorio *principali* (sive publico sive semipublico) tam domus piae aut religiosae quam collegii ecclesiastici, quod a clericis saecularibus vel a religiosis regitur.

Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis ss. eucharistia asservari possit, necessaria est S. Sedis licentia. Talem autem licentiam loci Ordinarius concedere nequit nisi in ecclesiis aut oratoriis publicis, idque ex iusta causa et per modum actus, i. e. non permanenter.

Ubicumque autem ss. eucharistia asservatur, necesse est, ut aliquis sacerdos semel saltem in hebdomada Missam celebret (c. 1265). Gravi aliqua suadente causa (e. g. propter periculum sacrilegi furti) ab Ordinario loci approbata ss. eucharistia potest nocturno tempore extra altare in loco decenti super corporali asservari accenso lumine (c. 1269, § 3).

608. Modus asservationis. Ss. eucharistia asservanda est:

1. *in decenti tabernaculo* benedicto et inamovibiliter in media parte altaris posito (c. 1269, § 1).

Sub gravi requiritur, ut coram isto tabernaculo luceat lampas oleo olivarum nutrita. Quodsi difficulter haberi possit oleum olivarum, sufficit aliud oleum, imprimis vegetabile vel cera apum vel ultimo loco lux electrica iuxta prudens iudicium Ordinarii (S. R. C. d. 23. Febr. 1916).

2. *in pyxide* ex solida decentique materia eaque munda, benedicta, suo operculo bene clausa,

albo velo serico cooperta (c. 1270). Non est necessarium, ut pyxis sit argentea; debet tamen esse intus deaurata sicut calix.

3. *Renovari* debent frequenter hostiae consecratae et asservandae, ita ut nullum oriatur periculum corruptionis. Ad Ordinarium loci spectat hac de renovatione dare instructiones, quas omnes sacerdotes (etiam exempti) observare debent. Graviter peccat, qui hanc renovationem per longum tempus cum certo periculo corruptionis differt. Quid sit longum tempus, non absolute sed relative ad periculum corruptionis mensurandum est. Non autem licet asservare hostias iam a *tribus mensibus* confectas (cf. S. C. de sacr. d. 7 Dec. 1918).

609. **Scholion.** *De expositione ss. eucharistiae.* Distinguitur duplex expositio: altera *privata,* quando solummodo aperitur porta tabernaculi; altera *publica,* quando ss. eucharistia exponitur in ostensorio super thronum. — Prima fieri potest ex qualibet iusta causa sine licentia Ordinarii, et post eam dari potest benedictio cum pyxide velata (S. R. C. d. 30 Nov. 1895). Altera de iure communi conceditur die festo Corporis Christi et infra Octavam durante Missa sollemni et Vesperis; aliis autem diebus semper et ab omnibus (etiam exemptis) debet obtineri praevia licentia Ordinarii loci.

SECTIO II.

De eucharistia, prout est sacrificium.

Haec sectio continet tria capita: 1. de natura et effectibus sacrificii Missae; 2. de obligatione celebrandi Missam; 3. de requisitis ad Missam celebrandam.

Caput I. De natura et effectibus sacrificii Missae.

Hoc caput dividitur in tres articulos: 1. de natura sacrificii Missae; 2. de valore, effectibus, fructibus eius; 3. de applicatione Missae.

Art. 1. De natura sacrificii Missae.

610. Notio sacrificii. Sacrificium (in proprio sensu) est oblatio substantiae sensibilis a legitimo ministro facta, qua per quandam eiusdem rei destructionem (sive physicam sive moralem) homo profitetur summam Dei excellentiam eiusque supremum dominium in vitam et mortem omnis creaturae.

Ad verum igitur sacrificium quattuor requiruntur:
1. ex parte *materiae:* substantia sensibilis;
2. ex parte *formae:* aliqualis destructio istius substantiae;
3. ex parte *ministri:* sacerdos;
4. ex parte *finis:* latria seu cultus divinus.

611. *Missa est* a) *verum sacrificium atque* b) *cruenti sacrificii crucis realis exhibitio incruenta.*

Ratio primi est, quia Missa habet quattuor condiciones recensitas ad verum sacrificium.

Ratio secundi est dogma catholicum.

Essentia Missae probabilius consistit in consecratione utriusque speciei cum ordine tamen ad sumptionem sicut ad partem integrantem.

Resolves. 1. Non licet facere aut mutare applicationem Missae post utramque consecrationem finitam; quia essentia Missae iam finita est.

2. Particulae in pyxide consecratae debent in altari remanere usque post celebrantis communionem, quippe quae ad integritatem Missae pertineat.

Art. 2. De valore, effectibus, fructibus Missae.

612. 1. **Valor** Missae includit duo: dignitatem et efficaciam. Porro *dignitas* Missae est infinita, quia tam offerens principalis (Christus) quam victima (item Christus) est infinitae dignitatis. Missae *efficacia* est infinita a) quantum ad sufficientiam; b) quantum ad effectus latreuticos, eucharisticos, propitiatorios; c) quantum ad sic dictos fructus speciales (cf. infra n. 614).

Ratio horum omnium est, quia sacrificium Missae eandem efficaciam habet ac sacrificium crucis. Qui sint effectus et fructus, statim dicetur.

613. 2. **Effectus** Missae vocantur ea omnia, quae reapse ab ea producuntur respectu tam Dei quam mundi. Porro solent quinque effectus enumerari:

a) effectus *latreuticus*, i. e. cultus divinus seu latria;

b) effectus *eucharisticus*, i. e. gratiarum actio;

c) effectus *impetratorius*, i. e. impetratio gratiarum;

d) effectus *propitiatorius*, i. e. propitiatio pro peccatis mundi;

e) effectus *satisfactorius*, i. e. satisfactio pro poenis, quae debentur peccatis.

Effectus isti producuntur omnes ex opere operato, partim etiam ex opere operantis: a) Ecclesiae, b) sacerdotis, c) fidelium offerentium; sed non causantur *infallibiliter* nisi effectus latreuticus et eucharisticus.

614. 3. **Fructus** Missae a nonnullis theologis promiscue sumuntur pro effectibus Missae, sed melius restringuntur ad illos solos effectus, quos Missa producit *pro hominibus* (et non pro Deo). Fructus enim alicuius rei vocamus illos effectus, quibus fruimur. Quare fructus Missae non sunt nisi effectus *propitiatorius*, *impetratorius*, *satisfactorius*.

Fructus Missae reapse producti sunt *limitati*; quae quidem limitatio videtur provenire cum ex dispositione hominis suscipientis tum ex voluntate Christi instituentis.

Omnes quidem theologi docent, enumeratos fructus Missae esse reapse finitos, quia alioquin sequeretur, ut una Missa sufficeret pro salute totius mundi atque evacuaret totum purgatorium, neve liceret dicere plures Missas pro uno eodemque defuncto; sed non concordant, unde haec limitatio proveniat. Quidam (Noldin, Pesch, Lehmkuhl, Génicot etc.) opinantur, hanc limitationem provenire *ex sola voluntate* Christi; alii (S. Thomas, S. Alphonsus, Holzmann, Marc, Aertnys etc.). docent limitationem fructuum Missae principalius provenire *ex condicione hominis offerentis vel recipientis*. Nil certi de hac re dici potest.

Fructus Missae solent secundum *personas*, quibus obveniunt, distingui quadrupliciter:

a) fructus *generalis*, qui obvenit omnibus fidelibus vivis et defunctis;

b) fructus *specialis*, qui recipitur a fidelibus Missae assistentibus;

c) fructus *specialissimus* (personalis), qui contingit sacerdoti celebranti;

d) fructus *ministerialis*, qui obvenit iis, pro quibus Missa applicatur.

Art. 3. De applicatione Missae.

615. **Notio.** *Applicatio Missae est intentio seu voluntas sacerdotis applicandi fructum ministerialem pro determinato fine.*

Debet facere ipse sacerdos hanc applicationem pro qualibet Missa, quia secus iste fructus remanet in thesauro Ecclesiae; quando vero sacerdos oblitus est facere applicationem, fructus ministerialis probabiliter redit *ad ipsum celebrantem*. Si sacerdos, stipendio accepto, applicavit Missam pro aliquo defuncto, qui iam est in caelo aut qui est in inferno, probabiliter fructus Missae provenit ei, qui stipendium dedit.

616. **Modus applicandi.** Necesse est, ut applicatio Missae fiat:

1. *ad certum finem.*

Nimia tamen et singularis determinatio istius finis neque necessaria neque consulenda est. Sufficit, ut Missa applicetur ad intentionem dantis stipendium. Numquam autem licet Missam applicare ad intentionem saltem illius, qui applicationem oblata eleemosyna petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro Missa antea applicata (c. 825, n. 1);

2. *saltem ante secundam consecrationem.*

Ratio est, quia secunda consecratione peracta videtur esse completa essentia Missae, de cuius fructu iam nequit disponi. In praxi expedit, ut applicatio fiat *ante* Missam.

617. Pro quibus Missa applicari possit, determinatur ex iure ecclesiastico; nam ex iure divino Missa potest applicari omnino omnibus, quibus revera prodesse valet, quia Christus pro omnibus obtulit sacrificium crucis, cuius fructus applicantur in Missa. Ex iure ecclesiastico Missa potest applicari pro quibusvis tam vivis quam defunctis in purgatorio exsistentibus. Pro excommunicatis autem *toleratis,* e. g. haereticis, Missa nequit applicari nisi privatim et remoto scandalo, pro excommunicatis vero *vitandis* non nisi pro eorum conversione (c. 809).

Caput II. De obligatione celebrandi Missam.

Obligatio Missae celebrandae oriri potest ex sextuplici titulo, scil.: 1. ex ordine sacerdotali suscepto; 2. ex officio; 3. ex beneficio; 4. ex stipendio; 5. ex promissione; 6. ex oboedientia.

618. 1. De obligatione ratione sacerdotii suscepti.

Omnis sacerdos tenetur pluries in anno celebrare Missam, nisi legitime impeditur (c. 805). Immo episcopus vel superior religiosus curare debet, ut sacerdotes sibi subditi saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto Missam celebrent (ib.).

a) De *exsistentia* huius obligationis nequit rationabile dubium exsistere. Unusquisque enim tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum. Iamvero potestas celebrandi Missam est insignis gratia a Deo collata sacerdotibus.

b) De *gravitate* huius obligationis omnes fere, saltem moderni theologi consentiunt, docentes quemlibet sacerdotem non legitime excusatum teneri *sub gravi* aliquoties ad celebrandam

Missam. S. Alphonsus putat sacerdotem quemlibet teneri sub gravi saltem ter vel quater in anno in festis sollemnioribus celebrare Missam, nisi sit legitime impeditus.

c) De *fonte* huius obligationis, utrum scil. illa oriatur ex divino an ex ecclesiastico iure, non constat. Salva fide catholica negari non potest Christum *universo sacerdotali ordini* praeceptum iniunxisse Missam celebrandi; sed est incertum, num hoc praeceptum divinum obliget *singulos* sacerdotes. Negativa sententia videtur esse probabilior, quia Ecclesia aliquando permittit, ut sacerdos ad communionem laicalem reducatur et iam numquam Missam celebret. Sin autem quilibet sacerdos ex iure divino obligaretur ad Missam celebrandam, tale indultum non ita facile explicaretur.

619. 2. De obligatione ratione officii.

Principium. *Omnes pastores animarum tenentur ex iure divino aliquoties, ex iure autem ecclesiastico certis diebus Missam pro subditis applicare.*

Dicitur 1: *omnes pastores animarum,* i. e. ii omnes, quibus ratione *officii* incumbit cura animarum, ut sunt: Summus Pontifex, episcopi residentiales, abbates «nullius», superiores religiosi, administratores dioecesis (non autem vicarius generalis); vicarii et praefecti apostolici, parochi et quasi-parochi (cf. 306 315 339 440 466 475 476).

Dicitur 2: *tenentur ex iure divino aliquoties.* Quare Concilium Trid. (sess. 23, c. 1 de reform) dicit: «Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre* . . .»

Ratio est, quia sine ulla omnino applicatione Missae cura animarum non sufficienter exerceri videtur.

Dicitur 3: *tenentur ex iure ecclesiastico certis diebus unam Missam pro subditis applicare.* Obligatio haec iuris ecclesiastici est a) *gravis,* neque consuetudo contraria aut infirmitas aut paupertas producunt excusationem; b) *personalis,* quare pastor nequit per alium supplere, nisi adsit legitimum impedimentum; c) *pro certis diebus,* nempe omnibus diebus dominicis et 36 diebus festis, quae indicari solent in Directorio. Vicarii autem et praefecti apostolici, item quasi-parochi tenentur Missam pro populo applicare 11 diebus tantum (c. 306 466); d) *pro certis personis,* nempe pro episcopis residentialibus, abbatibus nullius, parochis, quasi-parochis, vicariis et praefectis apostolicis.

Nota. In festo Nativitatis Domini et si quod festum de praecepto in diem dominicam incidat, satis est ut Missa una

pro populo applicetur (c. 339, § 2). Si festum aliquod de praecepto transfertur *totaliter*, i. e. secundum Officium et secundum obligationem abstinendi ab operibus servilibus, in alium diem, hoc die translationis Missa quoque applicanda est, sed non die pristino; secus Missa applicanda est die pristino (ib. § 3). Ordinarius loci iusta de causa (e. g. propter exsequias occurrentes) permittere potest, ut parochus Missam pro populo alia die applicet ac ea, qua iure adstringitur (466, § 3). Episcopus duas vel plures dioeceses, parochus duas vel plures paroecias regens vel administrans obligationi satisfaciat unica Missa pro populis sibi commissis (c. 339, § 5; c. 466, § 2).

620. 3. De obligatione ratione beneficii.

Notiones. *Beneficium* (seu capellania, de qua est hic sermo) *est pia fundatio rite facta et a legitimo superiore ecclesiastico acceptata cum onere perpetuo etiam dicendi Missas (in determinata ecclesia aut altari aut die aut hora etc.).* Haec obligatio interdum breviter vocatur: «perpetua onera Missarum». Quamquam sic dictae «Missae fundatae» iuxta modernam disciplinam non possunt proprie vocari beneficia, tamen regulae statim afferendae etiam de illis valent.

Regula 1. Omnes clausulae in pia fundatione appositae et a legitima auctoritate ecclesiastica acceptatae debent rite explicari et fideliter observari.

Ratio est, quia pia fundatio beneficii est verus contractus bilateralis. Ampliorem explicationem huius regulae videsis in nostro Manuali Theol. mor. III, 260.

Regula 2. Licet Ordinarius (episcopus dioecesanus aut superior maior religionis clericalis exemptae) in rebus levioris momenti possit interpretari aut etiam dispensare condiciones fundationi adiectas, si exsecutio onerum impositorum sine culpa administratorum impossibilis evaserit, tamen recurrendum est ad S. Congregationem Concilii, quotiescumque desideratur *reductio aut condonatio Missarum* (c. 1517, § 2).

621. 4. De obligatione ratione stipendii.

a) **Notio, origo, liceitas stipendiorum.** Stipendium pro Missa dicenda minime datur tamquam pretium sacrificii — hoc enim esset turpis

simonia — sed est eleemosyna data ad honestam sacerdotis sustentationem.

Qui enim altari servit, de altari et vivere potest. Missarum stipendia originem ducunt ex oblationibus fidelium, quae in primitiva Ecclesia offerebantur inter Missarum sollemnia, postea autem etiam extra Missam. Licitum autem est *cuilibet* (et non soli pauperi) sacerdoti celebranti et applicanti stipendium recipere (c. 824, § 1). Immo sacerdos, qui unice propter stipendium celebrat, alias non celebraturus, non peccat, dummodo pecuniam acceptam in bonos usus impendat. Graviter autem Ecclesia prohibet, ne sacerdos accipiat plura stipendia a) pro eadem Missa, quamvis applicet fructum quoque personalem (Prop. 10 damn. ab Alexandro VII.); b) pro pluribus Missis eadem die celebratis[1] (excepto die Natalis Domini aut speciali indulto).

622. b) Obligatio in genere.

Ex stipendio accepto oritur (vi contractus do ut facias) gravis obligatio iustitiae applicandi Missam, idque cum iis condicionibus, quae impositae et acceptatae fuerunt.

Hinc sacerdos, qui accepto stipendio non dicit Missam promissam, non solum graviter peccat, sed etiam tenetur ad restitutionem.

Stipendium sacerdoti traditum pro Missa dicenda *statim* in eius dominium transit ac proinde etiam ipsi et non donatori perit. Quare sacerdos post acceptum stipendium debet Missam dicere, etiamsi stipendium ipsi ablatum est per furtum (c. 829). Si quis pecuniae summam obtulerit pro Missarum applicatione non indicans earundem numerum, hic supputetur secundum consuetudinem loci, *in quo oblator morabatur,* nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat (c. 830).

623. c) Obligatio circumstantiarum.

Obligatio ex stipendio orta non solum se extendit ad ipsam Missam dicendam, sed etiam ad omnes circumstantias tacite aut expresse stipulatas, e. g. loci, temporis, altaris privilegiati, Missae votivae, Missarum Gregorianarum.

---

[1] Nihil obstat ne sacerdos binans accipiat pro una Missa stipendium vel eam applicet pro populo; per alteram autem satisfaciat obligationi ex fidelitate, voto, praecepto, statuto etc. ortae.

α) Quantum **ad tempus** Missa dicenda est imprimis secundum terminum utrimque determinatum. Quodsi terminus non est accurate praescriptus, tunc Missae pro urgenti causa oblatae, e. g. pro valetudine recuperanda, quamprimum tempore utili[1] sunt celebrandae; in aliis casibus Missae sunt celebrandae intra modicum tempus pro maiore vel minore Missarum numero (c. 834). Nemini autem licet tot Missarum onera *per se* celebrandarum recipere, quibus intra annum satisfacere nequeat (c. 835)[2].

β) Quantum ad Missas **in altari privilegiato** (sive locali sive personali), haec circumstantia, si est expresse stipulata, omnino observanda est, neque illi satisfieri potest per aliam indulgentiam plenariam.

γ) Quantum ad **30 Missas Gregorianas,** haec circumstantia profecto est observanda; si tamen aliqua interruptio 30 Missarum facta est *sine culpa,* tunc non videtur esse necessarium iterum incipere ab initio tricenarium numerum, praesertim si tunc aliquae ex istis Missis dicuntur in altari privilegiato.

Ratio est, quia tale onus esset nimis grave pro sacerdote et ex alia parte non certo constat, animam defuncti, pro quo Missae Gregorianae dicendae sunt, ex tali interruptione magnum detrimentum pati, saltem si pro illa nonnullae Missae dicuntur in altari privilegiato (cf. nostrum Man. theol. mor. III 269; Arregui, Summarium theol. mor. n. 561).

624. Quantitas stipendii pro Missis manualibus statuitur a *taxa dioecesana,* quae observanda est ab omnibus, etiam a religiosis exemptis. Licitum autem est non solum acceptare maius stipendium *sponte* oblatum, sed etiam exigere, si cum Missa coniuncta sunt specialia onera, e. g. hora tarda, locus determinatus. Quantitas stipendii pro Missis *fundatis* determinatur ab Ordinario, i. e. ab episcopo pro omnibus sacerdotibus non exemptis, a superiore autem maiore religioso pro religiosis exemptis (c. 1550).

[1] Tempus utile in iure (c. 35) illud intellegitur, quod pro exercitio aut prosecutione sui iuris ita alicui competit, ut ignoranti aut agere non valenti non currat. Proinde e. g. si sacerdos recepit stipendium Missae dicendae pro graviter aegroto, debet quidem, cum sit causa urgens, hanc Missam quantocius dicere. Sin autem sacerdos propter propriam aegritudinem inopinatam hanc Missam dicere nequit, nisi post plures hebdomadas, tempus utile non currit, et tunc satisfacit obligationi acceptatae.

[2] Decreto S. Cong. Conc. 11 Maii 1904 statutum fuit, ut una Missa accepta sit dicenda intra mensem; si simul 20 Missae acceptae sint, intra duos menses; si 40, intra tres; si 100, intra sex menses. Haec omnia, cum non sint renovata in novo Codice, non iam habent obligationem sed directionem. Salubriter statuit Codex iur. can. c. 836 et 837: «In ecclesiis, in quibus ob fidelium peculiarem devotionem Missarum eleemosynae ita affluunt, ut omnes Missae celebrari ibidem debito tempore nequeant, moneantur fideles per tabellam in loco patenti et obvio positam, Missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi. Qui Missas per alios celebrandas habet, eas quamprimum distribuat, sed tempus legitimum pro earundem celebratione incipit a die, quo sacerdos celebraturus easdem receperit, nisi aliud constet.»

625. Missae aliis tradendae. Qui habent Missarum numerum, de quibus sibi licet libere disponere, possunt eas tribuere sacerdotibus sibi acceptis, dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores vel testimonio proprii Ordinarii commendatos (c. 838). Severiora igitur statuta hac de re antea lata non iam obligant. Qui autem Missas sibi commissas aliis celebrandas tradiderit, obligatione tenetur, usquedum acceptatae ab iisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerit (c. 839). — Episcopus vel etiam concilium provinciale nequit prohibere, ne quis stipendia Missarum *manualium* accepta mittat extra dioecesim sacerdotibus bene notis. S. C. C. d. 19 Febr. 1921 (Act. Ap. Sed. XIII 230).

Distinguuntur a) Missae *fundatae,* quae in determinato loco vel a determinato sacerdote omnino dici debent; b) Missae *ad instar manualium,* quae quidem fundatae sunt, sed tamen alibi celebrari possunt; c) Missae *manuales,* quae a quocumque sacerdote dici possunt (c. 826). — In tradendis stipendiis Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur (c. 827); sed non iam exsistunt poenae *latae sententiae* contra eos, qui stipendia Missarum tradunt bibliopolis aut ex Missis lucrum temporale hauriunt.

Stipendia Missarum tradendarum omnino integra (non diminuta) debent tradi. Licitum autem est, stipendia transmittenda diminuere, a) si oblator expresse permittit aliquid retinere, aut certo constat, excessum supra taxam dioecesanam datum esse intuitu personae (c. 840, § 1); b) si Missae ad instar manualium transmittuntur. Tunc enim potest excessus supra taxam dioecesanam retineri, si pinguis eleemosyna locum pro parte tenet dotis beneficii aut causae piae (ib. § 2); c) si adest speciale indultum Summi Pontificis; d) si recipiens non rogatus prorsus libere consentit.

626. Nota. 1. Missae manuales superfluae tradendae sunt saltem ante unum annum elapsum a die acceptionis;

Missae vero ad instar manualium tradendae sunt saltem ante diem 31. Dec. illius anni, in quo erant dicendae.

Missae dicendae et dictae accurate in aliquo libro adnotentur, quia secus magna incommoda facile orientur.

627. 5. De obligatione ratione promissionis.

Regula. Qui *onerosam* promissionem cum animo se obligandi dedit Missam applicandi, tenetur sub gravi satisfacere huic obligationi; sin autem promissio fuit *liberalis,* oritur sola obligatio levis.

628. 6. De obligatione ratione oboedientiae.

Praelati cum saeculares tum religiosi possunt, iusta exsistente causa, subditis suis praecipere applicationem Missae. Ita sententia longe communior et in praxi sequenda, si agitur de sacerdotibus voto religioso oboedientiae ligatis (cf. S. Congr. de Rel. d. 3 Maii 1914).

Caput III. De requisitis liturgicis ad celebrandam Missam.

Ex iure ecclesiastico quattuor requiruntur ad licite celebrandam Missam, scil. 1. legitimum tempus; 2. locus decens; 3. sacra utensilia; 4. ritus observandi.

Art. 1. De tempore celebrationis Missae.

629. Tempus celebrationis Missae determinatum est quoad dies et horas.

1. **Quolibet die** licet celebrare Missam, attamen triduo ultimo hebdomadae sanctae specialia statuta observanda sunt (cf. nostrum Man. theol. mor. III, n. 281 sqq.).

2. Tres Missae a quolibet sacerdote possunt (non debent) dici in festo Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum (2 Nov.). Sacerdotes caecutientes, quibus

ex indulto licet cotidie eandem Missam votivam dicere, possunt istis diebus trina vice hanc Missam dicere. Ita S. R. C. d. 26 Ian. 1920 et 12 Ian. 1921 (Act. Ap. Sed. XII 122 et XIII 155).

3. Duae Missae possunt dici diebus dominicis et festivis ab iis solis, qui habent sic dictam *facultatem binandi,* quae quidem conceditur vel a iure communi vel ex indulto Ordinarii.

630. *Ex iure communi* (dependenter tamen ab Ordinario, ad quem pertinet de his rebus iudicare) binatio non tantum permittitur sed etiam praecipitur in duobus casibus: a) quando parochus duas paroecias obtinet vel duos populos adeo seiunctos (circiter 1500 m.), ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum distantiam; b) quando una tantum est ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest (Instruct. S. C. de Prop. Fid. d. 24 Maii 1870). Iste casus semper fere accidit in paroeciis ruralibus.

Ex speciali indulto Ordinarii binatio aliquando propter penuriam sacerdotum permittitur etiam in illis ecclesiis, ubi plus quam duae Missae dicuntur.

Sacerdoti celebranti duas Missas non licet pro altera Missa stipendium accipere neque alicui obligationi *iustitiae* satisfacere, nisi habeat specialem licentiam S. Sedis. (Cf. supra n. 621, nota.)

631. 4. **Hora** quacumque ab una hora ante auroram ad unam horam post meridiem licet Missam incipere (c. 821, § 1). Praeceptum ecclesiasticum non celebrandi notabiliter ante vel post tempus statutum obligat sub gravi; attamen licet citius vel tardius Missam dicere:

a) in necessitate conficiendi viaticum administrandum;

b) in nocte Nativitatis Domini;
c) ex consuetudine rationabili;
d) ex dispensatione concessa ab episcopo vel superiore religioso;
e) ex privilegio a S. Sede concesso, quale habent complura instituta religiosa.

632. 5. **Missae duratio.** Missa privata ordinarie nec sit longior 30 minutis nec brevior 20 minutis.

Graves theologi putant sacerdotem, qui dicit Missam intra 15 minuta, committere grave peccatum irreverentiae et aliquando etiam scandali.

Art. 2. De loco celebrationis.

Locus celebrationis includit duo: spatium in quo et altare super quo Missa celebratur.

633. **Principium 1.** *Ex iure communi non licet Missam celebrare nisi in ecclesiis aut oratoriis iisque non pollutis, exsecratis aut interdictis.*

Dicitur: *ex iure communi,* nam ex privilegio nonnulli sacerdotes possunt celebrare Missam in quocumque loco decenti, e. g. Cardinales, episcopi, missionarii etc. In aliquo casu extraordinario per modum actus potest loci Ordinarius (aut superior maior religionis exemptae) permittere celebrationem Missae in alio loco decenti, non autem in cubiculo. — Quomodo ecclesiae et oratoria polluantur, dictum est in tractatu de religione n. 447. De interdicto locali sermo erit infra in tractatu de censuris. Ecclesia exsecratur, quando ita mutatur, ut non iam censeatur eadem ecclesia, e. g. si totaliter vel secundum maiorem partem destruitur, licet reaedificata sit; si est redacta ad usus profanos (c. 1170); non autem, si crusta parietum, in quibus cruces consecrationis depictae erant, raditur aut decidit.

634. **Principium 2.** *Numquam licet Missam celebrare nisi in altari consecrato, quod quidem potest esse aut fixum aut portatile.*

Quaenam requirantur, ut altare fixum vel portatile possit consecrari, videsis in iure liturgico. Latius de omnibus his egimus in nostro Man. iur. eccl. q. 358 sqq. et 366 sqq.

Non licet Missam celebrare

a) in templo haereticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecrato aut benedicto. Ita Cod. iur. can. c. 823, § 1. Exinde tamen non censentur revocata indulta particularia de sic dictis ecclesiis simultaneis;

b) in altari alius ritus catholici. Deficiente autem altari proprii ritus sacerdoti fas est ritu proprio celebrare in altari consecrato alius ritus catholici (ib. § 2);

c) super Graecorum antimensiis (ib.), nisi adsit speciale indultum;

d) in altaribus sic dictis papalibus, sine speciali indulto (ib. § 3).

Art. 3. De sacris utensilibus.

Sacra utensilia ad tres classes reduci possunt: 1. ornatus altaris; 2. ornatus sacerdotis; 3. sacra vasa.

635. **Ornatus altaris** complectitur:
a) tres mappas ex lino vel cannabe confectas et benedictas;
b) Missale cum cussino vel parvo pulpito;
c) duas candelas accensas, ex cera confectas;
d) imaginem Crucifixi.

Censetur esse grave peccatum celebrare Missam sine ulla mappa aut sine ullo lumine.

636. **Ornatus sacerdotis** dicentis Missam constituitur ex amictu, alba, cingulo, manipulo, stola, casula. Omnes istae vestes benedici debent ab episcopo aut ab habente facultatem[1]. Cen-

[1] Codex iur. can. c. 1304 statuit: «Benedictionem illius sacrae supellectilis, quae ad normam legum liturgicarum benedici debet, antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire possunt:
1. *S. R. E. Cardinales et episcopi omnes (pro omnibus ecclesiis et oratoriis);*
2. *locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes,* pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii;
3. *parochus* pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis, et *rectores* ecclesiarum pro suis ecclesiis;
4. *sacerdotes a loci Ordinario delegati,* intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis;
5. *superiores religiosi* (etiam non exempti) et *sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati* pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subiectarum.»

setur esse grave peccatum celebrare Missam sine ulla sacra veste, aut etiam sine casula et alba. Color paramentorum est quidem observandus iuxta diversa officia et festa, sed non obligat sub gravi.

637. **Vasa sacra** ad Missam requisita sunt calix cum patena, ampullae vini et aquae. Accedunt corporale, palla, purificatorium, velum calicis et bursa pro corporali.

Patena et cuppa calicis debent esse aurea, vel, si sunt ex argento vel stanno vel aluminio, debent esse intus deauratae. Calix et patena debent esse consecrata; amittunt autem hanc consecrationem, si perdunt suam formam, e. g. per fractionem; non vero si denuo deaurantur (c. 1305, § 2).

Corporale benedictum sub gravi requiritur in Missa.

Purificatorium et palla non benedicuntur.

Prima lotio corporalium et purificatoriorum facienda est a subdiaconis vel alio clerico in maioribus ordinibus constituto (c. 1306, § 2), neque extra casum necessitatis videtur licite fieri posse a clericis inferioribus, sicut complures theologi docuerunt ante novum codicem.

Art. 4. De ritibus observandis.

638. **Principium.** *Omnes rubricae Missalis aliqualiter obligant in conscientia.* Patet ex Constitutione S. Pii V et ex decreto S. C. Rit., quae inveniuntur in initio Missalis. Statuit Codex iur. can. c. 818: «Reprobata quavis contraria consuetudine, sacerdos celebrans accurate et devote servet rubricas suorum ritualium librorum, caveatque ne alias caeremonias aut preces proprio arbitrio adiungat.»

Gravitas huius obligationis pensanda est ex gravitate materiae et ex communi sensu doctorum. Sic e. g. sub gravi requiritur servitor Missae, nisi adsit privilegium Pontificium[1]; quaelibet notabilis mutatio in Canone est graviter illicita, item extra Canonem omittere partes integras, quae *in qualibet Missa* dici debent, e. g. omissio evangelii. Alia non videntur sub gravi obligare.

639. Interrumpere ad breve tempus Missam licitum est, dummodo adsit iusta causa. Sic e. g. licet post evangelium praedicare, proclamationes matrimoniales facere; post communionem habere parvam exhortationem ad pueros communicantes, ad vota religiosa emittentes. Coepto autem iam Canone usque ad communionem sacerdotis non licet Missam interrumpere, nisi ex gravissima causa, e. g. ad viaticum administrandum moribundo, propter morbum sacerdotis breviter transiturum.

Abrumpere Missam *ante* consecrationem non licet, nisi adsit gravis causa (cf. S. Thom., Summa theol. 3, q. 83, a. 6 ad 1); *post* consecrationem autem numquam licet abrumpere Missam, nisi imminent periculum mortis aut gravis profanatio eucharistiae. Missa post consecrationem abrupta omnino complenda est ab ipso sacerdote vel ab alio, etiam non ieiuno, quia secus sacrilegium committeretur (S. Thom. ib.). Si tamen intercessit plus quam una hora, iam videtur esse destructa unio moralis inter partes Missae, ideoque probabiliter cessat stricta obligatio complendi Missam. Licitum autem est complere Missam abruptam etiam post plures horas (S. Alphonsus, Theol. mor. l. 6, n. 355).

TRACTATUS V.

De paenitentia.

Dividimus hunc tractatum in tria capita: 1. de essentia paenitentiae; 2. de subiecto paenitentiae; 3. de ministro paenitentiae.

---

[1] Codex iur. can. c. 813 statuit: «Sacerdos Missam ne celebret sine ministro, qui eidem inserviat et respondeat. Minister inserviens ne sit mulier, nisi deficiente viro, iusta de causa, eaque lege ut mulier ex longinquo respondeat nec ullo pacto ad altare accedat.» Licet igitur Missam celebrare etiam devotionis causa cum muliere ministrante, si vir potens servire abest. Mulieris autem *immediata* ministratio ad altare, e. g. porrigendo urceolos, iuxta S. Alphonsum (Theol. mor. l. 6, n. 392) est peccatum mortale.

Caput I. De essentia paenitentiae.

Vox paenitentiae a theologis sumitur in triplici potissimum sensu: 1. pro virtute morali paenitentiae; 2. pro sacramento paenitentiae; 3. pro illa parte sacramenti paenitentiae, quae vocatur satisfactio. Agemus 1. de virtute paenitentiae; 2. de sacramento paenitentiae quantum ad eius essentiam et effectus.

Art. 1. De virtute paenitentiae.

640. Notio. *Virtus paenitentiae est habitus supernaturalis a Deo infusus, quo homo promptus redditur ad dolendum de peccato commisso, in quantum est offensa Dei, cum emendationis proposito* (cf. S. Thom., S. theol. 3, q. 85, a. 2).

Dicitur paenitentia 1: *habitus supernaturalis,* quia, licet quis etiam propriis viribus propter motiva naturalia possit paenitere de peccatis commissis, tamen talis paenitentia neque est virtus perfecta neque destruit peccati maculam.

Dicitur 2: *quo homo promptus redditur ad dolendum de peccato, in quantum est offensa Dei.* Ergo non quicumque dolor de peccatis commissis (e. g. propter dolorosas naturales sequelas) est actus virtutis paenitentiae, sed solummodo quando peccatum odio habetur *ut offensa Dei.*

Dicitur 3: *cum emendationis proposito,* quia verus dolor peccati includit propositum emendationis. — Ex dictis sequitur, ut virtus paenitentiae eliciat tres potissimum actus, nempe 1. dolorem de peccatis commissis; 2. detestationem peccatorum; 3. propositum non amplius peccandi.

641. Subiectum proximum virtutis paenitentiae est voluntas. Ergo fideles non sunt inquietandi, qui non sentiunt sensibiliter dolorem de peccatis commissis. — Subiectum remotum virtutis paenitentiae est quilibet homo peccati reus vel saltem capax.

642. Obiectum materiale virtutis paenitentiae est quodlibet peccatum personale (ergo non originale); obiectum vero formale est offensa Dei expiabilis seu ius divinum laesum reparabile per satisfactionem.

643. Necessitas virtutis paenitentiae pro omnibus peccatoribus est cum medii tum praecepti. Ideo Concilium Tridentinum definivit: «Fuit paenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria» (sess. 14, c. 1 de paen.). Quare et Christus dicit: «Si paenitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis» (Lc 13, 5). Ius ecclesiasticum quoque praescribit virtutem paenitentiae statuendo annualem confessionem.

Quandonam obliget praeceptum paenitentiae, non concordant theologi; sequentia tamen satis communiter admittuntur:

Per accidens obligat hoc praeceptum, quando alia obligatio necessario supponens paenitentiam observanda est; e. g. si sacerdos in statu peccati mortalis exsistens debet aliquod sacramentum administrare. *Per se* obligat praeceptum paenitentiae in articulo aut gravi periculo mortis; non autem stricte obligat statim post patratum peccatum. Nihilominus notabilis dilatio, i. e. ultra annum, paenitentiae est peccatum speciale et mortale.

Art. 2. De sacramento paenitentiae quantum ad eius essentiam et effectus.

644. Notio. *Sacramentum paenitentiae est sacramentum Novae Legis a Christo institutum per formam iudicii ad peccata post baptismum commissa remittenda homini contrito et rite confesso per absolutionem sacramentalem.*

Christus videtur instituisse hoc sacramentum post resurrectionem, quando insufflavit in discipulos dicens: «Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur iis, et quorum retinueritis, retenta sunt» (Io. 20, 22).

Hoc sacramentum institutum est *per formam iudicii* (cf. c. 870), in quo paenitens est simul reus, testis et accusator, sacerdos autem iudex, qui ordinarie non condemnat sed absolvit reum.

Per sacramentum paenitentiae nequeunt remitti nisi peccata *post* baptismum commissa, quae sunt igitur materia remota huius sacramenti. Per verba: homini contrito et rite confesso,

indicatur materia proxima; per verba autem: per absolutionem sacramentalem, designatur forma huius sacramenti.

Specialiter nunc tractandum est: 1. de huius sacramenti materia remota; 2. de materia proxima; 3. de forma; 4. de effectibus.

§ 1. De materia remota sacramenti paenitentiae.

645. Materia remota seu potius removenda sunt omnia peccata post baptismum commissa, ut iam dictum est. Haec autem materia distinguitur: 1. necessaria et libera; 2. certa et dubia; 3. sufficiens et non sufficiens.

Materia necessaria *sacramenti paenitentiae sunt omnia peccata mortalia post baptismum commissa, nondum in confessione manifestata nec per absolutionem directe remissa.* Debent igitur ista peccata necessario accusari in confessione.

Materia libera *sacramenti paenitentiae sunt:* a) *peccata venialia post baptismum commissa;* b) *omnia peccata cum mortalia tum venialia iam remissa post baptismum.* Ista igitur peccata libere sed non necessario accusanda sunt in confessione.

Materia certa est omne verum et certum peccatum sive mortale sive veniale.

Materia dubia est peccatum dubium, i. e. dubie commissum.

Materia sufficiens est illa, quae sufficit ad valide recipiendam absolutionem sacramentalem, nempe certa materia vel necessaria vel libera supra indicata.

Materia insufficiens est materia dubia seu illa omnia, quae non certo habent rationem peccati, e. g. sic dictae «imperfectiones».

646. *Scholion.* **De peccatis in genere tantum accusatis.** Essentia sacramenti paenitentiae consistit, ut iam dictum est, in eo quod est iudicium. Porro iudex nequit iudicium ferre, nisi aliqualiter saltem cognoscit delicta rei. Cum autem in iudicio paenitentiali ipse Deus, perscrutator cordium, sit principalis iudex, et finis istius iudicii sit sententia reconciliatoria et *liberativa,* non requiritur, ut confessarius *perfecte* cognoscat delicta paenitentis. Quare in extrema necessitate vel nulla vel prorsus generica accusatio peccatorum requiritur. Extra autem extremam necessitatem numquam licita est sola generica accusatio peccatorum, sed, si agitur de materia *necessaria,* peccata sunt accusanda secundum speciem et numerum; sin autem agitur de sola materia *libera,* requiritur et sufficit accusatio de peccatis contra talem virtutem vel tale praeceptum (cf. nostrum Man. Theol. mor. III 325).

§ 2. De materia proxima sacramenti paenitentiae.

647. *Materia proxima sacramenti paenitentiae sunt tres actus paenitentis, scil. contritio, confessio, satisfactio.*

Ita sententia communissima, quae negatur a paucis putantibus materiam proximam huius sacramenti esse absolutionem, quatenus est *externa caeremonia;* eandem autem absolutionem esse formam sacramenti, quatenus habet vim significandi.

Contritio debet adesse actualiter vel saltem virtualiter; ad validitatem autem sacramenti sufficit aliquando, ut confessio et satisfactio adsint *in voto;* censentur enim tunc implicite inclusae in contritione. De singulis partibus materiae proximae postea sermone speciali dicemus.

§ 3. De forma sacramenti paenitentiae.

648. *Forma essentialis* sacramenti paenitentiae sunt verba: «Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.» Iuxta omnes certe valet forma: «Absolvo te a peccatis tuis.» Probabile est validas esse formulas: «Absolvo te» et «absolvo a peccatis tuis». Sed omnino non licet eas adhibere, neque adesse potest rationabilis causa, ut quis adhibeat istas formulas solum probabiliter validas. In casu necessitatis, e. g. in naufragio, valide et licite potest multis simul dari absolutio sub

hac forma: «Ego vos absolvo a peccatis vestris in nomine Patris etc.»

Forma rubricalis invenitur in Rituali Romano vel in alio Rituali approbato.

649. *Obligatio caeremoniarum.* a) Elevatio manus a verbo «Indulgentiam» usque ad formationem crucis in absolutione non stricte obligat, sed valde laudabiliter fit. b) Preces «Misereatur», «Indulgentiam», «Passio» ne omittantur sine iusta causa (c. 885), qualis censetur frequens concursus paenitentium. c) Omittere absolutionem a censuris, si confessarius habet moralem certitudinem non ligari paenitentem censura, non est gravis culpa. d) Externae quoque caeremoniae, e. g. de loco confessionis mulierum, diligenter obsarvandae sunt.

650. **Modus absolutionis.** Absolutio debet esse:

1. *oralis*; ideoque invalida est absolutio scriptis data (cf. decreta Clementis VIII. d. 20 Iun. 1602 et Pauli V. d. 13 Iul. 1605);

2. *data paenitenti moraliter praesenti.* Cum enim absolutio debeat oraliter proferri, nequit dari nisi ei, qui potest verba audire vel ad quem confessarius loqui valet. In casu extremae necessitatis haec moralis praesentia large est interpretanda; et tunc omnes etiam longe distantes possunt absolvi, qui aliquo sensu percipi possunt. Attamen probabilius videtur esse invalida absolutio, quae datur per telephonium vel per longum canalem phoneticum. In casu tamen extremae necessitatis hoc modo dari potest absolutio condicionata.

651. **Observanda in praxi.** Si paenitens ante absolutionem receptam inopinate discedat a confessionali, tunc his modis agendum est:

a) *si convenienter revocari potest,* revocetur ad confessionale;

b) *si non potest sine admiratione aliove incommodo revocari,* sacerdos proferat essentialia verba absolutionis, antequam paenitens ultra 20 passus discesserit a confessionali; non autem requiritur, ut confessarius adhuc videat aut audiat paenitentem, dummodo ille sit in vicina turba aut loco;

c) *sin autem paenitens iam longius discessit neque revocari potest neque rediturus est ad eundem confessarium,* nil aliud superest nisi eum misericordiae divinae commendare;

d) *si postea ad eundem confessarium redeat confessurus,* moneatur et deinde absolvatur.

652. 3. *absoluta et non condicionata neque deprecatoria.* Absolutio enim est sententia iudicialis, quae debet esse neque condicionata neque deprecatoria. Absolutio in sola forma deprecatoria, quae saltem aequivalenter non est indicativa, non solum est illicita sed probabilius etiam invalida. — Absolutio autem condicionata et suspensiva de *futuro,* e. g. absolvo te si postea restitues, est certe invalida; condicionata autem de *praesenti* est valida et licita, quoties absolute data exponeret sacramentum periculo nullitatis; absolute vero negata exponeret paenitentem periculo gravis damni spiritualis.

Praecipui casus, in quibus licet absolutionem condicionatam dare, sunt:

1. in dubio, utrum paenitens sit vivus an mortuus;

2. in dubio de sufficienti usu rationis in paenitente;

3. in dubio de absolutione rite data;

4. in dubio de morali praesentia paenitentis;

5. in dubio de sufficienti iurisdictione;

6. in dubio de sufficienti dolore et proposito paenitentis, si ex dilatione absolutionis recte timetur maius malum.

653. ***Scholion.* De absolutione iteranda.** Quando paenitens, recepta iam absolutione, grave peccatum ex oblivione omissum vel circumstantiam gravem alicuius peccati vel

numerum peccatorum gravium notabiliter diversum subiungit, confessarius debet repetere absolutionem, quia secus paenitens deberet hanc materiam iterum confiteri in sequenti confessione.

§ 4. De effectibus sacramenti paenitentiae.

654. Sacramentum paenitentiae rite susceptum producit: 1. remissionem omnium peccatorum et poenae aeternae; 2. infusionem (augmentum) gratiae sanctificantis, virtutum et donorum Spiritus Sancti; 3. reviviscentiam meritorum, quae in gratiae statu obtenta erant. — De modo et gradu istius reviviscentiae theologi non concordant (cf. nostrum Man. theol. mor. III 337).

Caput II. De subiecto sacramenti paenitentiae.

655. Subiectum capax sacramenti paenitentiae est omnis homo baptizatus, qui post baptismum peccata personalia (saltem venialia) commisit, et qui hos tres actus: contritionem, confessionem, satisfactionem, vel saltem contritionem perficere potest. Separatim tractabimus: 1. de contritione; 2. de confessione; 3. de satisfactione.

Art. 1. De contritione.

Dividitur iste articulus in 4 paragraphos: 1. de natura, divisione, effectibus contritionis in genere; 2. de attritione; 3. de dotibus contritionis et attritionis; 4. de proposito.

§ 1. De natura, divisione, effectibus contritionis in genere.

656. **Notio.** *Contritio* (generice accepta) *est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Ita Concilium Trid. sess. 14, c. 4.

Ad contritionem requiruntur tres actus integrantes: a) dolor, b) detestatio, c) propositum (cf. nostrum Man. theol. mor. III 339).

Divisio. Contritio generice sumpta distinguitur in *contritionem* stricte dictam, quae elicitur ex motivo caritatis Dei; et *attritionem,* quae non oritur ex motivo caritatis sed ex alio motivo supernaturali, e. g. ex metu poenae aeternae vel temporalis peccatis debitae. *Motiva naturalia,* ut e. g. naturalis turpitudo peccati, naturales mali effectus peccati, non sufficiunt ad veram attritionem.

Effectus perfectae contritionis est remissio omnium peccatorum, dummodo accedat votum sacramenti paenitentiae; attritio autem nequit remittere peccata (saltem mortalia), nisi sit reapse coniuncta cum sacramento paenitentiae. De *necessitate* contritionis in genere supra n. 643 dictum est, ubi de necessitate paenitentiae sermo fuit.

§ 2. De attritione.

657. **Valor.** Licet attritio per se sola nequeat remittere peccata mortalia, tamen *sufficit* ad iustificationem obtinendam in sacramento paenitentiae.

Haec propositio nunc prorsus certa est atque ab omnibus admittitur, ita ut contraria sententia, quam tenuerunt complures theologi ante Concilium Trid., sit temeraria. Attritio etiam ex solo metu gehennae concepta est aliquid *bonum et honestum.* Etenim in tali attritione tria elementa concurrunt, quae omnia sunt bona:

1. motivum inducens, nempe fuga gehennae;
2. medium ad effugiendam gehennam, nempe detestatio peccati;
3. ordinatio huius detestationis ad reapse effugiendam gehennam.

Attritionem ex solo metu gehennae conceptam esse malam et reddere hominem hypocritam, falso docuerunt Lutherus, Iansenistae aliique.

Num ista attritio ex solo metu gehennae elicita absque amore initiali sufficiat ad sacramentum paenitentiae, valde controvertitur, sed est lis potius de verbis quam de re. Etenim omnis vera attritio elicita *ex motivo supernaturali* aliqualiter refertur ad Deum, cuius subiectionem et amorem reapse includit.

§ 3. De dotibus contritionis et attritionis.

658. Contritio vel attritio requisita ad sacramentum paenitentiae debet habere quattuor dotes. Debet namque esse:

1. *vera et formalis,* i. e. verus et formalis, non autem solum externus et fictus vel existimatus vel implicitus dolor de peccatis commissis;

2. *supernaturalis,* et quidem a) ratione *principii,* quatenus non solis viribus naturalibus sed auxilio gratiae supernaturalis elici debet; b) ratione *motivi,* quatenus non motivis naturalibus sed motivis lumine fidei supernaturalis cognitis causatur;

3. *summa,* non quidem *intensive,* quatenus paenitens intensissime deberet sentire dolorem; sed *appretiative,* quatenus homo aestimat peccatum maius malum quam quodlibet aliud, ita ut paratus sit potius omnia alia mala pati quam peccatum admittere;

4. *universalis,* quatenus contritio vel attritio se extendit ad omnia prorsus peccata mortalia commissa.

659. **Corollaria.** Ex eo quod contritio pertinet ad *materiam proximam,* absolutio autem est forma sacramenti paenitentiae, deducuntur sequentia:

a) contritio vel attritio debet esse aliquo *signo sensibili manifestata,* ideoque non sufficit contritio vel attritio mere interna; non autem requiritur, ut contritio *verbis* manifestetur;

b) debet elici *ante absolutionem illique coexsistere;* ex materia enim et forma coalescit sacramentum; in praxi autem contritio debet elici ante confessionem;

c) debet habere *aliquem ordinem ad absolutionem.* Est eadem ratio; attamen

d) non debet necessario denuo elici, quando paenitens statim post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur et novam absolutionem recipit. Prior enim contritio virtualiter perseverat.

§ 4. De proposito.

660. **Notio.** *Propositum est voluntas non peccandi de cetero.* Ergo non sufficit pura velleitas, neque tamen stricte requiritur promissio neque votum vitandi omnia peccata.

Duplex distinguitur propositum: alterum *explicitum et formale,* quod est actus specialis et distinctus a contritione; alterum *implicitum et virtuale,* quod continetur in omni sincera contritione, quippe quae ex natura sua sit non tantum praeteritorum peccatorum detestatio sed etiam futurorum vitatio.

Necessitas. *Propositum saltem implicitum requiritur ad validitatem sacramenti paenitentiae.* Ratio est, quia propositum implicitum, utpote necessario coniunctum cum contritione, est aeque necessarium ac contritio.

In praxi non solum implicitum sed etiam explicitum idque specialiter determinatum propositum debet elicere paenitens, cum hoc sit multo efficacius ad emendationem vitae.

661. **Dotes** propositi solent enumerari tres. Propositum enim debet esse:

1. *firmum* saltem quoad praesentem affectum voluntatis, licet forte sit infirmum quoad futurum eventum. Firmum igitur propositum non est idem quod constans. Proinde minime requiritur, ut paenitens habeat firmam persuasionem, se amplius non esse peccaturum;

2. *efficax* quoad tria: paenitens debet a) adhibere media necessaria ad vitanda peccata, e. g.

orationem, vigilantiam; b) debet vitare occasionem proximam voluntariam peccandi; c) debet pro viribus reparare damna ex peccatis forte causata;

3. *universale*, in quantum excludit prorsus omnia peccata mortalia facienda.

Sin autem paenitens confitetur sola peccata venialia vel affert solam materiam liberam, nihilominus sicut ad validitatem sacramenti requiritur vera contritio, ita etiam verum propositum, quod se extendat oportet

vel a) ad omnia peccata mortalia vitanda;

vel b) ad unum determinatum peccatum veniale vitandum;

vel c) ad emendandam determinatam speciem peccatorum, e. g. peccata linguae;

vel d) ad vitanda omnia peccata venialia deliberata;

vel saltem e) ad minuendam frequentiam peccatorum venialium.

Art. 2. De confessione.

Dividitur iste articulus in 3 paragraphos: 1. de essentia et necessitate confessionis; 2. de eius dotibus; 3. de eius iteratione.

§ 1. De essentia et necessitate confessionis.

662. **Notio.** *Confessio sacramentalis est accusatio peccatorum propriorum post baptismum commissorum facta sacerdoti competenti ad eorum absolutionem obtinendam.*

Si vel unum elementum deest ex definitione data, deest quoque confessio vere sacramentalis, ac proinde non oritur *sigillum* confessionis, e. g. si narrantur peccata consilii causa vel ad seducendum sacerdotem.

Necessitas confessionis sacramentalis pro omnibus peccatoribus oritur ex praecepto tam divino quam ecclesiastico.

Ius divinum instituit paenitentiae sacramentum in forma *iudicii*. Christus enim dedit apostolis eorumque successoribus potestatem remittendi vel retinendi peccata. Iam vero confessarius nequit iudicium ferre, nisi prius cognoscit peccata paenitentis; haec autem cognitio nequit obtineri nisi per confessionem paenitentis. Ergo ex ipsa institutione divina confessio peccatorum est necessaria in sacramento paenitentiae (cf. Conc. Trid. sess. 14, c. 5).

Ius ecclesiasticum in c. 906 statuit: «Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, i. e. ad usum rationis, pervenerit, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri.» Huic autem praecepto non satisfacit is, qui confessionem facit sacrilegam vel voluntarie nullam (ib. c. 907), sed quilibet potest confiteri peccata sua cuilibet confessario rite approbato etiam alius ritus (ib. c. 905)

663. **Tempus obligationis.** 1. *Praeceptum divinum* confessionis obligat peccatorem *per se* a) in articulo vel imminenti periculo mortis; b) aliquoties in vita. *Per accidens* autem obligat idem praeceptum, a) si peccator vult recipere eucharistiam; b) quando requiritur status gratiae neque peccator valet moraliter certo elicere actum perfectae contritionis; c) quando gravis tentatio et praesertim pravus habitus nequit vinci sine adiutorio confessionis.

2. *Praeceptum ecclesiasticum* confessionis non obligat nisi semel in anno et probabiliter illos solos, qui peccatum mortale commiserunt. Non concordant theologi, quomodo iste annus sit computandus. In praxi sufficit, ut annus computetur a Paschate ad Pascha.

§ 2. De dotibus confessionis.

664. Dotes confessionis aliae sunt *necessariae*, aliae tantum *utiles*. S. Thomas aliique antiqui theologi enumerabant 16 dotes:

«Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata,
Fortis et accusans et sit parere parata.»

De nonnullis dotibus pauca:

1. *Simplex, nuda, pura, humilis* sit confessio, i. e. libera ab omnibus inutilibus verbis et narrationibus; sit humilis cum verbis tum gestis, ideoque paenitens debet genuflectere, nisi propter infirmitatem aliamque causam est excusatus; sit pura, i. e. recta intentione facta.

665. 2. *Fidelis,* i. e. absque omni mendacio. Mentiri in confessione circa rem gravem necessario declarandam est grave sacrilegium atque reddit confessionem invalidam; mentiri autem in aliqua re, quae ad confessionem necessario non pertinet, est quidem peccatum, sed non invalidat confessionem, nisi sit peccatum grave propter gravitatem materiae. Hinc e. g. invalide confitetur, qui mentitur circa peccati circumstantiam mutantem speciem, qui in confessione gravem calumniam narrat de proximo; qui autem negat aliquod peccatum veniale commissum vel peccatum mortale iam antea remissum, non invalide confitetur, sed leviter peccat. Nihilominus tale peccatum obiective leve inducit circumstantiam valde aggravantem, cum sit magna irreverentia in sacramentum peccare eodem tempore, quo remissio peccatorum quaeritur.

3. *Discreta et verecunda* sit confessio, i. e. paenitens ne pandat peccata aliorum, ne utatur verbis obscenis vel nimis rudibus ad declaranda peccata contra sextum praeceptum.

4. *Vocalis* sit confessio, i. e. verbis expressa, non autem nutu, signis aut scriptis, nisi adsit iusta causa, e. g. propter defectum loquelae.

5. *Secreta* sit confessio, i. e. non publica, ideoque numquam quis stricte tenetur confiteri per interpretem (c. 903).

Principalis autem dos confessionis est integritas, de qua nunc uberius dicendum est.

De integritate confessionis.

666. **Notiones.** Duplex distinguitur integritas: altera *formalis,* quae comprehendit illa peccata mortalia, quae paenitens hic et nunc spectatis omnibus circumstantiis confiteri potest et debet; altera *materialis,* quae complectitur absolute omnia peccata mortalia post baptismum commissa et nondum directe remissa.

Necessitas integritatis. 1. *Integritas formalis omnino necessaria est ad validam et licitam confessionem;* 2. *exsistunt autem legitimae causae excusantes ab integritate materiali.*

1. Prima pars patet ex Concilio Trid. (sess. 14, c. 5 de paenit.) declarante necessarium esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia (quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur), etiam occulta et quae sunt contra duo ultima Decalogi praecepta, et circumstantias quae peccati speciem mutant.

2. Altera pars ex eo patet, quod integritas materialis aliquando est vere impossibilis. Iam vero Christus, praecipiens in confessione integritatem, noluit obligare ad impossibile.

667. **Extensio.** Certum est, paenitentem debere declarare in confessione:

a) speciem moralem *infimam* peccatorum mortalium [1];

b) *numerum* eorum, in quantum id est moraliter possibile [2];

c) circumstantias eorum *speciem mutantes.*

[1] Unde sumatur species peccatorum, dictum est supra in tractatu de peccatis.

[2] Paenitens non inveniens exactum numerum peccatorum, debet illum meliore quo potest modo determinare

a) adhibendo verbum circiter; e. g. circiter 10 significat 8 vel 12;

b) indicando durationem consuetudinis, cum additione, quoties circiter qualibet die vel septimana peccatum acciderit.

Nota. Confessarius ne nimis torqueat paenitentes praesertim rudes circa numerum indicandum, cum haud raro sit impossibile, etiam aliqualiter accuratum numerum peccatorum eruere. Sufficit, ut confessarius possit iudicium ferre de statu animae peccatoris.

Non ita constat, utrum insuper accusandae sint circumstantiae *notabiliter aggravantes.* Stricta obligatio accusandi istas circumstantias nequit probari, attamen melius est illas accusare; immo est *per accidens* necessarium a) ratione reservationis; b) ratione occasionis aut consuetudinis peccandi; c) ratione satisfactionis aliarumque rerum post confessionem praestandarum (cf. nostrum Man. theol. mor. III 370 sqq.).

d) *actum externum* peccati. Ergo non sufficit, si e. g. fornicator dicit: habui intentionem fornicandi, sed debet dicere: fornicatus sum;

e) *effectum malum externum praevisum* peccati. Ita saltem communiter. Hinc e. g. praevidens ex lectione lubrica sibi orituram pollutionem debet confiteri et lectionem hanc et pollutionem reapse secutam.

Peccata dubia non sunt necessario accusanda, si dubium est mere *negativum;* sin autem dubium est fundatum et *positivum,* tunc puri probabilistae docent non adesse strictam obligationem confitendi huiusmodi peccata dubia, sive sint a) dubie commissa, b) dubie gravia, c) dubie remissa. Lex enim dubia iuxta illos omnino non obligat. Attamen in praxi valde suadendum est, ut huiusmodi peccata mortalia dubia accusentur in confessione, nisi paenitens sit valde scrupulosus (cf. nostrum Man. theol. mor. III 375).

668. **Causae excusantes ab integritate materiali** confessionis sunt: impotentia physica vel moralis.

a) **Impotentia physica** censetur adesse in sequentibus vel similibus casibus, scil. si exsistit:

1. *infirmitas extrema;*
2. *defectus loquelae,* e. g. in illis, qui sunt muti vel ignari idiomatis;
3. *defectus temporis ob imminens periculum mortis,* e. g. in naufragio;
4. *ignorantia vel oblivio invincibilis.*

b) **Impotentia moralis** censetur adesse, si integritas materialis confessionis haberi nequit sine magno incommodo morali,

quod *externe et per accidens* est coniunctum cum confessione hic et nunc facienda. Nullum autem incommodum *internum* confessionis, e. g. magna verecundia, amissio propriae famae penes confessarium, excusat ab integritate materiali.

Casus impotentiae moralis sunt:

1. *periculum vitae,* quod ex confessione imminet paenitenti, confessario vel tertiae personae, e. g. tempore pestis;
2. *periculum scandali vel lapsus* cum ex parte paenitentis tum ex parte confessarii; est casus satis rarus;
3. *periculum laesionis sigilli,* e. g. si surdaster confitetur, aliis adstantibus;
4. *periculum famae* praesertim tertiae personae, e. g. si peccatum nequit declarari, quin confessarius cognoscat complicem. Occultandum est enim nomen complicis, quotiescumque hoc fieri potest sine gravi incommodo. Confessarius graviter peccat, si directe inquirit nomen complicis; potest autem licite inquirere de peccatorum circumstantiis necessario declarandis, quamvis tunc indirecte complex reveletur.

669. **Medium** ad integritatem confessionis obtinendam est examen conscientiae diligenter factum. Quo modo et qua diligentia hoc examen instituendum sit, videsis in nostro Man. theol. mor. III 383 sqq.

§ 3. De confessionis iteratione.

670. Ob defectum integritatis confessio potest esse vel invalida vel solummodo incompleta. Confessio est invalida, si defuit integritas *formalis;* est vero incompleta, si defuit integritas *materialis.*

Confessio incompleta complenda est accusatione illius peccati, quod inculpabiliter omissum erat; confessio vero invalida totaliter iteranda est, nam per illam nullum peccatum remissum fuit.

671. **Confessio generalis.** Reiteratio aliquarum vel omnium confessionum vitae ante actae vocatur *confessio generalis,* quae est vel

a) *necessaria,* quoties moraliter certo constat, aliquas anteriores confessiones fuisse invalidas; vel

b) est *nociva*, quando ex ea oriuntur novae anxietates (pro scrupulosis) vel alia incommoda, e. g. tentationes; vel

c) est *utilis*, quando paenitens ex ea incitatur ad efficaciorem contritionem et emendationem vitae.

Art. 3. De satisfactione sacramentali.

§ 1. De notione et necessitate satisfactionis.

672. **Notio.** *Satisfactio sacramentalis est compensatio poenae temporalis peccatis debitae per opera bona et poenalia a confessario taxata et a paenitente voluntarie acceptata.*

Iuxta Concilium Trid. sess. 14, c. 8 finis satisfactionis est quadruplex:

1. peccatori inculcat efficaciter peccatum esse magnum malum dira poena dignum;

2. reddit peccatorem cautiorem et vigilantiorem, ne iterum in eadem peccata cadat;

3. medetur reliquiis peccatorum atque exstirpat pravos habitus acquisitos;

4. facit paenitentem conformem Christo, qui pro peccatis nostris satisfecit.

673. **Necessitas satisfactionis.** *Confessarius* a) *non tantum potest, sed* b) *etiam ordinarie sub gravi tenetur imponere paenitenti satisfactionem.*

Ratio primi est, quia operatio confessarii debet aliqualiter esse similis operationi Dei, cuius minister est. Deus autem remissa poena aeterna adhuc infligit satisfactiones temporales.

Ratio secundi est, quia statuit Concilium Tridentinum (sess. 14, c. 8 de paenit.): «Debent sacerdotes Domini, quantum Spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et paenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum paenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur» (cf. quoque c. 887). — Dicitur: *ordinarie* tenetur, nam confessarius non tenetur satisfactionem iniungere, a) si illa est paenitenti impossibilis, e. g. in extremo articulo mortis; b) si paenitens accepta iam absolutione iterum materiam

necessariam accusat iterumque absolutionem accipit. Multo melius tamen in hoc secundo casu est, si confessarius novam (etsi levem) paenitentiam imponit, vel saltem paenitentiam iam impositam denuo imponit novo titulo.

Ordinarie confessarius *tenetur sub gravi*, imponere convenientem satisfactionem, idque docent omnes, si paenitens confessus est gravem materiam; sin vero paenitens solam materiam liberam confessus est, nonnulli auctores (Lugo, Noldin) opinantur non adesse nisi levem obligationem; attamen opposita sententia videtur melior, quia, voluntarie omittendo impositionem paenitentiae confessarius deesset suo officio, irreverenter privaret sacramentum parte integrante, paenitenti noceret.

674. **Quantitas et qualitas** *satisfactionis determinanda est et pro qualitate criminum et pro paenitentis facultate.* Ita Concilium Trid. supra citatum et Codex iur. can. c. 887. Ideo pro gravi peccato gravis quoque satisfactio imponenda est. *Gravis* censetur satisfactio, si aequivalet operi, quod Ecclesia sub gravi praeciperet, e. g. ieiunium, Missa, Rosarium quinque decadum, hora canonica; *levis* satisfactio est e. g. Psalmus «De profundis», 5 Pater noster etc. Confessarius, qui *sine iusta causa* pro gravibus delictis levem satisfactionem imponeret, absque dubio peccaret. Dico sine iusta causa; nam iustae causae diminuendi satisfactionem sunt:

1. *infirmitas corporalis* paenitentis;

2. *infirmitas spiritualis*, si enim recte timetur, ne gravior paenitentia potius obfutura quam profutura sit animae paenitentis debilis in fide et fervore religionis;

3. *magna et extraordinaria contritio;*

4. *tempus iubilaei et indulgentiae plenariae;*

5. *satisfactio ab ipso confessario pro paenitente partialiter praestanda.*

Qualitas paenitentiae conformanda est condicioni et correctioni paenitentis. Paenitentia sit non solum poenalis sed etiam medicinalis. Generatim omnia opera bona pro salutari paenitentia iniungi possunt, praesertim autem opera pietatis, caritatis, mortificationis, et preces ditatae indulgentiis (c. 932).

Per se quidem nihil obstat, quominus pro salutari paenitentia imponatur a) opus internum, e. g. meditatio, dummodo tamen aliqualiter coniunctum sit cum labore externo; b) opus pro defunctis offerendum; c) opus aliunde praeceptum. — Confessarius omnino ne imponat paenitentias incongruas. (Cf. S. Alphonsus, Theol. mor. 6, 513.)

§ 2. De acceptatione, impletione, commutatione satisfactionis.

675. **Acceptatio et impletio.** *Paenitens non solum acceptare sed etiam implere debet satisfactionem rationabiliter a confessario impositam.*

Ratio est, quia satisfactio est pars integralis sacramenti paenitentiae. Proinde ille, qui vult sacramentum suscipere, etiam eius partes integrales perficere debet. Haec obligatio censetur esse gravis, si a) accusata sunt peccata mortalia nondum remissa; b) si satisfactio imposita est gravis. — Dico autem: *rationabiliter* impositam satisfactionem esse acceptandam et implendam; nam, si confessarius vellet imponere satisfactionem irrationabilem, paenitens non teneretur eam acceptare vel posset ab alio confessario commutationem obtinere.

Si quis *oblitus* est satisfactionis acceptatae, satisfactio redditur impossibilis, nisi paenitens possit commode eundem confessarium adire, qui, si iam recordatur neque satisfactionis impositae neque etiam peccatorum auditorum, non tenetur

novam confessionem exigere (saltem totalem); sed sufficit, ut aliqualiter iudicare valeat de statu paenitentis, antequam novam satisfactionem sacramentalem imponat.

Ipse paenitens et non eius mandatarius implere debet satisfactionem impositam. Sicut enim ipse paenitens peccata commisit et accusavit, ita etiam ipse paenitens et non eius vices gerens satisfacere debet pro peccatis commissis.

Circa *tempus* et *modum* paenitentiae implendae haec breviter notentur:

1. Paenitentia implenda est tempore assignato et, si nullum tempus assignatum fuit, quam primum id moraliter fieri potest. Non requiritur quidem sed ordinarie valde expedit, ut paenitentia impleatur *ante communionem*. Si paenitentia tam diu differtur, ut impleatur post peccatum mortale iterum commissum, probabiliter satisfactum quidem est praecepto confessarii, sed, quomodo tunc paenitentia possit delere poenas temporales prioribus peccatis debitas, difficulter intellegitur. Quare valde hortandi sunt paenitentes, ut quam primum impleant saltem partem satisfactionis.

2. *Modus* persolvendae paenitentiae debet esse conformis praecepto et intentioni confessarii.

676. **Commutatio** satisfactionis impositae facile fieri potest *ante* absolutionem, cum tunc iudicium sacramentale nondum sit perfectum; *post* absolutionem autem acceptam potest ex iusta causa obtineri sive ab eodem sive ab alio confessario, non autem ab *ipso paenitente* vel ab alia persona, quae non habet iurisdictionem audiendi confessionem. Semper autem haec commutatio debet fieri, perdurante *morali* unione cum absolutione. Quare commutatio iam nequit fieri longo tempore post absolutionem datam[1]. Alius confessarius commutare non valet satisfactionem nisi vi novae absolutionis, quare e. g. nequit commutare satisfactionem impositam pro peccatis reservatis, a quibus ipse nequit absolvere. Ita sententia probabilior.

[1] Sunt auctores, ut Lugo, Ballerini, Arregui, docentes, paenitentiam posse ab eodem confessario commutari etiam post longum tempus et extra confessionem.

Caput III. De ministro sacramenti paenitentiae.

Dividitur hoc caput in 4 articulos, scil. 1. de potestate ministri; 2. de eius officio et obligationibus; 3. de modo agendi cum consuetudinariis, occasionariis, recidivis; 4. de abusu confessionis.

Art. 1. De potestate ministri.

In hoc articulo agemus: 1. de ministri potestate ordinis, de iurisdictione in genere; 2. de iurisdictione religiosorum et in religiosos; 3. de restrictione iurisdictionis; 4. de absolutione a casibus reservatis.

§ 1. De ministri potestate ordinis, atque de iurisdictione in genere.

677. Ad valide et licite administrandum sacramentum paenitentiae requiritur ex parte ministri: 1. potestas ordinis, 2. iurisdictio. Quare statuit Codex iur. can. c. 872: «Praeter potestatem ordinis ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis sive ordinaria sive delegata in paenitentem.»

1. **Potestas ordinis sacerdotalis** requiritur ex iure divino ad valide administrandum sacramentum paenitentiae. Est de fide definitum a Concilio Trid. (sess. 14, can. 10 de paenit.). Quare neque diaconus neque a fortiori laicus umquam potest impertiri validam absolutionem sacramentalem.

678. 2. **Iurisdictio** ecclesiastica in genere est potestas regendi, iudicandi, coercendi homines baptizatos in ordine ad sanctitatem et beatitudinem supernaturalem. Collatio autem iurisdictionis sacramentalis fit a superiore legitimo, qui designat sacerdoti approbato determinatos subditos, quorum peccata absolvere aut retinere

potest. Approbatio et iurisdictio hodie insimul ab eodem conceduntur. Ante novum Codicem alia disciplina viguit.

679. **Necessitas.** Ad valide absolvendum in sacramento paenitentiae requiritur ex iure tam divino quam ecclesiastico iurisdictio. Ita statuit Concilium Trid. (sess. 14, c. 7 de paenit.). Ratio est, quia sacramentum paenitentiae ex ipsa institutione Christi est iudicium. Iam vero nemo potest authentice iudicare nisi de suis subditis, in quos auctoritatem accipit per collationem iurisdictionis.

Ex iure ecclesiastico statuitur, ut iurisdictionis concessio a) sit *expressa* sive scripto sive verbis, quare non sufficit concessio tacita vel praesumpta; b) sit *gratis* data sine retributione (c. 879).

Divisio. Distinguitur: 1. iurisdictio *fori externi* (fori fori), quae ordinat fidelium relationes *sociales externas* ad Ecclesiam; et iurisdictio *fori interni* (fori poli), quae ordinat fidelium relationes *morales internas* cum Deo. Forum internum aut est forum *sacramentale*, quod in solo sacramento paenitentiae obtinet; aut forum *conscientiae*, quod etiam extra sacramentum paenitentiae in sola conscientia ligat et ordinat.

2. Iurisdictio *ordinaria*, quae est eo ipso connexa cum aliquo officio ecclesiastico rite obtento, e. g. cum officio episcopali; et iurisdictio *delegata*, quae sine officio ecclesiastico confertur sive a iure sive ab homine.

680. **Iurisdictio ordinaria** ad audiendas confessiones competit:

1. *Romano Pontifici et Cardinalibus* in toto orbe terrarum pro omnibus fidelibus, religiosis personis non exceptis (c. 239, § 1, n. 1). Papa potest limitare iurisdictionem omnium aliorum.

2. *Ordinariis locorum* (e. g. episcopo residentiali, vicario capitulari et generali) pro suo quisque territorio in omnes fideles ibi commorantes; extra autem territorium pro suis subditis.

3. *Paenitentiario ecclesiae tum cathedralis tum collegialis* pro omnibus commorantibus in dioecesi, immo pro omnibus dioecesanis etiam extra dioecesim (ib. c. 401, § 2; 873, § 2).

4. *Parocho aliisque qui loco parochi sunt* pro suis paroecianis ubique terrarum (c. 873, § 1).

5. *Superiori religioso exempto* pro suis subditis, ad normam constitutionum (ib. § 2). Subditi autem censentur non solum professi sed etiam novitii, postulantes, continui commensales, e. g. servi, discipuli collegii.

Nota. Omnes, qui habent iurisdictionem ordinariam, possunt suorum subditorum confessiones audire ubique terrarum neque indigent adhuc approbatione Ordinarii loci. Cardinales, paenitentiarii, parochi nequeunt delegare suam iurisdictionem (cf. Commissio Pont. d. 16 Oct. 1919).

681. Iurisdictio delegata obtinetur vel a iure vel ab homine.

1. *A iure* delegatur talis iurisdictio:

a) si paenitens in gravi periculo mortis versatur. Tunc enim quilibet sacerdos valide et licite absolvit quoslibet paenitentes (rite dispositos) a quibusvis peccatis et censuris, etiamsi praesens est sacerdos alius approbatus (c. 882). Attamen si moribundus postea convalescat, aliquando recursus est necessarius, ut infra dicetur. In tali periculo mortis censentur quoque esse milites mobilizati seu convocati ad bellum (S. Paenit. d. 12 Mart. 1912);

b) si sacerdos maritimum iter arripit, potest, dummodo rite acceperit facultatem audiendi con-

fessiones vel a proprio Ordinario[1] vel ab Ordinario cuiusvis portus, ad quem navis appellit, toto itinere non solum in navi, sed etiam in portu, ad quem obiter appellit, audire confessiones quorumlibet fidelium eosque absolvere etiam a casibus Ordinario reservatis (c. 883);

c) pro absolutione et peregrinorum et vagorum et catholicorum cuiusque ritus orientalis (c. 881, § 1);

d) iis sacerdotibus, quos sibi confessarios elegerunt Cardinales vel episcopi (c. 349).

2. *Ab homine* delegatur iurisdictio per liberam et expressam voluntatem, quae debet manifestari scripto vel verbis (c. 879, § 1). Pro concessione iurisdictionis nihil exigi potest (ib. § 2). Iurisdictionem ne concedant Ordinarii nisi iis, qui examine idonei reperti fuerint; si tamen agatur de sacerdote, cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habent Ordinarii, examen iam supervacaneum et omittendum est. Quodsi autem post concessam iurisdictionem prudenter dubitent, num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico paenitentiario (c. 877).

682. Supplet Ecclesia iurisdictionem:

1. *in errore communi,* i. e. si omnes fere vel saltem plurimi fideles alicuius loci putant talem sacerdotem audientem confessiones habere debitam iurisdictionem, quamvis reapse non habeat. Neque amplius requiritur sic dictus titulus coloratus; simpliciter enim et sine ulla limitatione statuit Codex iur. can. c. 209: «In errore communi ... iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro cum externo tum interno.» Ratio autem huius statuti est necessitas boni communis, quod secus gravissime laedere-

[1] Probabilius iste Ordinarius est etiam pro confessariis regularibus Ordinarius loci et non Ordinarius religiosus, quamvis nonnulli scriptores contrarium autument.

tur. Ecclesia autem non supplet iurisdictionem in errore privato, i. e. unius vel paucorum.

2. *in dubio positivo et probabili* sive iuris sive facti (ib.). Quare e. g. confessarius valide absolvit, si positive dubitat, num tale peccatum sit reservatum, num iurisdictio temporanea sit elapsa. Immo expresse statuitur: «Si, potestate pro foro interno concessa, actus (i. e. absolutio) *per inadvertentiam* positus est, elapso tempore vel exhausto casuum numero validus est» (ib. c. 207, § 2).

3. *si confessarius ignorans reservationem absolvit a censuris*. Excipiuntur tamen censurae aut ab homine aut specialissime reservatae S. Sedi (ib. c. 2247, § 3).

683. Iurisdictio cessat:

1. *revocatione* legitimi superioris. Attamen haec revocatio ne fiat (idem valet de suspensione iurisdictionis) nisi gravem ob causam (ib. c. 880, § 1). Patet per se, cum talis revocatio vel suspensio sit aliquid valde odiosum. Episcopus nequit, inconsulta S. Sede, omnibus alicuius domus religiosae formatae confessariis *una simul* iurisdictionem adimere (ib. § 3);

2. *exspiratione temporis praefixi;* sed si absolutio per inadvertentiam elapso iam tempore vel exhausto casuum numero data est, nihilominus valida est (c. 207, § 2);

3. *nonnullis censuris a delegato incursis*. Patet ex c. 873;

4. *amissione officii*, quocum coniuncta fuit iurisdictio (ib. § 3).

Nota. Non cessat iurisdictio, resoluto iure illius, qui eam concessit (e. g. morte aut translatione episcopi), nisi aliud ex additis clausulis apparet (c. 183, § 2; 207, § 1).

§ 2. De iurisdictione religiosorum et in religiosos.

Quoad iurisdictionem specialia statuta sunt
1. de confessariis ex clero religioso assumptis;
2. de paenitentibus, qui vivunt in statu religioso.

684. Confessarii ex clero religioso exempto assumpti possunt recipere iurisdictionem vel a) *ab Ordinario loci* ad audiendas confessiones quarumcumque personarum etiam religiosarum; ordinarie tamen ea ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui superioris (c. 874, § 1). Ordinarii locorum hanc iurisdictionem habitualiter ne concedant nisi religiosis a proprio superiore praesentatis; praesentatis vero eam ne denegent sine gravi causa (ib. § 2). Ergo religiosi confessarii amplius non iam recipiunt iurisdictionem immediate a S. Sede, ut antiquitus complures theologi putabant;

vel b) *a proprio superiore religioso* ad normam constitutionum, sed pro solis confessionibus subditorum, quales sunt professi, novitii omnesque, qui in domo religiosa diu noctuque degunt famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis causa (c. 875, § 1). Hanc iurisdictionem possunt iidem superiores delegare quoque sacerdotibus e clero saeculari aut ex alia religione.

Superiores religiosi possunt quidem confessionem audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petunt, at sine gravi causa id *per modum habitus* ne agant (c. 518, § 2). Idem valet de magistro novitiorum eiusque socio respectu novitiorum (c. 891), nisi adsit privilegium.

685. a) **Paenitentes viri ex statu religioso** (sive professi sive novitii) iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam possunt valide et licite absolvi (etiam a casibus in suo ordine reservatis) pro foro paenitentiae per quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum (c. 519). In singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro

sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis (c. 518, § 1). Ceterum reservatio casuum in institutis religiosis hodie videtur esse vix utilis et efficax, cum in casu particulari quilibet confessarius a reservatis absolvere possit, ut iam dictum est. — In *laicalibus* virorum religionibus, e. g. Alexianorum, deputetur confessarius ordinarius et extraordinarius; potest autem quilibet religiosus libere expostulare alium confessarium (c. 528).

b) **Paenitentes mulieres ex statu religioso.** Pro religiosarum mulierum *communitate* confessarius eget speciali iurisdictione collata ab Ordinario loci. Soli Cardinales possunt absolvere quaslibet personas etiam religiosas, ut iam dictum est (c. 876).

Regulariter unus dumtaxat *confessarius ordinarius* deputetur pro singulis domibus, qui, nisi accedat dispensatio:

α) sit aetatis saltem 40 annorum (c. 524);

β) ne deputetur ultra triennium (numquam autem ultra novennium continuum, c. 526);

γ) nullam habeat in easdem mulieres religiosas potestatem in foro externo (c. 524);

δ) nullo modo se immisceat interno vel externo regimini communitatis (ib. § 3).

Praeter confessarium ordinarium unicuique communitati religiosae deputetur *confessarius extraordinarius*, ad quem quater in anno omnes religiosae accedant oportet, saltem ut benedictionem accipiant, si nolint apud ipsum confiteri (c. 521). Insuper deputet Ordinarius unicuique domui religiosae aliquot *confessarios supplentes*, quos religiosae in casibus particularibus confessionis peragendae causa facile vocare possint (ib. § 2).

Praeter hos confessarios unicuique religiosae licet a) ad animi sui quietem et ad maiorem progressum spiritualem postulare specialem confessarium vel moderatorem (c. 520, § 2); b) adire alium confessarium pro mulieribus approbatum (c. 522). Ampliorem doctrinam de confessione religiosarum personarum dedi in Man. iur. eccl. q. 188 sqq.

§ 3. De restrictione iurisdictionis.

Praenotamen. Iurisdictio diversis modis restringi potest:

a) quoad *personas*, si excipiuntur a iurisdictione, e. g. moniales;

b) quoad *locum*, nempe quoad determinatum districtum;

c) quoad *tempus*, e. g. ad triennium;

d) quoad *peccata* nonnulla, si nempe confessarius nequit absolvere a quibusdam peccatis gravioribus. Quae quidem restrictio iurisdictionis vocari solet *reservatio casuum*, de qua nunc sola tractandum est.

686. **Notio.** *Reservatio casuum est avocatio alicuius casus (peccati vel censurae) ad speciale tribunal, ita ut nemo absolutionem impertire valeat nisi ipse reservans, eius successor, aut superior, vel delegatus* (cf. c. 893).

Duplex distinguitur modus reservationis, nempe ratione *censurae* et ratione *peccati*; ideoque distinguuntur censurae reservatae et peccata reservata. Deinde distinguuntur casus papales vel non-papales, prout sunt reservati vel Papae vel alii superiori.

Finis reservationis est bona disciplina ecclesiastica et efficacior medicina paenitentis (cf. cc. 897 et 2246, § 1). Sic enim quaedam graviora et perniciosiora peccata reservantur iudicibus excellentiore prudentia et experientia praeditis; paenitentes autem istis peccatis reservatis gravati recipiunt salutarem poenam medicinalem, quia debent in se sumere onus recurrendi ad altiorem confessarium et ordinarie etiam suscipiendi maiorem satisfactionem. Nihilominus reservatio, quamvis in se optima, hodie est parce adhibenda, cum paenitentes saepe non multum curent de ea et confessario inde non parvum onus accrescat. Hinc Ordinarii locorum peccata ne reservent, nisi, re in Synodo dioecesana discussa vel extra Synodum auditis Capitulo cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus

suae dioecesis animarum curatoribus, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit (c. 895). Ipsa vero reservatio ne ultra in vigore maneat, quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium exstirpandum et collapsam forte disciplinam christianam instaurandam (c. 897).

687. **Potestas reservandi casus** competit

a) *Summo Pontifici,* qui sibi complures censuras et unum peccatum reservavit (cf. c. 894), ut infra latius dicetur;

b) *Ordinario loci* pro sua dioecesi; attamen episcopus ne sibi reservet nimis multos casus (3—4) neve casus iam Summo Pontifici reservatos neve (regulariter) alios casus, quibus iam a iure censura aliqua etsi nemini reservata imposita est. Sufficit enim una poena medicinalis, neque requiruntur duae. Vicarius capitularis vel generalis, licet sint Ordinarii loci, tamen nequeunt sibi casus reservare sine speciali mandato;

c) *Superioribus religiosis exemptis* pro suis subditis. Inter superiores religionis clericalis exemptae unus superior generalis et in monasteriis sui iuris Abbas possunt sibi peccata subditorum reservare; sed solummodo praehabito proprio cuiusque Consilio (c. 896). Haec tamen reservandi potestas istorum superiorum religiosorum hodie nullius fere utilitatis practicae est, cum quilibet confessarius ab episcopo approbatus absolvere possit in casu particulari a reservatis in ordine, ut supra iam dictum est n. 685.

688. **Condiciones ad reservationem requisitae.** Peccatum nequit reservari quoad absolutionem, nisi:

a) sit *mortale* (obiective et subiective). Patet, quia reservatio peccati venialis est inutilis;

b) sit *externum,* etsi occultum. Licet enim Ecclesia valeat reservare etiam peccata interna, tamen id non facit in praxi (cf. c. 897);

c) sit *opere consummatum,* i. e. requiritur, ut verba reservationis in stricto sensu verificentur; si vel minimum deest, reservatio quoque deest;

d) sit *certum* et non dubium (i. e. dubio iuris, facti et gravitatis).

689. **Ignorantia** reservationis excusat a reservatione in omnibus *censuris* sive S. Sedi sive episcopo a iure reservatis (cf. tamen infra n. 742). Non autem excusat ignorantia a) a reservatione peccati falsae denuntiationis confessarii; b) a reservatione in *peccatis* episcopo reservatis, nisi tamen episcopus contrarium statuerit. Ita sententia probabilior. Reservatio est enim ad instar legis inhabilitantis, a qua ignorantia non excusat (c. 16, § 1).

§ 4. De absolutione a casibus reservatis.

690. 1. **In articulo vel periculo mortis** *omnis reservatio cessat, ita ut quilibet sacerdos (etiam praesente confessario facultatem habente*[1]*) possit absolvere a quolibet peccato et a quavis censura.* Ita statuit Concilium Trid. sess. 14, c. 7 de paenit. et Cod. iur. can. c. 882.

Si tamen huiusmodi moribundus postea reconvaluerit, recurrendum est ad legitimum superiorem eiusve delegatum, si absolutio data est:

a) a censura *specialissimo* modo reservata Romano Pontifici (c. 2252);

b) a censuris *publicis* et notoriis, saltem si scandalum est reparandum;

c) a censura lata *ab homine* (ib.).

In nullis aliis casibus recursus est necessarius.

[1] Sacerdos valide quidem sed illicite absolvit suum complicem in mortis periculo constitutum, si alius sacerdos praesens est (c. 884).

691. 2. **Extra articulum mortis** statuta sunt sequentia de absolutione casuum reservatorum:

1) *Absolutio casuum papalium* potest concedi

a) *a Cardinalibus,* qui possunt absolvere quoslibet paenitentes a quibuslibet peccatis et censuris, exceptis solis censuris specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis et illis, quae annexae sunt revelationi secreti S. Officii (c. 239, § 1, n. 1);

b) *ab Ordinariis* (i. e. episcopis etc., superioribus maioribus religionis clericalis exempte), qui possunt ex Cod. iur. can. c. 2237 suos subditos absolvere *pro foro interno* per se vel per delegatum ab omnibus censuris occultis, dummodo ne sint specialissimo vel speciali modo Papae reservatae. In *foro externo* possunt episcopi absolvere a censura incursa propter haeresim; ille autem, qui sic est absolutus, potest deinde in foro conscientiae absolvi a quolibet confessario (S. Off. d. 19 Febr. 1916; c. 2314, § 2). Vi facultatum specialium episcopis aliquando competit amplior facultas dispensandi;

c) *a quolibet confessario* in casibus urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat sine paenitentis gravi incommodo. Quamvis autem tunc concedatur absolutio *directa,* tamen, si id est moraliter possibile, absolutus tenetur, sub poena reincidentiae in easdem censuras, sive per se sive per confessarium recurrere infra mensem vel ad S. Paenitentiariam vel ad episcopum habentem speciales facultates, vel novam petere absolutionem a confessario habente potestatem absolvendi ab his casibus papalibus (c. 2254, § 1).

Casus urgentior adest, non solum si ex dilata absolutione oritur periculum gravis scandali vel infamiae, sed etiam si durum est paenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium, ut superior competens provideat. Quodsi paenitens non tam vivide cupit absolvi quam primum fieri potest, licet confessario hoc desiderium in eo prudenter excitare sicque dispositum absolvere. — In tali casu urgentiore quilibet confessarius potest absolvere etiam a casibus *specialissime* reservatis S. Sedi, e. g. sacerdotem, qui attentavit absolvere suum complicem. Sed numquam (extra mortis periculum) potest valide absolvere suum proprium complicem.

Si recursus faciendus intra mensem est *moraliter impossibilis,* e. g. quia paenitens nequit redire ad eundem confessarium, neque ipse scribere valet ad S. Paenitentiariam, tunc omisso recursu (nisi agatur de peccato absolutionis complicis) confessarius potest paenitentem absolvere, sed debet:

a) iniungere de iure iniungenda, e. g. reparationem scandali, damnorum etc.;

b) imponere congruam paenitentiam et satisfactionem pro censura, et quidem ita, ut paenitens, nisi intra congruum tempus a confessario definiendum paenitentiam egerit et satisfactionem dederit, recidat in censuram (c. 2254, § 3). E. g. paenitens, qui propter lectionem librorum haereticorum excommunicationem incurrit, potest in casu urgenti absolvi ab aliquo missionario in loco breviter commoranti, sed confessarius illi dicat: tu debes libros haereticos tradere vel comburere; insuper intra mensem debes bis recitare rosarium, secus in eandem censuram incidis.

692. 2) *Absolutio casuum episcopalium* potest concedi sicut absolutio casuum papalium, dummodo sint casus episcopo *a iure* reservati (nempe sex vel novem excommunicationes (cf. nostrum Man. iur. can. q. 680).

Confessarii regulares habentes privilegia Mendicantium probabilius possunt absolvere ab istis casibus episcopo *a iure* reservatis.

Casus, quos *proprio nomine* episcopus sibi reservat (sive cum sive sine censura), et qui, ne sint plus quam 3 vel 4, absolvi possunt a quolibet confessario *extra territorium reservantis* episcopi, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam paenitens ex territorio discesserit (c. 900, n. 3). Praeterea absolvi possunt *in territorio reservantis:*

a) *a simplici confessario,*

α) quoties (prudenti confessarii iudicio) absolvendi facultas a legitimo superiore peti nequit sine gravi paenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis (c. 900, n. 2);

β) quoties legitimus superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit (ib.);

γ) cum confessionem peragunt sive aegroti, qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa (ib. n. 1);

b) *a missionariis* tempore, quo missiones ad populum haberi contingit (c. 899, § 3). Videtur idem valere de iis, qui praedicant populo exercitia spiritualia;

c) *a parochis* (aliisque, qui nomine parochi in iure censentur) toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili;

d) *a canonico paenitentiario et vicariis foraneis* (decanis). Paenitentiario enim ista facultas absolvendi competit ipso iure; vicariis autem foraneis committenda est per episcopum, qui iis concedat etiam licentiam subdelegandi hanc facultatem in proprio districtu pro casu particulari (ib. § 2).

Quomodo in praxi confessarius debeat procedere, si occurrit aliquod peccatum reservatum, et praesertim quomodo recursus sit faciendus, videsis nostrum Man. theol. mor. III 426 sqq.

693. **Nota.** 1. Confessarius simplex (i. e. carens speciali facultate), qui *ex inadvertentia aut ex ignorantia* absolvit a casibus reservatis, valide absolvit, dummodo ne sit censura ab homine aut specialissime S. Sedi reservata (c. 2247, § 3). Ecclesia igitur in hoc casu supplet iurisdictionem, ut iam supra dictum est, ne paenitens detrimentum

capiat; idque eo vel magis, cum confessarius ex ignorantia egerit.

2. Confessarius simplex, qui *scienter sine necessitate* absolvit a casibus reservatis, graviter peccat et est ipso facto suspensus ab audiendis confessionibus (c. 2366); immo si praesumeret illegitime absolvere a casibus specialissimo vel speciali modo Summo Pontifici reservatis, incurreret excommunicationem Papae simpliciter reservatam (c. 2338, § 1).

3. A casibus reservatis *peregrini* et vagi absolvuntur prorsus eodem modo sicut indigenae. Contraria sententia multorum auctorum nunc relinquenda est post claram decisionem Commissionis Pont. d. 24 Nov. 1920 (Act. Ap. Sed. XII 575).

Art. 2. De confessarii officiis et obligationibus.

694. Quadruplex est munus confessarii, scil. *iudicis, doctoris, medici, patris.* Praecipuum autem eius munus est officium *iudicis,* cum sacramentum paenitentiae sit a Christo institutum per modum iudicii.

Agemus de officiis et obligationibus confessarii 1. ante confessionem; 2. in actu confessionis; 3. post confessionem.

1. Ante confessionem.

695. Confessarius debet se praeparare ad confessiones audiendas acquirendo sibi: a) scientiam sufficientem; b) prudentiam necessariam; c) virtutes christianas.

a) *Scientiam sufficientem* habet ille confessarius, qui scit casus communiter contingentes solvere et de difficilioribus prudenter dubitare. Haec scientia

acquirenda est sedulo studio atque conservanda continua repetitione.

b) *Prudentia valde est necessaria* confessario in interrogationibus faciendis, in iudicio ferendo, in remediis suggerendis, in consiliis dandis, in satisfactionibus imponendis.

c) *Virtutes christianae,* quibus praesertim indiget confessarius, sunt ardens zelus animarum, patientia indeficiens, fortitudo, eximia puritas.

2. In actu confessionis.

696. Confessarius debet in confessione

1. *recte iudicare* cum de peccatis auditis, tum de absolutione danda vel recusanda. Hinc studeat obtinere opportunis interrogationibus sufficientem notitiam de paenitentis statu animae.

Rituale Romanum (tit. 3, c. 1, n. 15) monet: «Si paenitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum sacerdos prudenter interroget.» Haec autem interrogatio sit:

a) *moderata, discreta, prudens.* Ideo statuit Codex iur. can. c. 888, § 2: «Caveat omnino, ne complicis nomen inquirat, ne curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa sextum Decalogi praeceptum, quemquam detineat, et praesertim ne iuniores de iis, quae ignorant, imprudenter interroget.» Si confessarius directe a paenitente inquireret *nomen complicis,* graviter abuteretur sacramento paenitentiae. Nihilominus inde non prohibentur interrogationes faciendae ad integritatem confessionis, quamvis per accidens tunc nomen complicis detegeretur.

b) *opportuna.* Generatim non expedit, *ante* omnino finitam accusationem interrogare paenitentem, quippe qui secus facile perturbetur et obliviscatur peccata accusanda. — Si paenitens celat aliquod peccatum grave, quod confessarius aliunde certo cognoscit, in interrogationibus omnino vitanda est violatio secreti praesertim sacramentalis. Hinc e. g. si sponsus aperte confessus est complura peccata cum sponsa peracta, et sponsa postea eadem peccata omnino celat, confessarius nequit licite ponere alias quaestiones sponsae isti quam cuicumque alii sponsae. Si vero sponsa rem adhuc celet, melius est absolutionem condicionate concedere (si cetera omnia adsunt) quam eam dissimulare.

2. *docere et monere paenitentem,* si hoc est consultum vel necessarium.

Docere debet confessarius paenitentem ignorantem non solum veritates scitu necessarias necessitate medii, sed etiam ea omnia, quae necessario pertinent ad contritionem, propositum, confessionem, satisfactionem etc. Aliquando confessarius tenetur quoque instruere paenitentes de officiis sui status, e. g. de officiis status coniugalis. Insuper si paenitens ex erronea conscientia iudicat aliquid esse peccatum, quod revera non est, aut grave peccatum, quod est revera leve, instruendus est, cum talis error valde noceat paenitenti. Sin autem paenitens ex conscientia erronea firmiter putat, aliquid esse licitum vel validum, quod est reapse illicitum vel invalidum, tunc paenitens est instruendus, si speratur bonus fructus; sin vero confessarius prudenter iudicat ex instructione secutura esse maiora mala, paenitens potest et debet relinqui in bona fide, secus enim ex peccatis materialibus fierent peccata formalia. — In *gravi dubio,* utrum profutura an obfutura sit instructio, ea pariter omittenda est.

Monere debet confessarius paenitentem de obligationibus necessario implendis, e. g. de restitutione facienda, de proxima peccandi occasione vitanda etc.

697. 3. *disponere paenitentem ad veram contritionem et emendationem.*

De hac re monet Rituale Rom. (tit. 3, c. 1, n. 17): «Et [confessarius eum] ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet remediaque peccatorum tradet.» Si confessarius prudenter iudicat, paenitentem esse bene dispositum, ad nihil aliud stricte tenetur nisi ad absolutionem dandam, sed semper fere expedit omnibus (etiam doctis et piis) innuere aliquod motivum contritionis et boni propositi. — Si confessarius *dubitat* de sufficienti contritione paenitentis, non potest eum absolvere, antequam eum rite disposuerit.

Signa sufficientis contritionis multa enumerantur, e. g. ipsa confessio *sponte* peracta ad praeceptum implendum vel ad statum gratiae acquirendum; non autem, si *solum* fiat confessio ex voluntate parentum, superiorum etc., ex quadam consuetudine; etiam sufficiens signum contritionis sunt seria assertio paenitentis, sincera promissio emendandae vitae, peculiare motivum accedendi ad confessionem, e. g. mors patris, contio audita etc.

4. *absolutionem dare aut negare aut differre.*

Absolutio danda est paenitenti rite disposito et confesso, qui eam hic et nunc petit (c. 886), neganda est paenitenti certe indigno et incapaci; *debet* differri, si paenitentis dispositio est plane dubia, nec adest urgens causa absolvendi illum condicionate; *potest* differri ad breve tempus paenitenti ceteroquin sufficienter disposito, si confessarius recte iudicat, dilationem esse utilem pro emendatione paenitentis, et si paenitens in dilationem consentit.

Si enim paenitens certe est dispositus et absolutionem hic et nunc petit, confessarius neque negare neque differre potest paenitenti absolutionem. Ita expresse Cod. iur. can. c. 886. Ratio est, quia paenitens recte dispositus, peracta confessione, videtur habere strictum ius, ut ipsi statim absolutio conferatur. Ita saltem iuxta modernam disciplinam (cf. nostrum Man. theol. mor. III 438).

3. Post confessionem.

698. Post confessionem duo praecipue sunt praestanda a confessario: alterum per accidens, alterum per se. Confessarius debet per se strictissime servare sigillum sacramentale; per accidens autem tenetur corrigere defectus in confessione forte commissos.

De obligatione corrigendi defectus.

Defectus potuerunt accidere:

1. *circa validitatem sacramenti,* e. g. si confessarius omisit absolutionem vel essentialia verba eius;

2. *circa integritatem sacramenti,* e. g. si confessarius omisit interrogare de specie vel de circumstantiis specificis peccatorum, vel imponere paenitentiam;

3. *circa obligationes paenitentis,* e. g. si confessarius omisit monere paenitentem de restitutione facienda.

1. Defectus circa validitatem sacramenti.

699. Defectus a confessario commissus circa validitatem sacramenti est corrigendus.

Ratio est, quia non tantum parochus aliique pastores animarum tenentur *ex iustitia* valide administrare sacramentum, verum etiam quilibet confessarius, quamvis non in eodem gradu. Etenim quilibet confessarius, semel audita confessione paenitentis, ex quasi-contractu ideoque ex iustitia tenetur valide sacramentum administrare. Proinde si hoc non facit, est iniustus damnificator, isque *materialis,* si hoc fecit absque omni culpa (quod in praxi raro accidit); sin autem cum culpa hoc fecit, est damnificator *formalis.* In utroque casu obligatur damnum causatum reparare.

Gravitas huius obligationis mensuranda est

a) *ex gravitate damni secus paenitenti obventuri,*

b) *ex gravitate culpae seu neglegentiae, quam confessarius commisit frustrando sacramentum.*

Res clarescit exemplis: 1. Confessarius, qui oblitus est dare absolutionem moribundo gravia peccata confesso, tenetur sub gravi hunc defectum corrigere, si possibile est. Esset enim gravissimum damnum pro paenitente, si sine absolutione valida mori debet. Insuper omissio absolutionis in tali casu vix fieri potuit sine culpabili neglegentia confessarii.

2. Confessarius, qui oblitus est dare absolutionem alii paenitenti rite confesso, serio quidem tenetur defectum corrigere, sed non cum gravi proprio incommodo. Etenim talis paenitens non ita magnum damnum ex non recepta absolutione patitur (saltem ordinarie), cum vel in sequenti communione probabiliter, vel in sequenti confessione certo, consequatur statum gratiae, si nondum eum habuit. Cf. nostrum Man. theol. mor. III 440.

2. Defectus circa integritatem.

700. Confessarius potest defectum circa integritatem confessionis committere dupliciter: a) *negative,* quando omisit interrogare de specie et numero peccatorum gravium aut imponere paeni-

tentiam; b) *positive*, quando expresse dixit: non est necessarium confiteri omnia peccata mortalia.

a) Defectus *negative* commissus reparandus quidem est in sequenti confessione, si id sine gravi incommodo fieri potest, sed non debet reparari *extra confessionem*.

b) Defectus *positive* commissus reparandus est cum intra tum extra confessionem; in hoc ultimo tamen casu, prius obtenta licentia paenitentis loquendi de rebus in confessione auditis. Ratio est, quia confessarius culpabiliter induxit paenitentem in errorem perniciosum.

3. Defectus circa obligationes paenitentis.

701. Hunc quoque defectum potest confessarius committere dupliciter: a) *negative*, quando omisit monere paenitentem de aliqua obligatione, e. g. de restitutione facienda, de scandalo reparando; b) *positive*, quando expresse errorem causavit paenitentis, e. g. vel illum excusando a restitutione necessaria vel illum obligando ad restitutionem non necessariam.

a) Defectus *negative* commissus est quidem ex caritate sub levi reparandus, sed non cum gravi incommodo. Ratio est, quia confessarius nemini graviter et culpabiliter nocuit. Proinde si confessarius omisit monere paenitentem de obligatione restitutionis, non tenetur ipse restituere illi, cui debebatur res restituenda; quia ex iustitia non tenetur curare, ut damnum tertiae personae reparetur (cf. S. Alphonsi Theol. mor. VI 621). Aliud est, si omissio aequivalet positivae excusationi. Tunc enim valet sequens regula.

b) Defectus *positive* commissus a confessario etiam cum proprio damno reparandus est. Talis enim confessarius est iniustus damnificator consulens damnum. Quando igitur cum gravi culpa paenitentem ad restitutionem falso induxerit vel ab ea falso excusaverit, tenetur sub gravi hunc defectum corrigere; et si hoc non fecerit, debet ipse confessarius restituere et quidem paenitenti, quem falso induxit ad restituendum, vel tertiae personae, si paenitentem falso excusavit ab obligatione restituendi.

4. De sigillo sacramentali.

702. **Notio.** *Sigillum sacramentale seu confessionis est strictissima obligatio servandi secretum de omnibus, quae in ordine ad absolutionem sacramentalem a paenitente dicta sunt, et quorum revelatio redderet sacramentum onerosum vel odiosum.*

Haec definitio amplius clarescet, si explicabitur subiectum, obiectum, obligatio, violatio sigilli.

Subiectum sigilli primario quidem est confessarius, secundario autem omnes, qui (fortuito vel ex industria, legitime vel illegitime) aliquid ex confessione sacramentali perceperunt, non autem ipse paenitens (cf. c. 889).

Hinc ad sigillum tenentur:

a) *confessarius*, etiam si extra sacramentum de peccatis in confessione accusatis consulitur. Pariter ille, qui fingens se esse sacerdotem, confessiones excipit (S. Thom. 4, dist. 21, q. 3, a. 1, sol. 3);

b) *interpres* adhibitus in confessione (c. 889);

c) *superior*, ad quem confessarius vel paenitens recurrit pro absolutione casus reservati;

d) *theologus consultus* a confessario ex expressa licentia paenitentis;

e) *legentes* alterius confessionem scriptam, saltem si invenitur in manibus confessarii aut in stricto loco confessionis, i. e. in loco in quo sedet confessarius;

f) *auscultantes* sive fortuito sive de industria ea, quae paenitens in confessione dicit, nisi tamen paenitens sine ratione nimis alte loquitur et non curat de circumstantibus.

Nota. Quamvis ipse paenitens non teneatur sigillo sacramentali, quippe quod introductum sit in ipsius favorem, tamen tenetur secreto *naturali et commisso* circa ea, quae confessarius ipsi dixit, saltem si ex revelatione oriretur aliquod incommodum, sicut solet fieri.

703. **Obiectum** sigilli seu eius materia sunt:

a) omnia peccata mortalia in genere et in specie, atque omnia peccata venialia in specie (non autem in solo genere) accusata, nisi tamen confessario aliunde nota sint;

b) ea omnia, quae ratione confessionis cognita sunt, et quorum revelatio cederet in gravamen paenitentis.

Resolves. 1. Confessarius tenetur ad sigillum, etsi debuit denegare absolutionem, quia non ex absolutione, sed ex confessione sacramentali oritur obligatio sigilli.

2. Obiectum sigilli est quoque paenitentia imposita, *saltem si est gravis,* cum ex gravi paenitentia imposita aliquis possit concludere de gravitate peccatorum accusatorum. Pariter ad sigillum pertinent notitia complicis et absolutio negata (non autem concessa). Attamen in praxi confessarius ne dicat vel scribat, talem paenitentem a se esse absolutum, sed solummodo, si id legitime exigitur, talem paenitentem peregisse confessionem.

3. *Defectus naturales* paenitentis, e. g. eius scrupulositas, natales illegitimi, ruditas etc., sunt materia sigilli, si ex sola confessione cognoscuntur, et si paenitens eos conatur celare extra confessionem.

4. Confessarius audita confessione alicuius furis notorii potest quidem loqui de istis furtis notoriis, utpote iam aliunde notis, at minime dicere potest: iste fur publicus mihi confessus est sua furta.

5. Non est quidem directe contra sigillum, si confessarius dicit: paenitens tam innocenter vixit, ut vix peccata venialia confiteatur, quia quilibet homo committit peccata venialia; sed huiusmodi locutiones vitandae sunt, sicuti etiam narrationes de virtutibus et donis paenitentis, quia paenitentes solent aegre ferre tales narrationes. Quare iure merito statuit Codex iur. can. c. 1757, § 3, n. 2 in processu canonizationis: «Incapaces (ad testimonium ferendum) sunt sacerdotes, quod attinet ad ea omnia, quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi a vinculo sigilli soluti sint.»

6. Confessarius non tenetur ad sigillum, si paenitens non confitendi causa sed ex alio motivo, e. g. ad tentandum sacerdotem, ad eius subsidium quaerendum, narravit peccata. Ratio est, quia sola *confessio sacramentalis* est radix, ex qua oritur obligatio sigilli sacramentalis.

Nota. *Extra confessionem* nec cum ipso paenitente potest confessarius licite loqui de peccatis in confessione accusatis, nisi praehabita licentia ipsius paenitentis prorsus libere concessa; *in ipsa autem confessione* confessarius potest loqui etiam de peccatis in prioribus confessionibus declaratis. — Si paenitens duobus confessariis confessus est sua peccata, isti confessarii inter se nequeunt loqui de peccatis auditis, nisi tamen cum licentia expressa praenitentis.

704. **Obligatio** sigilli est strictissima, ita ut eius violatio (saltem si est directa) non admittat parvitatem materiae neque ullam exceptionem. Oritur ex triplici fonte:

1. *ius naturale* exigit sigillum, quia paenitens peccata sua non manifestat nisi sub condicione secreti. Intercedit igitur quasi-contractus, ex cuius laesione laeditur ius naturale et oriuntur paenitenti gravia damna;

2. *ius positivo-divinum* (non quidem explicite sed implicite) exigit sigillum, quia Christus instituens sacramentum paenitentiae per *modum iudicii,* in quo fideles tenentur accusare propria peccata, implicite instituit sigillum, quia secus accusatio peccatorum redderetur moraliter impossibilis;

3. *ius ecclesiasticum* pluries praecepit sigillum (Decr. Gratiani c. 2, dist. 6 de paenit., Conc. Lat. IV). Codex iur. can. c. 889, § 1 statuit: «Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius, ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem.»

Obligatio sigilli tam stricta est, ut

a) *nemo possit in ea dispensare;*

b) *non liceat adhibere epikeiam;*
c) *non liceat uti probabilismo* (sive agatur de iure sive de facto).

Licentia paenitentis excusat a sigillo, dummodo sit libere data; non autem sufficit licentia *praesumpta* aut *invita*. Quam quidem licentiam valde raro et nonnisi ob gravem causam confessarius petat a paenitente; qui si eam negat, obligatio sigilli manet, quamvis forte sit neganda absolutio.

705. Quamvis obligatio sigilli non prohibeat omnem usum scientiae ex confessione haustae, tamen etiam iste usus ordinarie graviter est illicitus. Quare statuit Codex iur. can. c. 890:

«Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae *cum gravamine paenitentis,* excluso etiam quovis revelationis periculo. Tam superiores pro tempore exsistentes quam confessarii, qui postea superiores fuerint renuntiati, notitia, quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt.» Immo ut vel quodlibet periculum talis usus praecaveatur, prohibentur (de iure communi) magister novitiorum eiusque socius, superior seminarii collegiive audire sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant (c. 891).

706. Unde resolves: Non licet uti notitia confessionis:

1. *ob maximum bonum spirituale vel temporale.* E. g. confessarius nequit confiteri suum proprium peccatum, cuius accusatio laederet sigillum; nequit fugere vel omittere Missam, si ex sola confessione scit, sibi imminere mortem vel propinari vinum venenatum; nequit e domo eicere ancillam, quam ex sola confessione scit esse gravidam aut esse furem;

2. *ob bonum rei publicae.* E. g. confessarius cognoscens ex sola confessione aliquem esse proditurum patriam vel occisurum aliquem innocentem, nequit hoc prodere;

3. *ob bonum religionis.* E. g. confessarius cognoscens ex sola confessione, aliquem indigne communicaturum esse, nequit hoc prodere; immo tenetur illi petenti communionem administrare.

Licet uti scientia confessionis ad proprios mores reformandos, ad specialiter orandum pro paenitente, ad melius studendum Theologiae morali, ad consulendum viros doctos. Sed in hoc ultimo casu diligentissime vitandum est omne periculum laesionis sigilli.

707. **Violatio sigilli** dupliciter accidere potest: directe vel indirecte.

1. *Directe* violatur sigillum, si materia sigilli simul cum persona paenitentis revelatur, e. g. confessarius narrat: Petrus mihi confessus est adulterium.

Haec directa violatio sigilli non admittit parvitatem materiae et est semper gravissimum peccatum cum contra iustitiam tum contra religionem; quare quoque plectitur confessarius eam praesumptuose perpetrans gravissima poena ecclesiastica, scil. excommunicatione specialissime S. Sedi reservata (c. 2369, § 1).

2. *Indirecte* violatur sigillum, si ex iis, quae confessarius loquitur aut agit, oritur *proximum periculum* cognoscendi peccatum paenitentis vel reddendi sacramentum odiosum.

Ideo in indirecta violatione sigilli non requiritur, ut paenitens eiusque peccatum manifestentur, sed sufficit, ut id probabiliter fieri possit; in ea potest esse materia levis, cum periculum sit leve. Sin autem confessarius *cum gravi culpa* indirecte violavit sigillum, tam graviter puniendus est quam confessarius, qui commisit crimen sollicitationis, scil. suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur, privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, inhabilis ad ea omnia declaretur, in casibus gravioribus degradationi subiciatur (ib.). — Ceteri (praeter confessarium) temere violantes sigillum sacramentale pro reatus gravitate plectantur salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio (ib. § 2).

708. **Aliqui modi, quibus indirecte violatur sigillum:**

a) si confessarius ex sola notitia confessionis narrat, in aliquo collegio vel conventu vel parvo pago grassari peccata luxuriae; sin autem communitas est magna (saltem 3000 in-

colarum), non esset quidem laesio sigilli, sed aliquando nihilominus imprudens locutio;

b) si confessarius narrando aliquid ex confessione tales circumstantias describit, ut paenitens probabiliter cognosci possit;

c) si confessarius, cognoscens ex confessione filiam noctu egredi, admonet parentes, ut specialiter invigilent filiam;

d) si confessarius recusat audire confessionem alicuius paenitentis ex eo solo motivo, quia illum ex praecedenti confessione cognoscit scrupulosum aut consuetudinarium;

e) si confessarius recusat «schedulam confessionis» (ubi talis schedula est in usu) paenitenti non absoluto.

Monitum practicum. S. Officium d. 9 Iunii 1915 dedit super inviolabili sanctitate sigilli sacramentalis ad locorum Ordinarios familiarumque religiosarum Moderatores specialem Instructionem, in qua graviter monuit, ne confessarii «quavis sub forma et quovis sub praetextu, ne obiter quidem et neque directe neque indirecte» umquam aliquid ex confessione in publicis vel privatis sermonibus narrent, quantumvis absit violatio directa vel indirecta sigilli. Ex talibus enim narrationibus aliquando potest oriri scandalum fidelium. Quare uno verbo: *Confessarius ne loquatur de rebus confessionis, nisi cum Deo orando pro paenitentibus.*

Art. 3. De modo agendi cum occasionariis, consuetudinariis, recidivis.

§ 1. De occasionariis.

709. **Notiones.** *Occasionarii* vocantur ii, qui versantur in occasione peccandi. Iamvero occasio peccandi est aliquid homini *extrinsecum* (persona, res, liber, spectaculum etc.) vehementer alliciens ad peccandum et commoditatem peccandi praebens.

Unde concludes, occasionem peccandi differre

a) *a periculo peccandi* sicut speciem a genere; omnis enim occasio est periculum, sed non vicissim; namque periculum peccandi oriri quoque potest ab aliquo intrinseco, e. g. a passione, consuetudine etc.;

b) *a scandalo* (quamvis satis parum aliquando), quod quidem allicit ad peccandum, sed non semper praebet commoditatem peccandi.

710. **Divisiones occasionum.**

Distinguitur: Occasio *remota* et *proxima*. Occasio *remota* non fert secum nisi leve periculum peccandi, in quo homo raro peccare solet. Occasio *proxima* est grave periculum externum peccandi vel pro omni homine vel pro tali homine. Gravitas autem huius periculi aestimanda est a) *ex communiter contingentibus* (e. g. lectio libri valde obsceni; b) *ex frequentia relapsus* (e. g. caupona pro bibulo habituato); c) *ex indole paenitentis* (e. g. amasia pro iuvene luxurioso).

Occasio proxima subdividitur:

1. *in absolutam* et *relativam*, prout aliquid externum causat grave periculum peccandi vel cuilibet homini (e. g. lectio libri valde obsceni) vel soli homini determinato (e. g. caupona pro bibulo habituato);

2. in *voluntariam* et *necessariam*, prout satis facile (e. g. caupona) vel omnino non potest vitari (domus paterna pro filio minorenni);

3. in *continuam* (vocatur quoque in esse seu praesens) et *interruptam* (non in esse, non praesens), prout quis semper et continuo in tali occasione versatur (e. g. concubina in domo), vel solum aliquando in ea est (e. g. caupona pro ebrioso).

Absolutio occasionarii.

711. **Regula 1.** *Absolutio concedi potest paenitenti* a) *exsistenti in occasione remota;* b) *in occasione proxima necessaria, dummodo tamen serio promittat adhibendi media necessaria ad cavendum peccatum.*

Ratio primi est, quia omnes vivunt in remota occasione peccandi, quam impossibile est vitare.

Ratio secundi est, quia, si paenitens serio promittit adhibere media necessaria ad cavendum peccatum, vincet tentationes, Deo iuvante, «qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis» (1 Cor. 10, 13). Praecipua media, quibus occasio proxima necessaria redditur remota, sunt: fervens oratio, frequens confessio, fuga omnis familiaritatis et solitariae conversationis cum complice. — Quando paenitens promisit quidem haec media necessaria, sed, iis postea neglectis, iterum cadit in eadem peccata, tractandus est sicut *recidivus,* de quo infra § 3.

Regula 2. *Absolutio deneganda est paenitenti, qui recusat deserere occasionem proximam voluntariam.*

Ratio est, quia talis paenitens merito censetur non habere sinceram voluntatem vitandi peccatum. Hinc damnavit Innocentius XI d. 2 Martii 1679 propositionem 61: «Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin immo directe et ex proposito quaerit aut ei se ingerit» (cf. quoque prop. 62 et 63).

Nota. Generatim *differenda* est absolutio illi paenitenti qui versatur in occasione proxima voluntaria et *continua*, usquedum paenitens *reapse* hanc occasionem removerit, saltem si agitur de recidivo. Hinc e. g. concubinarius generatim non est absolvendus, antequam concubinam e domo eiecerit, praesertim si iam in priore confessione hanc eiectionem promiserit et nihilominus executus non fuerit. Dixi *generatim*, quia sunt exceptiones in quibus potest statim concedi absolutio, dummodo paenitens serio promittat deserere occasionem proximam voluntariam (cf. nostrum Man. theol. mor. III 451).

§ 2. De consuetudinariis.

712. Notio. *Consuetudinarius (seu habituatus) dicitur ille, qui ex repetitione peccatorum eiusdem speciei contraxit habitum committendi eadem peccata.* Sin autem haec peccata iam iterum iterumque confessus est et nihilominus iterum iterumque commisit, non solum est consuetudinarius, sed etiam recidivus, de quo in § 3.

Quot actus ad pravum habitum acquirendum sint necessarii, nequit absolute determinari. Hoc enim dependet a) *a debilitate voluntatis non resistentis;* b) *a peccati natura et modo;* c) *ab intervallo singulorum peccatorum.* Iuxta S. Alphonsum (Prax. conf. n. 70) aliquis censetur habitum peccati contraxisse, qui quinquies in mense peccatum *externum* solet committere. Pro peccatis autem *internis* (e. g. pro pravis desideriis) multo maior numerus requiritur, forte quinquies in hebdomada. Consuetudo peccandi potest oriri vel ex occasione externa, et tunc consuetudinarius est simul occasionarius, vel ex tentatione diabolica vel passione inordinata, et tunc est proprie consuetudinarius, de quo valet sequens regula.

713. Absolutio. *Consuetudinarius potest et debet absolvi, quando est vere attritus et sincere promittit adhibere media necessaria ad pravam consuetudinem vincendam.*

Ratio est, quia prava consuetudo per se nullo modo arguit indispositionem paenitentis. Porro iuxta adagium: paenitenti credendum est cum pro se tum contra se loquenti, paenitens firmiter asserens suam attritionem et propositum adhibendi media necessaria contra suam pravam consuetudinem fide est dignus et absolutionis capax. Huic doctrinae non est opposita propositio 60 damnata ab Innocentio XI (cf. nostrum Man. theol. mor. III 452).

§ 3. De recidivis.

714. Notio. *Recidivus* (in sensu stricto et formali) *est ille, qui post iteratas confessiones (3 vel 4) alicuius peccati in idem peccatum ita semper cadit, ut merito eius mala voluntas conici possit.*

In sensu *lato* omnes nos sumus recidivi, quia omnes iteravimus peccata post confessiones. Sed de istis recidivis non est sermo. Signum quasi characteristicum recidivi formalis videtur esse, quod ille post iteratas confessiones (3 vel 4) idem delictum et in talibus circumstantiis rerum et temporis committit, ut eiusdem pertinacia in mala voluntate prudenter conici possit (cf. c. 2208, § 1).

Differt recidivus formalis a consuetudinario, ut iam dictum est; veteres tamen theologi haud raro promiscue loquuntur de recidivo et consuetudinario; unde isti prudenter legendi sunt. De absolutione recidivi formalis valet sequens regula.

715. Absolutio. *Recidivus regulariter absolvi nequit, nisi specialibus signis prius expulerit praesumptionem indispositionis contra ipsum exsistentem.*

Dico: *regulariter,* nam in casu necessitatis sacramentum administrari potest etiam dubie disposito. Ratio autem regulae allatae est, quia ex relapsu in eadem prorsus peccata sine ulla emendatione oritur vehemens praesumptio, quod paenitens careat sincera attritione et firmo proposito. Etenim vix possibile est, ut homo ex

intimo corde dolens de peccatis commissis et firmiter proponens adhibere media necessaria ad emendationem prorsus *eodem modo* cadat in eadem peccata. Quare haec praesumptio contra paenitentem orta destruenda est; quod quidem non fit simplici assertione paenitentis. Cum enim paenitens iam iterum iterumque asseruerit suam emendationem futuram eamque nihilominus nullo modo produxerit, eius assertio simplex non meretur nisi parvam fidem. Proinde suam assertionem debet confirmare *specialibus signis* contritionis et firmi propositi.

716. **Specialia signa** contritionis et firmi propositi sunt e. g. spontanea fuga occasionis proximae, firmitas propositi saltem per aliquod tempus post confessionem, spontanea confessio, praesertim tempore inconsueto, peregrinatio pia ad confessionem peragendam, exercitia spiritualia etc. Regula generalis sit: *Omnibus circumstantiis pensatis confessarius debet habere sufficientem certitudinem, quod paenitens hic et nunc sincere doleat de peccatis commissis et firmiter proponat amplius non peccare.* Non enim confessarius debet principaliter curare, quid *post* confessionem eventurum sit, sed quamnam dispositionem habeat paenitens hic et nunc. — Si paenitens recidivus post opportunam exhortationem remanet *dubie dispositus,* absolutio ad *breve tempus* differenda est; in casu tamen necessitatis sub condicione danda est. Per se patet confessarium non rudibus sed humanissimis verbis debere alloqui huiusmodi paenitentem. Memor sit illius: «Fortiter in re, suaviter in modo.» Propter fidei infirmitatem, qua laborant hodie complures recidivi, absolutio raro est differenda, cum haec dilatio saepe magis obsit quam prosit.

Art. 4. De abusu confessionis.

Solent assignari tres modi abutendi confessione: 1. prohibita inquisitio nominis complicis; 2. absolutio complicis in peccato turpi; 3. sollicitatio ad turpia occasione confessionis.

§ 1. De inquisitione complicis.

717. **Principium 1.** *Obiective grave peccatum ordinarie committit confessarius, qui directe inquirit a paenitente nomen complicis sui.*

Ratio est, quia talis directa inquisitio solet confessionem reddere valde odiosam.

Quare statuit Codex iur. can. c. 888, § 2: «Caveat omnino (confessarius), ne complicis nomen inquirat.» Poenae autem ecclesiasticae antiquitus exsistentes contra illos, qui docent licite posse inquiri nomen complicis, non sunt renovatae in novo Codice ideoque sunt abrogatae.

Ob gravissimum bonum commune vel tertiae personae confessarius (etiam sub minatione denegandae absolutionis) exigere potest, ut paenitens denuntiet suum complicem, e. g. si puer in collegio vivens confitetur peccatum luxuriae commissum cum condiscipulo, qui solet alios pueros seducere, potest cogi a confessario, ut hunc pessimum seductorem denuntiet. Multo autem melius est, ut haec denuntiatio non fiat ipsi confessario (intra vel extra confessionem) sed competenti superiori.

718. **Principium 2.** *Confessarius potest licite inquirere de peccatorum circumstantiis necessario declarandis deque occasione proxima exsistente etc., quamvis tunc per accidens notitiam complicis assequatur.*

Ratio est, quia confessario incumbit obligatio procurandi pro viribus integritatem confessionis. Quare e. g. si iuvenis, quem cognoscit confessarius, confitetur fornicationes commissas, confessarius potest et debet interrogare, num iuvenis degat in proxima occasione voluntaria vel necessaria, continua vel non continua peccandi, quamvis statim tunc femina complex dignoscatur.

§ 2. De absolutione complicis.

719. **Ius vigens.** a) «Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis

periculo; b) et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV ‚Sacramentum Paenitentiae' 1 Iunii 1741.» Ita Cod. iur. can. c. 884. — De poenis latis contra absolventes complicem infra sermo erit.

Ad magis explicandum hoc ius vigens oportet accurate videre, quomodo hic sumantur: 1. absolutio; 2. complex; 3. peccatum turpe.

720. **I. Absolutio,** quae a iure vigente graviter prohibetur sub poena excommunicationis, est absolutio *vera* vel *ficta*. Unde haec poena non incurritur:

a) si confessarius tantum audivit confessionem complicis, non autem ipsum absolvit; immo probabiliter, si quidem absolvit ab aliis peccatis, sed expresse dixit, se nolle absolvere a peccato complicitatis;

b) si paenitens peccatum complicitatis *sua sponte* reticuit in confessione. Sin autem confessarius directe vel indirecte induxit paenitentem ad reticendum hoc peccatum, non effugit excommunicationem absolvens vel fingens absolvere complicem suum (S. Paenit. d. 19 Febr. 1896). *Directe* induceret paenitentem confessarius, qui diceret ei: Cave, ne confitearis istud peccatum; *indirecte* autem, si persuaderet paenitenti, actum commissum non fuisse graviter malum, vel non esse necessario accusandum in confessione, quoniam ipsemet confessarius iam aliunde cognoscat istud factum.

Absolutio complicis in peccato turpi *invalida* est, cum confessarius ordinarie nullam habeat iurisdictionem illud directe remittendi; immo iuxta complures theologos totaliter privatus est iurisdictione respectu sui complicis, cuius peccatum complicitatis nondum directe remissum est. Sunt tamen *exceptiones*.

Absolutio complicis valida est:

1. in *periculo mortis*. Attamen si praesens est alius sacerdos etiam non approbatus, cui paenitens moribundus potest et vult confiteri, absolutio data a sacerdote complice est quidem valida, sed graviter illicita et causat poenam excommunicationis.

2. Iuxta complures graves auctores (Lehmkuhl, Tanquerey, Bucceroni, D'Annibale, Noldin etc.) absolutio complicis est valida et licita etiam extra periculum mortis, nempe *in extraordinariis adiunctis*, quae fere aequivalent extremae necessitati, scil. in locis dissitarum missionum, in quibus nullus alius sacerdos, praeter complicem, inveniatur, nec etiam paenitens potest longum iter arripere ad inveniendum alium confessarium. Tunc enim adhibendo *epikeiam* sacerdos potest suum complicem valide et licite absolvere. Attamen in isto casu absolutio esset *indirecta*, ac proinde paenitens tenetur postea, quando erit possibile, peccatum complicitatis alii confessario confiteri. — Ratio, quare in hoc casu licite adhibeatur epikeia, est, quia est conflictus duarum legum. Lex divina praecipit, aliquando (saltem semel in anno) esse digne sumendam ss. eucharistiam. Lex ecclesiastica prohibet confessionem factam sacerdoti complici. Ergo si alius confessarius nequit haberi, tunc videtur praevalere lex divina.

3. Si confessarius bona fide, i. g. non advertens peccatum complicitatis, absolvit paenitentem complicem, probabilius absolutio est valida, sed *indirecta*, ut in casu praecedenti, neque excommunicationem incurrit.

4. Pariter videtur esse *valida* absolutio (sed *indirecta*), quando paenitens sua sponte et in bona fide reticet peccatum complicitatis. Item si in casu urgentissimo ante absolutionem confessarius expresse dicit, se nolle dare absolutionem a peccato complicitatis, sed a solis aliis peccatis. Attamen in utroque hoc casu confessarius videtur valde illicite agere (cf. nostrum Man. theol. mor. III 458).

5. Si complicitas non fuit *formalis*. Quaenam requirantur ad complicitatem formalem, statim dicetur.

721. **II. Complex** (seu socius criminis) potest essse quilibet homo capax peccati mortalis; immo etiam persona, quacum sacerdos ante susceptum sacerdotium peccavit, remanet complex, nisi tamen hoc peccatum iam est directe remissum. Neque videtur esse necessarium, ut complicitas sit *immediata*, i. e. ut opus ipsum luxuriosum fuerit patratum inter sacerdotem et complicem, sed videtur sufficere, ut uterque interius exteriusque idem grave peccatum contra castitatem commiserit. Hinc e. g. videtur adesse peccatum complicitatis, si maritus externe cooperatus est, ut cum uxore possit facere sacerdos adulterium. Complures tamen theologi, e. g. Noldin, Arregui etc., requirunt complicitatem *immediatam*.

Omnino requiritur *complicitas formalis* et quidem cum tempore peccati tum tempore absolutionis. Tempore *peccati* complicitas formalis deest, si sacerdos larvatus peccavit cum muliere, quae illum non cognovit ut sacerdotem, si sacerdos peccavit cum muliere reluctante, totaliter ebria, amente, dormiente. Tempore *absolutionis* non adest complicitas formalis, si confessarius in confessione vel omnino non cognoscit suum complicem, vel serio dubitat. Non enim debet interrogare paenitentem: Numquid fecisti istud peccatum mecum? — Ratio horum omnium est, quia, si deest complicitas formalis, non adest abusus confessionis, quem vult Ecclesia evitare.

Obiectum complicitatis est peccatum turpe, de quo statim.

722. **III. Peccatum turpe** est quodlibet peccatum contra castitatem, dummodo sit a) grave (obiective et subiective); b) externum; c) certum; d) nondum directe remissum.

Ergo excluduntur:

a) *peccata contra alias virtutes,* e. g. furtum, homicidium. Potest igitur confessarius suum complicem in furto absolvere, sed nemo non videt, quam indecens sit talis absolutio;

b) *peccata contra castitatem,* quae sunt levia sive propter imperfectionem actus sive propter conscientiam erroneam. Hinc e. g. mulier, quae ex conscientia erronea certo putaret, inhonestos tactus a sacerdote factos non esse grave peccatum, posset ab hoc sacerdote absolvi, qui excommunicationem tunc non incurreret;

c) *peccata interna,* ut delectatio morosa, desideria;

d) *peccata iam antea directe remissa.* Quare si quis peccatum turpe cum sacerdote commissum iam rite confessus est alteri sacerdoti atque absolutus est, potest idem peccatum tamquam materiam liberam confiteri sacerdoti complici; sed tamen huiusmodi confessio ordinarie est dissuadenda.

723. **Poenae.** Excommunicationem *specialissime* S. Sedi reservatam ipso facto incurrit sacerdos «absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi . . . idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos (licet non approbatus ad confessiones) sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri. Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est» (c. 2367).

Cum omnes poenae sint stricte interpretandae, *haec excommunicatio non incurritur:*

a) in casibus supra n. 720 allatis, in quibus absolutio valide et licite data est;

b) si complex sponte sua et neque directe neque indirecte a confessario inductus reticet peccatum complicitatis. Sed confessarius in hoc casu graviter peccat, insigniter abutens confessione.

724. **Absolutio ab hac excommunicatione** potest quidem in casu urgentiore a quolibet confessario concedi, sed recursus intra mensem ad S. Paenitentiariam est semper necessarius, quae solet sat duras imponere paenitentias; immo si sacerdos ter aut pluries suum complicem absolvit, ordinarie ei mandatur, ut munus confessarii in perpetuum deponat. In recursu ad S. Paenitentiariam declarare oportet, quot vicibus sacerdos suum complicem (vel complices) absolverit.

§ 3. De sollicitatione ad turpia.

725. **Ius vigens.** «Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV ‚Sacramentum Paenitentiae' 1 Iunii 1741 debet paenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario vel S. Congregationi S. Officii; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere paenitentem monere» (c. 904).

726. 1. **Condiciones requisitae,** ut hoc crimen sollicitationis et obligatio denuntiandi ad-

sint, fere deducuntur ex ipsa notione huius criminis. *Est autem crimen sollicitationis provocatio ad grave peccatum luxuriae facta a sacerdote abutente ad hunc finem confessione sacramentali vera aut simulata.* Ergo requiritur:

a) *ut sit provocatio ad grave peccatum contra castitatem.*

Ergo sollicitatio inducens poenas ecclesiasticas non exsistit, si provocatio facta est

α) ad aliud peccatum, e g. ad furtum;

β) ad aliquid inhonestum quidem, sed quod non est *certe et obiective* peccatum mortale, e. g ad osculum obiter datum. Attamen non requiritur ad poenas incurrendas, ut sollicitatio fuerit α) *efficax,* i. e. induxerit alium ad verum peccatum; β) ad peccandum *cum ipso sacerdote.* Hinc videtur adesse crimen sollicitationis, si confessarius e. g. excitaret iuvenem ad peccandum cum aliqua puella.

b) *ut sollicitatio fiat a sacerdote formaliter ut confessario,* seu aliis verbis: *ut adsit revera abusus confessionis.*

Hinc non adest haec sollicitatio, si clericus vel laicus fingit se esse sacerdotem et confessarium, et tunc alium ad turpia provocat.

In quattuor casibus sacerdos censetur *esse confessarius,* si scil. ad turpia provocat:

1. *in actu sacramentalis confessionis,* i. e. ab incepta confessione ad absolutionem, ut patet per se;

2. *immediate ante vel post confessionem,* i. e. si inter confessionem et sollicitationem non intercedit alia actio externa;

3. *occasione vel praetextu confessionis,* i. e. si confessio a confessario adhibetur ut opportunitas aut velum committendi peccatum turpe;

4. *etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad audiendas confessiones destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem.* Essentialia verba huius clausulae videntur esse: cum simulatione confessionis. Recolendum est discrimen supra n. 544 indicatum inter simulationem et dissimulationem alicuius sacramenti. Simulatio adhibetur ad decipiendum ipsum paenitentem, dissimulatio autem ad decipiendos alios, et haec non inducit crimen sollicitationis.

727. 2. **Obligatio denuntiandi sollicitantes** oritur ex iure cum *naturali* tum *ecclesiastico.*

Ius naturale exigit, ut scandalum enorme datum a confessario sollicitante reparetur; quod vix aliter fieri potest, nisi ipse denuntiatur legitimo eius superiori.

Ius ecclesiasticum punit excommunicatione latae sententiae nemini reservata neglegentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios seu sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia (c. 2368, § 2). — Ab hac excommunicatione quilibet confessarius absolvere potest, dummodo denuntiatio praescripta revera sit facta, aut saltem serio promissa (ib.).

Causae excusantes a denuntiatione sunt:

a) mors sacerdotis sollicitantis;

b) periculum grave vel vitae vel famae vel fortunae per accidens cum denuntiatione coniunctum;

c) dispensatio a S. Officio vel a S. Paenitentiaria concessa, quae tamen sat difficulter obtinetur;

d) si non omnino certo constat, omnia requisita ad crimen sollicitationis adesse.

728. 3. **Modus faciendi denuntiationem.**

a) Denuntiatio facienda est *personaliter* et non per litteras praesertim anonymas episcopo vel S. Officio. Sin autem paenitens nequit personaliter adire episcopum vel S. Officium, scribere debet litteras, quaerens quid sibi factu opus sit.

b) Episcopus competens est imprimis episcopus proprius sollicitantis, deinde etiam episcopus loci, ubi crimen commissum est, vel demum episcopus paenitentis.

c) Episcopus in hoc negotio agit tamquam delegatus S. Officii ac proinde habet iurisdictionem etiam in regulares exemptos, qui crimen sollicitationis commiserunt.

729. 4. **Poenae contra sollicitantes** sunt quidem omnes *ferendae* sententiae, et non solent

infligi nisi post tertiam denuntiationem[1], sed sunt gravissimae. Etenim «Qui sollicitationis crimen commiserit, suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus, vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur; privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva et inhabilis ad ea omnia declaretur; in casibus gravioribus degradationi quoque subiciatur» (c. 2368, § 1).

Nota. 1. Ipsum peccatum sollicitationis non est reservatum (saltem ex iure communi), ac proinde miser sacerdos sollicitans, si est rite dispositus, potest absolvi a quolibet confessario.

2. *Qui calumniose denuntiat* de crimine sollicitationis confessarium, committit peccatum grave, quod est ratione sui reservatum S. Sedi. Idem peccatum reservatum committunt omnes complices falsae denuntiationis, e. g. iubentes, mandantes etc. Attamen hoc peccatum non est reservatum, si falsa denuntiatio facta est privato et non *iuridico* modo. Insuper statuit Codex iur. can. c. 2363: «Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna paenitentia.» Iuxta vigentem igitur disciplinam paenitens, qui falso denuntiaverit, idque *iudicialiter* (non autem per meram epistulam privatam ad episcopum missam) confessarium:

[1] Cf. Instructio S. Officii in fine huius libri.

a) semper committit grave peccatum S. Sedi reservatum, neque excusari videtur propter ignorantiam reservationis;

b) insuper incurrit excommunicationem speciali modo S. Sedi reservatam, dummodo tamen hanc censuram non ignoraverit.

Neque a peccato neque a censura paenitens potest absolvi *ullo in casu,* nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit et damna causata reparaverit. Insuper confessarius debet specialem paenitentiam iniungere.

Notanda pro praxi. Confessarius, audiens in confessione crimen verum vel falsum sollicitationis, sit valde cautus. Ante omnia investiget, num persona narrans tale factum sit *fide digna;* haud enim raro accidit, ut mulierculae hystericae narrent res vel prorsus falsas vel valde alteratas. Deinde diligenter investiget, num revera adsint omnes condiciones requisitae ad crimen sollicitationis. Quodsi vel una condicio certo desit aut etiam dubie adsit, obligatio denuntiandi paenitenti non debet imponi. Sin autem nullum dubium est, quin crimen sollicitationis sit revera commissum, tunc confessarius videat, num possit inducere paenitentem ad faciendam debitam denuntiationem. Si paenitens ex ratione sufficienti renuat facere denuntiationem, confessarius consulat episcopum vel S. Paenitentiariam, quid factu opus sit.

TRACTATUS VI.
De poenis ecclesiasticis.

Dividitur iste tractatus in tria capita: 1. de poenis ecclesiasticis in genere; 2. de censuris in genere; 3. de censuris in specie. — Brevitatis causa de una sola poena vindicativa infra n. 759 tractabitur.

Caput I. De poenis ecclesiasticis in genere.

730. **Notio.** *Poena ecclesiastica est malum afflictivum contra voluntatem passi, inflictum ab Ecclesia in vindictam delicti commissi,* vel, ut

dicit Codex iur. can. c. 2215: «Poena ecclesiastica est privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta.»

Nomine delicti in iure ecclesiastico intelligitur *externa* et moraliter imputabilis legis violatio, cui addita est sanctio canonica saltem indeterminata (c. 2195, § 1). Licet forte Ecclesia valeat punire etiam malos actus pure internos, tamen id reapse non facit, sed relinquit iustitiae divinae punitionem horum actuum. — *Finis* poenae ecclesiasticae est duplex, scil. bonum societatis et bonum delinquentis obtinendum, seu aliis verbis: reparatio ordinis socialis laesi et emendatio delinquentis.

731. Divisiones: 1. Ratione *finis* distinguuntur poenae *vindicativae, medicinales, remedia poenalia, paenitentiae.*

Poenae vindicativae principaliter intendunt expiationem delicti et reparationem ordinis laesi, e. g. depositio, privatio beneficii.

Poenae medicinales principaliter intendunt emendationem rei, e. g. censurae.

Remedia poenalia (quae sunt quattuor, scil. monitio, correptio praeceptum, vigilantia) sunt poenae medicinales *praeventivae,* quia scil. inserviunt ad cavenda vel omnino delicta vel saltem talia delicta, quae punienda essent censuris aut poenis vindicativis.

Paenitentiae canonicae infliguntur, ut delinquens vel poenam effugiat vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat (c. 2312).

2. Ratione *auctoris* distinguuntur poenae latae *a iure* et *ab homine,* prout a lege ipsa vel a legitimo superiore infliguntur (c. 2217, § 1, n. 3).

3. Ratione *obiecti* distinguuntur poenae *spirituales,* quae privant bono spirituali, e. g. suffragiis Ecclesiae, et *temporales,* quae delinquentem afficiunt malo temporali, e. g. carcere, mulcta pecuniaria.

4. Ratione *formae* distinguuntur poenae *latae* et *ferendae* sententiae, prout incurruntur ipso facto transgressionis legis, quin sit necessaria aliqua iudicis sententia condemnatoria, vel prout incurruntur nonnisi *post* et *per* sententiam iudicis condemnatoriam.

732. Elenchus poenarum ecclesiasticarum hodie exsistentium. Omnes poenae,

quas Ecclesia infligit, possunt ad quattuor genera revocari; nempe sunt:

1. *censurae* seu poenae medicinales: excommunicatio, suspensio, interdictum;

2. *poenae vindicativae:* a) in solos clericos vel religiosos sunt duodecim, e. g. privatio beneficii vel officii ecclesiastici, privatio vocis activae et passivae, depositio, degradatio etc.; b) in clericos et laicos sunt item duodecim, e. g. infamia iuris, privatio sepulturae ecclesiasticae, remotio ab actibus legitimis, mulcta pecuniaria etc.;

3. *remedia poenalia,* quae sunt quattuor: monitio, correptio, praeceptum, vigilantia;

4. *paenitentiae canonicae,* e. g. recitandi determinatas preces, peragendi exercitia spiritualia, erogandi determinatam eleemosynam etc.

733. Auctor. *Regula generalis est: Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere; qui iudiciali tantum pollent potestate, possunt solummodo poenas legitime statutas ad normam iuris applicare* (c. 2220).

Hinc poenas ferre possunt:

a) Summus Pontifex pro tota Ecclesia;

b) Episcopi, superiores religionis clericalis exemptae pro suis subditis; non autem Vicarius generalis sine speciali mandato (ib. § 2).

Quaenam observanda sint ab eo, qui fert poenas, et notanter a iudice, vide canonistas, e. g. nostrum Man. iur. can. q. 554.

734. Subiectum. *Regula generalis est: «Poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur»* (c. 2226).

Hinc ex parte personae subiectae requiritur:

a) *ut sit subdita punienti.* A solo Summo Pontifice puniri possunt α) ii, qui supremum tenent populorum principatum eorumque filii ac filiae et insuper ii, quibus ius est proxime

succedendi in principatu, β) Cardinales, γ) Legati S. Sedis et omnes episcopi (etiam titulares) (c. 2227);

b) *ut sit puber.* Impuberes enim excusantur a poenis latae sententiae, et potius punitionibus educativis quam censuris aliisve poenis gravioribus vindicativis corrigantur (c. 2230);

c) *ut possit observare poenam sine gravi infamia,* si agitur de poenis latae sententiae (c. 2232);

d) *ut delinquens habuerit scientiam legis et poenae.* A nullis quidem latae sententiae poenis excusat ignorantia *affectata* (c. 2229, § 1), ideoque opposita sententia vetus relinquenda est; sed si lex habet verba: «praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit» aliave similia, quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio, sive ex parte intellectus (ignorantia, sed non affectata, inadvertentia) sive ex parte voluntatis (metus), eximit a poenis latae sententiae (ib. § 2). Hinc ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis, quamvis aliquando non excusent a reatu gravis peccati, tamen, quia diminuunt imputabilitatem, ab huiusmodi poenis excusant. Idem valet, si ista delicta commissa sunt a minorenni, i. e. ante 21 aetatis annos completos (c. 2204). Quare e. g. si minorennis legit librum haereticum, iam non incurrere videtur excommunicationem.

Si lex illa verba citata non habet, ignorantia *crassa* aut *supina* legis aut etiam solius poenae a nulla poena ecclesiastica excusat; si autem ignorantia non fuit crassa aut supina, excusat quidem a poenis medicinalibus, i. e. censuris, sed non ab aliis poenis.

735. **Remissio** poenae (sive per *absolutionem,* si agatur de censuris, sive per *dispensationem,* si de poenis vindicativis) concedi tantum potest ab eo, qui poenam tulit, vel ab eius competente superiore aut successore, vel ab eo, cui haec potestas commissa est. Hinc qui potest a lege eximere, potest quoque poenam legi adnexam remittere; iudex autem, cum ex officio debeat applicare poenam a superiore constitutam, eam semel applicatam remittere nequit (c. 2236).

Poena remitti potest oraliter vel scripto, praesenti vel absenti.

Omnis Ordinarius (i. e. Ordinarius loci et insuper superior maior religionis clericalis exemptae) habet amplas facultates remittendi poenas suorum subditorum, scil.

1. *in casibus publicis* potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas remittere, exceptis:

a) casibus ad forum contentiosum deductis;

b) censuris S. Sedi reservatis;

c) poenis inhabilitatis ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam eorumve privationis, suspensionis perpetuae, infamiae iuris, privationis iuris patronatus et privilegii seu gratiae a S. Sede concessae (c. 2237, § 1).

2. *in casibus occultis,* etiam si non sunt urgentiores, potest Ordinarius poenas latae sententiae iure communi statutas remittere per se vel per alium delegatum, exceptis censuris *specialissimo* vel *speciali* modo S. Sedi reservatis (ib. § 2). Si agitur de casibus occultis *urgentioribus,* tunc Ordinario eaedem facultates competunt, quibus pollet confessarius (cf. supra n. 691).

Caput II. De censuris ecclesiasticis in genere.

Caput istud dividitur in sex articulos: 1. de notione et divisione censurae; 2. de eius auctore; 3. de eius subiecto; 4. de eius obiecto; 5. de causis excusantibus; 6. de absolutione a censuris.

Art. 1. De notione et divisione censurae.

736. **Notio.** *Censura est poena ecclesiastica medicinalis, qua homo baptizatus delinquens et contumax quibusdam bonis spiritualibus vel spiri-*

tualibus adnexis privatur, donec a contumacia recedens absolvatur (c. 2241).

Haec definitio magis clarescet ex infra dicendis de subiecto et obiecto censurae.

Divisiones principaliores censurarum sunt:

1. ratione *speciei* distinguuntur: excommunicatio, suspensio, interdictum;

2. ratione *causae efficientis* distinguuntur: censurae latae a iure et ab homine;

3. ratione *modi* distinguuntur: censurae latae et ferendae sententiae;

4. ratione *potestatis absolvendi* distinguuntur: censurae reservatae et non reservatae.

Art. 2. De auctore censurae.

737. 1. *De fide est exsistere in Ecclesia potestatem ferendi censuras* (Conc. Constantiense). Quae quidem potestas *modo ordinario* est penes omnes et solos praelatos ecclesiasticos habentes iurisdictionem expeditam fori externi (cf. c. 2220, § 1); modo autem *delegato* penes solos clericos (c. 118).

Potestate ordinaria ferendi censuras pollent:

Summus Pontifex et Concilium oecumenicum pro tota Ecclesia,

Legati a latere in territorio legationis suae,

Episcopi in suos subditos, non autem Vicarius generalis sine speciali mandato (c. 2220, § 1),

Vicarius capitularis sede vacante,

Praelati habentes iurisdictionem quasi-episcopalem in foro externo,

Concilia provincialia, item Capitula ordinum religiosorum.

Potestas delegata ferendi censuras non committitur laicis et a fortiori feminis.

738. 2. *Condiciones* requisitae ad valide et licite ferendam censuram sunt:

a) ut auctor censurae sit compos rationis, habeat voluntatem ferendi veram censuram, atque sobrie et magna cum circumspectione procedat;

b) ut libere et non coacte agat;

c) ut habeat iurisdictionem expeditam quoad usum;

d) ut praemittat monitionem canonicam vel legalem; debet enim constare de contumacia delinquentis (c. 2233, § 2).

Art. 3. De subiecto censurae.

739. Subiectum censurae vocantur ii, qui censura plecti possunt. Sunt autem sequentes condiciones necessariae, ut sit homo:

a) *baptizatus* | Ecclesia enim caret iurisdictione
b) *viator* | in non baptizatos et in mortuos.

c) *rationis compos dolique capax.*

Ratio est quia censura supponit delictum, immo cum contumacia coniunctum.

Delicti sunt incapaces ac proinde non plectuntur censuris habitualiter quoque amentes, licet quandoque lucida intervalla habeant (c. 2201, § 2). Quamvis impuberes sint rationis compotes et doli capaces, tamen iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam non incurrunt censuras latae sententiae (c. 2230). Impuberes enim potius virgis quam censuris corrigi debent;

d) *subditus.* Ratio est, quia ferre censuras est actus iurisdictionis, qui nequit exerceri in nonsubditos.

740. Corollaria: 1. nullus superior incurrit censuram a seipso latam;

2. ex privilegio Cardinales (nisi expresse nominentur) sub nulla lege poenali comprehenduntur, nec episcopi sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti (c. 2227);

3. cum supremi populorum gubernatores eorumque filii et filiae atque successores a nemine iudicari possint nisi a

Summo Pontifice, non videntur incurrere censuras episcopo reservatas (sive a iure sive ab homine);

4. religiosi exempti non subduntur censuris episcopalibus, nisi id sit specialiter a iure determinatum;

5. censurae *territoriales* non ligant peregrinos neque incolas extra territorium degentes[1];

6. personae *morales* (communitates) possunt plecti interdicto et suspensione, sed non excommunicatione (c. 2555).

Multiplicatio censurae (cum eiusdem tum diversae speciei) accidit in eodem subiecto:

a) si perpetravit delictum, quod fuit prohibitum sub censura a diversis superioribus (casus hodie valde rarus);

b) si perpetravit vel diversa delicta vel idem delictum pluries (c. 2244). Hinc e. g. is, qui iniit matrimonium coram ministro acatholico, stipulavit ut proles educetur in haeresi, obtulit prolem baptizandam ministro acatholico, septies legit libros haereticos, incurrit decem excommunicationes. Est enim axioma: Ordinarie tot poenae, quod delicta (c. 2224, § 1).

Art. 4. De obiecto censurae.

741. Obiectum, quod etiam vocatur materia vel causa censurae, est crimen, propter quod haec poena infligitur. Nullum autem crimen iuxta vigentem disciplinam (c. 2242) punitur per censuram, nisi est:

a) *grave*, idque obiective et subiective; unde ea, quae excusant a gravi imputabilitate delicti, excusant quoque a censura (c. 2218, § 2);

b) *externum* (sive publicum sive occultum). Hinc peccatum mere internum, e. g. haeresis mere interna non punitur aliqua censura.

c) *consummatum* (et non solum attentatum, nisi et ipse conatus delicti puniatur), i. e. censura non incurritur, nisi crimen habeat omnino omnes condiciones in ipsa prolatione censurae positas; censurae enim sunt stricte interpretandae; quare e. g. censuram non incurrit, qui in clericum explodit quidem sclopetum, sed eum non attingit;

[1] Aliter est de censuris latis per praeceptum speciale (cf. c. 1566, § 1).

d) *coniunctum cum contumacia*, i. e. cum contemptu saltem virtuali censurae.

Qui quidem contemptus deest, ac proinde etiam censura, si peccans ignoravit legem prohibentem vel poenam specialem transgressoribus infligendam. Ita saltem pro foro interno; nam in foro externo aliquando sufficit contumacia *praesumpta*. Quando enim lex ecclesiastica sufficienter est promulgata, eius notitia praesumitur in subditis, qui, si hanc legem transgrediuntur, debent in foro externo luere poenas et censuras sancitas.

Art. 5. De causis excusantibus a censuris.

742. Causae excusantes a censura sunt:

1. *nullitas censurae* propter defectum iurisdictionis;

2. *defectus ex parte peccati*, quod non habet omnes condiciones in art. praec. recensitas;

3. *metus gravis*, quoties excusat ab observanda lege ecclesiastica; deest enim tunc contumacia. Exceptiones videsis c. 2229, § 3, n. 3;

4. *ignorantia censurae*. a) A censuris, quae feruntur contra «scienter» vel «consulto, temerario ausu» etc. aliquid facientes, non excusat quidem ignorantia *affectata*, sed *crassa* et supina; b) a ceteris censuris non excusat nisi ignorantia leviter culpabilis.

Nota. Cum censura obliget sicut lex positiva ecclesiastica, omnia, quae excusant ab observatione talis legis, excusant quoque ab observatione censurae. Quare e. g. sacerdos, qui est occulte excommunicatus, non tenetur observare hanc censuram, si inde publicam et gravem infamiam pati deberet.

Art. 6. De absolutione a censuris.

743. **Principium 1.** *Censura (stricte dicta) semel incursa non tollitur nisi per legitimam absolutionem.*

Ergo non cessat:
a) morte auctoris ferentis;
b) morte rei censura puniti;
c) emendatione aut satisfactione rei. Hinc e. g. excommunicatus, qui elicit actum perfectae contritionis, in statu gratiae est, manet tamen excommunicatus et privatus communione Ecclesiae. Attamen absolutio censurae denegari nequit, cum primum delinquens a contumacia recesserit (c. 2248, § 2).

Absolutio censurae potest concedi vel pro foro externo vel pro foro interno; ad reincidentiam; ad cautelam (vide nostrum Man. theol. mor. III 491).

744. **Principium 2.** a) *A censura non reservata quilibet confessarius potest absolvere pro foro interno;* b) *a censura autem reservata nemo absolvere valet, nisi qui habet debitam iurisdictionem sive ordinariam sive delegatam;* c) *censurae autem reservatae sunt:* α) *omnes censurae latae per sententiam particularem;* β) *omnes censurae, quae in iure expresse declarantur reservatae.*

Omnia videntur esse clara. De iurisdictione autem delegata absolvendi a censuris haec notentur: Delegatio conceditur vel *ab homine,* et tunc observandae sunt omnes clausulae in hac delegatione appositae; vel *a iure ipso.* Ius delegat iurisdictionem absolvendi a censuris reservatis:

745. 1. *in periculo mortis,* ubi quilibet *sacerdos* (etiam praesente alio sacerdote facultatem habente) potest absolvere a qualibet censura. In duobus autem casibus tunc postea, si moribundus sanitatem recuperaverit intra mensem, est faciendus recursus (si id moraliter est possibile); scil. si absolutio data est: α) a censuris specialissimo modo Summo Pontifici reservatis; β) a censuris latis per sententiam particularem (c. 2252).

2. *in casibus urgentioribus*[1], ubi quilibet *confessarius* directe absolvere potest ab omnibus censuris a iure (non ab homine) latis, ea tamen lege, ut sic absolutus teneatur sub poena reincidentiae recurrere intra mensem ad S. Paenitentiariam vel novam absolutionem petere ab habente facultatem. Quando autem iste recursus est moraliter impossibilis, omitti potest (c. 2254).

[1] Habetur casus urgentior, a) si censurae latae sententiae exterius servari nequeunt sine periculo gravis scandali vel infamiae; b) si durum est poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut superior provideat (c. 2254, § 1).

3. *Cardinales* possunt absolvere quoslibet paenitentes ab omnibus censuris, exceptis iis, quae a) sunt specialissime S. Sedi reservatae, b) adnexae sunt laesioni secreti S. Officii (c. 239, § 1).

4. *Ordinarii* possunt vi c 2237, § 2 absolvere suos subditos ab omnibus censuris papalibus occultis, dummodo ne sint specialissime vel specialiter reservatae. Item possunt absolvere in foro *externo* a censura propter haeresim incursa (ib. c. 2314, § 2).

5. Confessarii regulares possunt absolvere a censuris de iure reservatis Ordinario. Etenim tale privilegium antea exsistens non videtur esse revocatum per novum codicem. Ita quoque *Noldin,* De poenis[12] n. 95.

746. **Nota.** 1. In absolutione censurarum exigi oportet: a) ut paenitens reparet scandalum et damnum forte causata; b) ut recipiat paenitentiam particularem distinctam a paenitentia sacramentali.

2. Ritus absolutionis pro foro *externo* quolibet modo dari potest, sed melius determinatur in Rituali Romano (tit. 3, c. 3) vel a superiore competente; pro foro autem *interno* adhibeatur forma communis, quae in qualibet absolutione usuvenit (ib. c. 2250, § 3).

3. Absolutio data in foro *externo* etiam internum forum afficit; sin vero in foro interno aliquis absolutus est, potest quidem (remoto scan-

dalo) uti absolutum se habere etiam in foro externo; sed, nisi probetur aut saltem legitime praesumatur absolutionem esse revera concessam, superior potest adhuc exigere absolutionem specialem in foro externo (c. 2251).

4. Si quis pluribus censuris detinetur, potest ab una absolvi, ceteris minime absolutis. Sed iste casus est rarissimus. Si absolutio *generalis* censurarum legitime data est, valet quoque pro censuris *bona fide* reticitis, exceptis 4 censuris specialissime S. Sedi reservatis, non autem pro reticitis mala fide (c. 2249).

5. Absolutio vi aut metu gravi extorta, ipso iure irrita est (c. 2238).

Caput III. De censuris in specie.

Praenotamen. Brevissime tractabimus ea sola puncta, quae in praxi ordinaria confessarii occurrere possunt, remittentes lectorem pro ampliore doctrina ad nostrum Manuale theologiae moralis vel ad Canonistas. — Cum sint tres species censurarum, ut supra dictum est, dividimus hoc caput in tres articulos: 1. de excommunicatione; 2. de interdicto; 3. de suspensione.

Art. 1. De excommunicatione.

747. **Notio.** *Excommunicatio est censura, qua quis privatur ecclesiastica communione fidelium* (cf. c. 2257).

Si quis totaliter privatur hac unione, est excommunicatus *vitandus* (nempe si violentas manus in personam Summi Pontificis iniecerit vel fuit nominatim excommunicatus a S. Sede et publice tamquam vitandus denuntiatus); secus est excommunicatus *toleratus*. Ergo iam nemo, nisi S. Sedes potest aliquem declarare excommunicatum vitandum.

748. **Effectus.** Privatio causata per excommunicationem se extendit ad 8 sequentes effectus:

1. **Ad res sacras,** i. e. ad sacramenta, quorum administratio et receptio partialiter interdicuntur excommunicatis:

a) excommunicatus *vitandus* utpote privatus iurisdictione ecclesiastica nullum sacramentum valide administrat, ad quod requiritur vera iurisdictio. Excipitur articulus mortis;

b) excommunicatus toleratus *valide administrat* sacramenta immo et *licite,* si est a fidelibus explicite rogatus (c. 2261);

c) nullus excommunicatus *recipit licite* sacramenta, nisi ignorantia aut metus gravis damni excuset. Post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam excommunicatus ne sacramentalia quidem recipere potest (c 2260, § 1).

2. **Ad ritus,** i. e. ad *divina officia liturgica* (non autem ad praedicationem). Attamen iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam excommunicati *tolerati* possunt assistere istis officiis liturgicis (non autem excommunicati vitandi).

Sic enim statuit Codex iur. can. c. 2259, § 2: «Si *passive* assistat toleratus (excommunicatus), non est necesse ut expellatur; si vitandus, expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo; ab assistentia vero *activa* (quae aliquam secum ferat participationem in celebrandis divinis officiis) repellatur non solum vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus.» Ex quibus verbis patet, Ecclesiam hodie non ita severe arcere Protestantes ab officio divino catholico.

3. **Ad communionem,** i. e. ad *communia suffragia Ecclesiae et ad indulgentias,* quae tamen aliqualiter permittuntur pro excommunicatis toleratis. Immo licet sacerdoti privatim et remoto scandalo applicare Missam pro excommunicato tolerato, e. g. pro Protestante (c. 2262).

4. **Ad cryptam,** i. e. ad sepulturam ecclesiasticam, sed nonnisi post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam. De sepultura eccl. videsis nostrum Man. iur. can. q. 372 sqq.

5. **Ad potestatem.** Haec autem potestas significat quattuor:

a) *iurisdictionem* ecclesiasticam fori tam externi quam interni, quae *invalide* exercetur ab excommunicatis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (praeterquam in articulo mortis); *illicite* autem ab omnibus excommunicatis, nisi tamen sint requisiti a fidelibus ex iusta causa (c. 2261);

b) *facultatem eligendi, praesentandi, nominandi* (c. 2265, § 1);

c) *facultatem consequendi munera ecclesiastica aut ordines* (ib. n. 2);

d) *facultatem exercendi actus legitimos*. Actus legitimi sunt: munus gerere administratoris bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; ius patronatus exercere (c. 2256, n. 2).

6. Ad praedia sacra, i. e. ad fructus ecclesiasticos. Etenim post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus manet privatus fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia; et vitandus ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere (c. 2266).

7. Ad forum, i. e. ad communicationem in iudicio cum civili tum ecclesiastico. Praxis hodierna est mitior.

8. Ad civilia iura nonnulla. Praxis hodierna est mitior etiam quoad excommunicatos vitandos (cf. c. 2267).

749. **Nota.** 1. Clericus excommunicatus (vel alia censura irretitus), qui culpabiliter exercet actum sacri ordinis, fit irregularis (c. 985, n. 7).

2. Omnis, qui per *annum* insordescit in excommunicatione, fit suspectus de haeresi (c. 2340, § 1).

Art. 2. De interdicto.

750. **Notio.** *Interdictum est censura, qua fideles in communione Ecclesiae permanentes prohibentur quibusdam sacramentis aliisque sacris* (cf. c. 2268, § 1).

Quamvis interdictum vocetur censura, haud raro tamen est quoque poena vindicativa vel mera prohibitio, ex qua etiam innocentes pati debent. Cum autem interdictum non tollat communionem Ecclesiae, ordinarie est mitior poena quam excommunicatio.

Divisiones. 1. Interdictum est vel *locale*, quod immediate afficit locum, mediate autem omnes personas ibi degentes etiam exteras et exemptas; vel *personale*, quod immediate afficit personam eamque sequitur ubique. — De interdicto *mixto*, quod aeque afficit locum et personas, non fit mentio in novo Codice.

2. Interdictum est vel *generale*, quod afficit vel totum aliquod territorium (interdictum locale generale) vel totum populum alicuis loci (interdictum personale generale), vel *particulare*, quod afficit vel determinatum locum (e. g. ecclesiam, monasterium) vel quasdam personas.

3. *Interdictum ab ingressu ecclesiae* est aliquod partiale interdictum secum ferens prohibitionem, ne quis in ecclesia divina officia celebret vel iisdem assistat aut ecclesiasticam sepulturam habeat; sin autem assistat, non est necesse ut expellatur, nec, si sepeliatur, oportet ut cadaver amoveatur (c. 2277).

751. **Auctor.** Ferre interdictum generale in totam dioecesim vel in rempublicam vel in loca exempta vel in totum populum alicuius dioecesis, aut reipublicae, reservatur S. Sedi; ferre autem interdictum generale in paroeciam vel in populum alicuius paroeciae, pertinet ad episcopum; item ferre interdicta alia particularia (c. 2269, § 1).

752. **Effectus** interdicti eiusque ambitus solent in casu particulari determinari a legitimo superiore. Generatim autem dici potest:

1. *Interdictum locale*

a) *vetat* in loco interdicto quodlibet divinum officium vel sacrum ritum, exceptis 5 festis (sc. Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V.), in quibus interdictum ita suspenditur, ut omnia sacra permittantur, exceptis collatione ordinum et sollemni benedictione nuptiarum (c. 2270, § 2);

b) *non vetat:*

α) *morientibus* sacramenta et sacramentalia ministrare privatim vel sepulturam fidelium peragere in coemeterio, sed sine ullo ecclesiastico ritu (c. 2270, § 1; c. 2272, § 2);

β) si interdictum fuerit locale *generale* neque in interdicti decreto aliud expresse caveatur (dummodo ne clerici sint ipsi personaliter interdicti) *privatim* obire omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio, sed id fieri debet ianuis clausis, voce submissa, campanis non pulsatis (c. 2271, n. 1);

γ) in ecclesia cathedrali, in omnibus ecclesiis paroecialibus, in ecclesia quae forte est unica in oppido celebrare unam Missam cotidie, asservare ss. eucharistiam, administrare sacramenta baptismi, eucharistiae, paenitentiae, assistere matrimonio (exclusa autem benedictione nuptiali), peragere exsequias

mortuorum absque sollemnitate, benedicere aquam baptismalem et sacra olea, praedicare verbum Dei. In his tamen functionibus prohibetur cantus et pompa in sacra supellectili, sonitus campanarum, organorum aliorumve instrumentorum musicalium (ib. n. 2).

Ex quibus omnibus patet, interdictum *locale* non esse poenam tam gravem, saltem pro innocentibus.

2. *Interdictum personale* prohibet personas interdictas:

a) ne divina officia celebrent neve iis assistant, excepta praedicatione verbi Dei. *Passiva* tamen assistentia non est tam graviter prohibita; at ab assistentia *activa,* quae aliquam secum fert participationem in divinis officiis celebrandis, repellantur interdicti, si sunt aut notorie interdicti aut per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam (c. 2275);

b) ne sacramenta vel sacramentalia ministrent, conficiant, recipiant. In hac autem re valent eaedem exceptiones, quae supra n. 748 pro excommunicatis indicatae sunt. Quantum ad ius eligendi, praesentandi, nominandi; ad consecutionem dignitatum, officiorum, beneficiorum, pensionum, munerum ecclesiasticorum, gratiarum S. Sedis; ad ordines suscipiendos personaliter interdicti tractantur eo modo quo excommunicati (cf. supra n. 748);

c) ne donentur sepultura ecclesiastica (c. 2275, n. 4).

753. **Cessatio** interdicti accidit, sicut aliae poenae *vindicativae* cessant, si interdictum latum fuit per modum poenae vindicativae, scil. per legitimam dispensationem vel lapsum temporis determinati. Sin autem interdictum latum est per modum *censurae* (ut ordinarie accidit), tunc de eius cessatione eadem valent, quae supra dicta sunt de absolutione censurarum.

Art. 3. De suspensione.

754. **Notio.** *Suspensio est censura, qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur, idque vel ex toto vel ex parte* (cf. c. 2278).

Explicatur. Dicitur 1: *censura;* etenim ordinarie quidem est poena medicinalis, sed aliquando est quoque (sicut interdictum) poena vindicativa. In dubio autem, num in aliquo casu suspensio sit censura vel poena vindicativa, praesumitur esse censura (c. 2255, § 2). Dicitur 2: qua *clericus,* nam in solos clericos suspensio ferri potest, dum excommunicatio et interdictum laicos quoque ferire possunt.

755. **Divisiones.** 1. Suspensio est vel *generalis* vel *specialis,* prout clericus privatur *omni usu* et ordinis et officii et beneficii, vel solo usu alicuius ex tribus. Suspensio simpliciter sine specificatione inflicta censetur esse generalis.

2. Suspensio *ab officio* est item vel *generalis* vel *specialis,* prout vetat omnem actum cum potestatis ordinis et iurisdictionis tum etiam merae administrationis ex officio competentis (excepta administratione bonorum proprii beneficii; c. 2279, § 1); vel prout vetat solum aliquos determinatos actus officii. — Suspensio generalis ab officio (et idem valet de suspensione generali a beneficio) afficit *omnia* officia (vel beneficia), quae clericus habet in dioecesi superioris suspendentis (c. 2281). Loci Ordinarius nequit clericum suspendere a determinato officio vel beneficio, quod in aliena dioecesi reperitur; non enim habet iurisdictionem in aliena dioecesi. Sed suspensio latae sententiae iure communi irrogata afficit omnia officia vel beneficia, in quacumque dioecesi possidentur (c. 2282). Hinc e. g. clericus, qui per simoniam ad ordines scienter promotus fuerit, est suspensus ab omnibus officiis et beneficiis, quamvis ea in diversis dioecesibus obtineat.

3. Enumerantur novem suspensiones partiales (c. 2279):

a) *a iurisdictione generatim.* Talis suspensio, ut per se patet, vetat omnem actum iurisdictionis pro quolibet foro;

b) *a divinis.* Vetat omnino omnem actum potestatis ordinis, idque etiam per privilegium receptae, e. g. potestatem confirmandi concessam simplici sacerdoti;

c) *ab ordinibus.* Vetat omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem;

d) *a sacris ordinibus.* Vetat omnem actum potestatis ordinum sacrorum, i. e. maiorum;

e) *ab exercendo certo et definito ordine.* Vetat non solum exercere (et recipere) istum ordinem, sed etiam recipere ordinem superiorem eumque post receptionem exercere;

f) *a conferendo certo et definito ordine.* Vetat conferre ordinem designatum, non vero inferiorem nec superiorem;

g) *a certo et definito ministerio,* e. g. audiendi confessiones, vel ab *officio,* e. g. curae animarum. Vetat omnem actum eiusdem ministerii vel officii;

h) *ab ordine pontificali.* Vetat omnem actum potestatis ordinis episcopalis;

i) *a pontificalibus.* Vetat exercitium actuum pontificalium, i. e. exigentium ex liturgia baculum et mitram.

756. Effectus suspensionis.

1. Suspensus graviter peccat, si actum sibi prohibitum exercet (datur tamen parvitas materiae), nisi sunt causae excusantes, quae sunt eaedem, quae valent pro non observatione censurae in genere (cf. supra n. 742);

2. suspensus ab ordine sacro, qui violat cum gravi culpa suspensionem exercitio s. ordinis, fit irregularis (c. 985, n. 7);

3. suspensus *a beneficio* privatur fructibus beneficii (excepta habitatione in aedibus beneficialibus), non autem iure administrandi bona beneficialia. Ita saltem ordinarie. Si talis suspensus nihilominus fructus beneficiarios perceperit, eos restituere debet (c. 2280);

4. generatim suspensio eosdem effectus producit, qui supra de excommunicatione dicti sunt n. 748.

757. Cessatio suspensionis accidit sicut cessatio ceterarum poenarum aut vindicativarum (si suspensio est poena vindicativa) aut medicinalium (si suspensio est censura).

758. *Scholion.* De suspensione ex informata conscientia. Suspensio valde gravis atque remedium extraordinarium est sic dicta suspensio ex informata conscientia, quae ferri potest tum ab Ordinario loci tum a superiore maiore religionis clericalis exemptae. Ipsa se extendit ad solum *officium* (sive ex parte sive etiam in totum) (c. 2186, § 1), non autem ad beneficium.

Condiciones requisitae, ut haec suspensio valide et licite ferri possit, sunt:

a) ut Ordinarius non possit sine gravi incommodo alio modo ad iuris normam in subditum procedere (ib. § 2);

b) ut decretum suspensionis detur *in scriptis* (nisi adiuncta aliud exigant) designato die, mense, anno; insuper expresse dicatur suspensionem ferri ex informata conscientia atque tempus durationis indicetur. — Ratio est duplex, scil. ne Ordinarius ex subitanea ira hoc remedium extraordinarium adhibeat, et ut subditus possit facilius interponere recursum. Si ista suspensio infertur tamquam *censura,* Ordinarius debet clerico manifestare causam, propter quam haec poena irrogatur; secus non adest quidem stricta obligatio huius manifestationis, sed nihilominus videtur esse valde congruum. Si clericus recursum a suspensione sibi inflicta imponat, Ordinarius tenetur mittere ad S. Sedem probationes, quibus constat, clericum revera perpetrasse delictum, quod extraordinaria hac poena puniri queat (c. 2194);

c) ut agatur de poena delicti *certi, occulti* atque *adeo gravis,* ut eiusmodi dura poena plectendum sit (c. 2190 sq.). Ob delictum *notorium* numquam, ob delictum *publicum* nonnisi extraordinarie haec suspensio infligi potest (c. 2191).

Quomodo et quando recursus contra hanc duram poenam sit instituendus, videsis in nostro Man. iur. can. q. 556.

Art. 4. De aliis poenis ecclesiasticis.

Praenotamen. Supra n. 732 dedimus elenchum poenarum ecclesiasticarum hodie exsistentium. Cum non ad Theologiam moralem sed ad ius ecclesiasticum pertineat tractare de poenis praesertim vindicativis, de paenitentiis canonicis, de remediis poenalibus, remittimus lectorem benevolum ad nostrum Man. iur. can. Ceterum istae poenae satis raro occurrunt, et casu occurrente non sufficit cognitio superficialis istius materiae, qualis dari posset in hoc brevissimo Vademecum. De una sola poena vindicativa, quae etiam in praxi confessarii aliquando occurrere potest, iuvat necessaria scitu breviter indicare, scil. de infamia.

De infamia.

759. Notio. *Infamia est bonae famae vel existimationis privatio vel saltem imminutio.*

Hic tantum sermo est de infamia canonica seu ecclesiastica, non autem de infamia civili. Fuerunt quidem nonnulli auctores putantes, illum, qui a iudice civili fuit declaratus infamis, esse quoque infamem in iure ecclesiastico, sed saltem iuxta modernam disciplinam haec sententia non est vera, ut patebit ex dicendis. Non quidem negatur, eum, qui est civiliter infamis, esse quandoque etiam canonice infamem, sed hoc aliunde provenit et non ex sola infamia civili.

760. Divisio. Distinguitur duplex infamia: altera iuris, altera facti. Infamia *iuris* ea sola est, quae in casibus *iure communi* expressis statuitur (c. 2293, § 2). Infamia *facti* contrahitur,

quando quis ob patratum delictum vel ob pravos mores bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit; de quo iudicium spectat ad Ordinarium. Sufficit quidem unum delictum probrosum, dummodo sit ita grave et notorium, ut iuxta iudicium Ordinarii (non alius hominis) destruat bonam existimationem apud fideles probos et graves.

Nota. In antiquo iure infamia aliquando oriebatur ex officiis probrosis, e. g. carnificis, histrionis etc. Iuxta vigentem autem disciplinam infamia oritur *ex solo delicto eoque proprio.* Quare iam nulla infamia afficit delinquentis consanguineos aut affines (ib. § 4). Ex officio autem probroso, e. g. carnificis, oriri potest irregularitas ex defectu.

761. **Casus, in quibus infamia iuris oritur,** sunt septem ipso facto, et duo post sententiam iudicis.

Ipso facto infames iure sunt:

1. qui sectae acatholicae nomen dederit vel publice adhaeserit (c. 2314, § 1, n. 3);
2. qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit (c. 2320);
3. qui corpora vel sepulcra mortuorum ad furtum vel ad alium malum finem violaverit (c. 2328);
4. qui violentas manus iniecerit in personam aut Romani Pontificis aut Cardinalis aut Legati (c. 2343);
5. duellantes eorumque patrini (c. 2351, § 2);
6. bigami (c. 2356);
7. laici legitime damnati ob delicta contra sextum praeceptum cum minoribus infra aetatem 16 annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium (c. 2357).

Infames declarandi sunt:

1. apostatae, haeretici, schismatici, nisi moniti resipuerint (c. 2314, § 1, n. 2);
2. clerici ob eadem delicta contra sextum praeceptum commissa, quae supra de laicis indicata sunt, et insuper propter adulterium, bestialitatem, incestum primi gradus (c. 2359, § 2).

762. **Effectus** *infamiae iuris sunt:*

1. irregularitas ex defectu (c. 984, n. 5);
2. inhabilitas ad obtinenda beneficia, pensiones, officia, dignitates ecclesiasticas (c. 2294, § 1);

3. inhabilitas ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos (ib.);
4. inhabilitas ad exercitium iuris aut muneris ecclesiastici (ib.);
5. prohibitio exercendi ministerium in sacris functionibus (ib.);

Effectus infamiae facti sunt:

1. repulsio a suscipiendis ordinibus, dignitatibus, beneficiis, officiis ecclesiasticis (ib. § 2);
2. repulsio ab exercendo sacro ministerio et ab actibus legitimis (ib.).

763. **Cessatio** infamiae *iuris* ex sola dispensatione S. Sedis obtinetur; cessat autem infamia *facti,* quando bona existimatio apud fideles probos et graves, omnibus perpensis adiunctis et praesertim diuturna rei emendatione, fuit recuperata. Iudicium de hac recuperatione pertinet ad Ordinarium. Quaenam sit *diuturna* emendatio, e. g. utrum sufficiat triennalis, ut docuerunt nonnulli antiqui, item relinquitur prudenti iudicio Ordinarii.

Caput IV. De censuris hodie vigentibus.

Praenotamen. Generaliter statuit Codex iur. can. c. 6, n. 5: «Quod ad poenas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel ut vocant vindicativae latae vel ferendae sententiae, eae tamquam abrogatae habeantur.» Ergo de iure communi vigent solae poenae inventae in novo Codice. — Pro praxi confessarii valde utilis est brevis elenchus censurarum hodie vigentium. Ceterae poenae ecclesiasticae non ita frequenter occurrunt in praxi confessarii. Brevissime igitur tractabimus de hodie exsistentibus censuris, et quidem 1. de excommunicationibus; 2. de interdictis; 3. de suspensionibus.

Art. 1. De excommunicationibus hodie vigentibus.

Excommunicationes latae sententiae hodie vigentes distinguuntur in quinque categorias, secundum quod earum absolutio est reservata: 1. S. Sedi specialissimo modo; 2. speciali modo; 3. simplici modo; 4. Ordinariis; 5. nemini.

I. Excommunicationes S. Sedi specialissime reservatae sunt quattuor

(praeter eas, quae infliguntur violantibus secretum S. Officii aut S. Congr. Consist. in electione episcopi).

764. Excommunicantur hoc modo:

1. qui species consecratas abiecerint vel ad malum finem abduxerint aut retinuerint;

Talem excommunicationem incurrunt e. g. fures, qui sacrilego modo tabernaculum effringunt et hostias dispergunt. — Qui hoc crimen commisit, est insuper a) suspectus de haeresi, b) ipso facto infamis. Si est clericus, deponendus est (c. 2320).

2. qui violentas manus iniecerint in personam Romani Pontificis (c. 2343);

Praeterea delinquens est ipso facto vitandus, est ipso iure infamis; si clericus est, degradandus est.

3. qui absolverint vel finxerint absolvere complicem in peccato turpi (c. 2367, cf. quae supra n. 723 dicta sunt de hac re);

4. confessarius, qui praesumpserit directe violare sigillum sacramentale.

Quid sit directa violatio sigilli, dictum est supra n. 707. Ex verbis Codicis c. 2369, § 1: «Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo S. Sedi reservata», nonnulli (propter verbum *manet* cum accusativo) opinati sunt, hanc censuram non esse latae sed ferendae sententiae, sed opposita sententia est multo probabilior et communior.

II. Excommunicationes speciali modo S. Sedi reservatae sunt undecim

(praeter eas, quae incurruntur propter nonnullos abusus commissos in electione Summi Pontificis).

765. Excommunicantur hoc modo:

1. qui sunt a christiana fide apostatae, haeretici, schismatici (c. 2314, § 1);

Quid sint apostatae a fide, haeretici, schismatici, supra n. 201 dictum est. Ille, qui est suspectus de haeresi, et qui intra sex menses a contracta poena sese non emendaverit, habetur tamquam haereticus, et proinde haereticorum poenis obnoxius (c. 2315). — Si delictum haeresis, apostasiae vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo (etiam per voluntariam confessionem) deductum fuerit, idem Ordinarius loci (non vero Vicarius generalis sine speciali mandato) resipiscentem potest auctoritate sua ordinaria in foro externo absolvere, praevia abiuratione peracta aliisque servatis de iure servandis; ita vero absolutus potest deinde a peccato absolvi per quemlibet confessarium in foro conscientiae (c. 2314, § 2). Hoc statutum habet valorem practicum, quando neo-conversi recipiuntur in gremium Ecclesiae.

In apostatas, haereticos, schismaticos aliae quoque poenae latae sunt, quae enumerantur in c. 2314.

766. 2. qui sunt editores librorum apostatarum, haereticorum, schismaticorum apostasiam, haeresim vel schisma propugnantium; item, qui eosdem libros vel alios per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendunt aut scienter sine debita licentia legunt vel retinent (c. 2318, § 1);

Haec censura, quae iam continebatur in Bulla «Apostolicae Sedis», paulo mutata est. Ad eam explicandam breviter indicamus, 1. quinam libri et 2. quaenam actiones sub censura prohibeantur.

Libri (non autem manuscripta et ephemerides, certo vero publicationes periodicae in fasciculos ligatae: S. Off. d. 13 Ian. 1892) sunt ii,

a) qui data opera defendunt (non autem solum continent) apostasiam, haeresim, schisma. Iuxta aliquos auctores liber talis non esset sub excommunicatione prohibitus, si quidem defenderet apostasiam etc., sed esset conscriptus ab auctore anonymo, vel catholico, vel non-baptizato; quoniam tales auctores in stricto sensu non sunt haeretici etc., sed ista explicatio videtur esse cum nimis formalistica tum contra spiritum legis, quae vult protegere fideles contra gravia pericula orientia ex omni libro, qui data opera defendit apostasiam etc.

b) qui sunt nominatim (i. e. expresso proprio titulo, non autem generaliter sub titulo: opera omnia talis auctoris) per apostolicas litteras, e. g. per Breve, Encyclicam etc. (non autem per decretum S. Officii), prohibiti et quidem sub excommunicatione. Tales libri sunt valde pauci et in novo Indice librorum prohibitorum notantur cruce †.

Actiones prohibitae sunt quattuor:

a) *edere*, scil. hanc actionem committunt auctor, typographus, editor, non autem probabiliter alii cooperatores;

b) *legere,* scil. is, qui propriis oculis perlustrat et aliqualiter saltem ea intellegit, quae legit; non autem qui audit legentem, neque qui materialiter (i. e. sine ullo intellectu) legit, neque qui legit minimam partem libri, ita ut nullum periculum perversionis oriatur. Requiritur, ut quis *scienter* legat; quare omnis ignorantia (excepta affectata) excusat a censura;

c) *defendere,* scil. is, qui librum defendit non propter eius elegantiam aliasque bonas qualitates, sed praecise, quia defendit apostasiam etc.;

d) *retinere,* scil. is, qui proprio nomine retinet librum sine magna necessitate. Hinc non excommunicantur, qui sunt custodes in bibliothecis alienis, qui compingunt libros (vulgo Buchbinder, relieur, book-binder).

Nota. 1. Praeter excommunicationem modo explicatam exsistit alia (nemini reservata) contra eos, qui sine debita licentia imprimendam curant S. Scripturam etc.; cf. infra.

2. Praeter libros *sub censura* prohibitos exsistit magnus numerus aliorum librorum prohibitorum, de quibus videsis nostrum Man. iur. can. q. 417 sqq.

3. qui ad ordinem sacerdotalem non promoti simulaverint celebrationem Missae aut exceperint confessionem sacramentalem (c. 2322);

4. qui appellant a mandatis Romani Pontificis ad universale Concilium (c. 2332);

5. qui recurrunt ad potestatem civilem ad impediendas litteras vel acta S. Sedis (c. 2333);

767. 6. qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt; item qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem (c. 2334);

Haec excommunicatio esset hodie frequentissima in iis regionibus, in quibus multae leges iniquae conduntur a deputatis vel senatoribus, sed in praxi saepe excusare videtur ignorantia censurae vel aliquando quoque Concordata inita. Homo autem privatus, qui recurrit ad aliquam laicalem potestatem, ut impediatur iurisdictio ecclesiastica, nullam excusationem meretur.

7. qui sine venia S. Sedis ausi fuerint ad iudicem laicum trahere vel aliquem Cardinalem

vel Legatum S. Sedis vel Officialem maiorem Curiae Romanae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium (c. 2341);

Talis venia S. Sedis, ut scil. causae quoque clericorum agi possint apud tribunalia laicalia, aliquando generaliter concessa est per Concordata, e. g. pro nonnullis regionibus Americae latinae. Ad iudicem laicum trahere videtur significare, ut personae indicatae cogantur apparere in tribunali laico tamquam *accusati,* non tamquam *testes.*

768. 8. qui violentas manus iniecerint in personam vel Cardinalis vel Legati Papalis vel Patriarchae vel archiepiscopi vel cuiuscumque episcopi (etiam titularis) (c. 2343);

Violentas manus inicere significat quamcumque gravem laesionem privilegii canonis, e. g. percutere, incarcerare.

Eadem laesio commissa in alios clericos punitur aliis censuris, cf. supra sub I, 2 et infra sub IV, 6.

9. qui usurpant vel detinent bona aut iura ad ecclesiam *Romanam* pertinentia (c. 2345);

10. qui falsificant litteras vel acta S. Sedis vel qui iisdem falsificatis scienter utuntur (c. 2360, § 1);

11. qui calumniose denuntiaverint confessarium de sollicitatione ad turpia (c. 2363).

Cf. supra n. 729, ubi dictum est calumniosam hanc denuntiationem semper esse peccatum reservatum S. Sedi etiamsi censura non est contracta, e. g. propter ignorantiam poenae.

III. Excommunicationes simpliciter S. Sedi reservatae item sunt undecim.

769. Excommunicantur hoc modo:

1. qui quaestum faciunt ex indulgentiis (c. 2327);

Quaestum facere ex indulgentiis videntur omnes illi, qui inde lucrum temporale ex industria requirunt, neque est necesse ut istud lucrum sibi applicent. Lucrum etiam pro causis piis est prohibitum.

770. 2. nomen dantes sectae massonicae aliisque eiusdem generis associationibus, quae contra

Ecclesiam vel legitimas potestates civiles machinantur (c. 2335);

S. Officium d. 10 Maii 1884 distinxit inter societates *simpliciter* et *sub censura* prohibitas. Simpliciter prohibitae societates sunt omnes, quae vel pravum finem prosequuntur e. g. ad promovendum usum comburendi cadavera humana, vel prava media adhibent, vel strictissimum silentium et absolutam oboedientiam a suis sectatoribus exigunt. Sub censura prohibitae sunt societates massonicae, carbonariae omnesque, quae contra legitimas potestates civiles aut contra Ecclesiam data opera machinantur, ut Communistae, Bolschewiki, Nihilistae. Num socialistae omnes sub hac censura cadant, videtur dubium.

771. 3. absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservata (c. 2338, § 1);

Cum censura feratur in solos praesumentes, ignorantia omnis (excepta affectata) excusat.

4. qui impendunt auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto, propter quod excommunicatus fuit; item clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis recipientes (c. 2338, § 2);

Cum excommunicati vitandi hodie sint rarissimi, supersedeo ab explicatione huius censurae. Cf. nostrum Man. theol. mor. III 519.

5. qui ausi fuerint (sine praevia legitima venia) ad iudicem laicum trahere episcopum (non autem proprium Ordinarium vel abbatem), vel praelatum nullius vel superiorem maiorem in religione iuris Pontificii (c. 2341);

Hac excommunicatione puniuntur ii, qui laedunt privilegium fori respectu aliquorum praelatorum. Alias excommunicationes propter laesionem eiusdem privilegii fori vel respectu altissimorum praelatorum vide supra II, 7 vel respectu aliarum personarum ecclesiasticarum vide infra n. 777.

6. violantes clausuram monialium; item mulieres violantes regularium virorum clausuram et quicumque eas admittunt vel introducunt; item moniales e clausura illegitime exeuntes (c. 2342);

Clausura, de qua hic agitur, est sic dicta clausura *papalis*, quae non solet exsistere nisi in institutis religiosis votorum sollemnium. Laedentes igitur quamcumque aliam clausuram non incurrunt hanc excommunicationem. Quandonam sit licitum ingredi in clausuram vel ex ea egredi videsis nostrum Man. iur. can. q. 228.

7. usurpantes bona ecclesiastica, aut impedientes ne eorundem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur (2346);

Aliae quoque poenae infliguntur iis, qui hoc crimen commiserunt; ut statuitur in canone citato. Fures et latrones non videntur hanc censuram incurrere (cf. S. Off. d. 9 Mart. 1870); pariter civitatis maior (vulgo maire, Bürgermeister) et consiliarii, qui bona ecclesiastica non in proprios, sed in civitatis usum converterunt (S. Paenit. d. 3 Ian. et 8 Mart. 1906); pariter qui libere susceperunt munus administrandi bona sic erepta (S. Paenit. d. 17 Sept. 1906). Illi autem, qui bona ecclesiastica, i. e. ad quamcumque ecclesiasticam personam *moralem* pertinentia, *sibi* emerunt vel locaverunt; pariter parochi aliive beneficiarii intrusi hanc excommunicationem incurrunt; a qua absolutio nequit concedi nisi post restitutionem istorum bonorum. In nonnullis regionibus, e. g. in Gallia, Italia, episcopi gaudent speciali facultate dandi vel facilitandi hanc absolutionem. (S. Paenit. d. 5 Aug. 1907).

8. duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes, acceptantes, permittentes, de industria spectantes, vel quamlibet operam aut favorem praebentes (c. 2351). Cf. quae de hac materia supra n. 279 dicta sunt;

772. 9. clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium (etiam civiliter tantum) contrahere praesumentes (c. 2388, § 1);

Haec excommunicatio ante novum Codicem reservata fuit Ordinario, cui nunc alia similis excommunicatio reservata est, nempe lata in professos votorum simplicium praesumentes matrimonium contrahere (cf. infra IV, 9). Si clerici religiosive

non matrimonium (saltem apparens) sed merum concubinatum attentant, hanc excommunicationem non incurrunt.

10. qui simoniam committunt in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis (c. 2392);

Simoniaci etiam diversis aliis poenis plectuntur, ut patet ex c. 2392, sed excommunicationes, quibus ante novum Codicem puniebantur ii, qui committebant simoniam in ingressu religionis, in stipendiis Missarum collectis etc., videntur esse abolitae.

11. omnes, qui documentum quodlibet ad curiam episcopalem pertinens subtraxerunt vel destruxerunt vel celaverunt vel substantialiter mutaverunt (c. 2405).

IV. Excommunicationes reservatae Ordinariis sunt novem.

773. Excommunicantur hoc modo:

1. qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico (c. 2319), ut sacris addicto non autem ut est merus officialis civilis;

In foro externo hanc excommunicationem incurrunt etiam ii, qui eam ignorant (S. Off. d. 17 Maii 1892). Episcopi solent statuere determinatas normas, iuxta quas reconciliatio fieri debeat.

2. qui uniuntur matrimonio cum pacto, ut proles educetur extra Ecclesiam catholicam (ib.);

3. qui scienter liberos suos ministris acatholicis baptizandos offerre praesumpserint (ib.);

4. parentes parentumve locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt (ib.);

5. qui falsas reliquias conficiunt, aut scienter vendunt, distribuunt vel publicae fidelium venerationi exponunt (c. 2326);

6. qui violentas manus iniecerunt in personam vel clericorum (non fulgentium aliqua dignitate praelatitia supra I, 2 et II, 8 indicata) vel utriusque sexus religiosorum (c. 2343, § 4);

7. procurantes abortum, effectu secuto, matre non excepta (c. 2350);

8. religiosi apostatae a religione. Quae quidem excommunicatio proprio superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo commorantur, est reservata (c. 2385);

9. professi votorum simplicium perpetuorum (tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis); item omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes (c. 2388, § 2, cf. supra III, 3).

Nota. Ab his novem censuris confessarii regulares possunt absolvere, nisi Ordinarius aliquam specialiter sibi reservavit. In articulo mortis constitutus et his censuris innodatus a quolibet confessario absolvi potest, quin remaneat obligatio adeundi episcopum, si absolutus convaluerit.

V. Excommunicationes nemini reservatae sunt quinque.

774. Excommunicantur hoc modo:

1. auctores et editores, qui sine debita licentia S. Scripturam eiusque adnotationes aut commentarios imprimi curant (c. 2318, § 2);

2. qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum c. 1240, § 1 (c. 2339);

Praeter enumeratos privantur sepultura ecclesiastica: 1. suicidae; 2. mortui in duello aut ex vulnere inde relato; 3. qui mandaverunt suum corpus cremari; alii peccatores publici. — Si tamen omnes isti ante mortem dederunt aliqua signa poenitentiae, possunt donari sepultura ecclesiastica.

3. omnes quovismodo reos in illegitima alienatione bonorum ecclesiasticorum, sine requisito beneplacito apostolico (c. 2347, n. 3);

4. qui quoquo modo cogunt aliquem ad statum clericalem vel religiosum (c. 2352);

5. qui scienter omiserunt confessarium, a quo sollicitati fuerunt, intra mensem denuntiare (c. 2368, § 2).

Art. 2. De interdictis hodie vigentibus.

775. 1. Universitates, collegia, capitula aliaeve *personae morales,* quocumque nomine nuncupentur, appellantes a legibus, decretis, mandatis R. Pontificis pro tempore exsistentis ad universale Concilium (c. 2332).

Personae *physicae* hoc delictum perpetrantes sunt suspectae de haeresi et incurrunt excommunicationem speciali modo S. Sedi reservatam, ut iam supra II, 3 dictum est. Interdictum, quod incurrunt personae morales, item est speciali modo S. Sedi reservatum.

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina (per censuram vetita) clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam contrahunt ipso iure *interdictum ab ingressu ecclesiae*, donec arbitrio eius, cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint (c. 2338, § 3).

3. Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti (ib. § 4).

Hoc interdictum videtur esse nemini reservatum.

4. *Sponte* dantes ecclesiasticam sepulturam infidelibus, apostatis a fide, vel haereticis, schismaticis aliisve sive excommunicatis sive interdictis contrahunt *interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum* (c. 2339).

5. Catholici, qui matrimonium mixtum (etsi validum) sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto ab actibus legitimis et *Sacramentalibus* exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint (c. 2375).

Art. 3. De suspensionibus hodie vigentibus.

Distinguuntur suspensiones reservatae; 1. S. Sedi; 2. episcopis; 3. superioribus religionis; 4. nemini. — Nonnullae ex istis suspensionibus sunt potius poenae vindicativae quam censurae.

I. Suspensiones reservatae S. Sedi.

776. 1. Qui sine mandato Apost. Sedis consecrationem episcopalem conferunt vel recipiunt, ipso iure suspensi sunt, donec S. Sedes eos dispensaverit (c. 2370).

2. Omnes clerici (etiam episcopali dignitate aucti), qui simoniace ordinationem aliave sacramenta conferunt aut recipiunt, suspensionem incurrunt (c. 2371).

3. Qui *praesumunt* recipere ordines ab excommunicato vel suspenso vel interdicto (post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam) aut a notorio apostata, haeretico, schismatico, incurrunt suspensionem a divinis. Qui vero *bona fide* a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti, donec dispensetur (c. 2372).

4. Qui conferunt ordines a) sine requisitis litteris testimonialibus aut dimissoriis; b) sine titulo canonico; c) sine licentiis necessariis in ordinatione religiosorum, incurrunt ipso facto suspensionem per annum ab ordinum collatione (c. 2373).

5. Abbas vel praelatus nullius, qui, cessante legitimo impedimento, intra tres menses a receptis litteris Apostolicis non recepit benedictionem, est ipso facto a iurisdictione suspensus (c. 2402).

Non est extra dubium, num haec suspensio sit reservata, cum Codex sileat de reservatione.

6. Clericus religiosus, in ordinibus maioribus constitutus, cuius professio ob admissum ab ipso

dolum nulla fuerit declarata, suspensus est, donec S. Sedi aliter visum fuerit (c. 2387).

7. Clericus religiosus professus votorum perpetuorum et in ordinibus sacris constitutus, qui dimissus fuit a religione ob delicta minora (iis, qui in c. 670 indicantur), ipso facto suspensus manet (c. 671).

8. Sacerdotes, qui sine debitis litteris a S. Congregatione Consistoriali (d. 30 Dec. 1918) requisitis ex Europa vel ex Mediterranei oris ad Americam vel ad insulas Philippinas temere arroganterque demigraverint, suspensi a divinis ipso facto manent; qui si nihilominus sacris (quod Deus avertat) operari audeant, in irregularitatem incidunt; a quibus poenis absolvi non possunt nisi a S. Congregatione Consistoriali (Act. Ap. Sed. XI, 43).

II. Suspensio reservata Ordinario.

777. Clericus, qui ausus fuit ad iudicem laicum trahere (non obtenta ab Ordinario loci licentia) personam ecclesiasticam (quae tamen non fulget dignitate cardinalitia, episcopali, praelatitia maiore), incurrit *suspensionem ab officiis* (c. 2341).

III. Suspensio reservata superiori maiori religioso.

778. Religiosus fugitivus in sacris constitutus suspensus est (c. 2386).

Non solum religiosi proprie dicti, sed etiam sodales sine votis in societatibus virorum in communi viventes plectuntur hac paena, si sunt fugitivi (Commissio Pontificia d. 3 Iun. 1918).

IV. Suspensiones reservatae nemini.

779. 1. Sacerdos, qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui autem a peccatis reservatis absolvere praesumpserit, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus (c. 2366).

2. Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris vel ante canonicam aetatem vel per saltum ad ordines *malitiose* accesserit, est ipso facto a suscepto ordine suspensus (c. 2374).

3. Clericus, qui in manus laicorum *praesumpserit* resignare officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam, ipso facto *suspensionem a divinis* incurrit (c. 2400).

4. Vicarius capitularis illegitime concedens litteras dimissorias pro ordinatione ipso facto subiacet *suspensioni a divinis* (c. 2409).

5. Superiores religiosi, qui illegitime subditos suos ad episcopum alienum ordinandos remittere *praesumpserint*, ipso facto suspensi sunt per mensem *a Missae celebratione* (c. 2410).

Haec suspensio afficit etiam superiores societatum clericalium sine votis, si societas gaudet privilegio concedendi suis subditis dimissorias ad ordines (Pont. Com. d. 2—3 Iun. 1918. Act. Ap. Sed. X 347).

TRACTATUS VII.
De indulgentiis.

Iste tractatus dividitur in tria capita: 1. de indulgentiis in genere; 2. de condicionibus requisitis ad lucrandas indulgentias; 3. de nonnullis indulgentiis in particulari.

Caput I. De indulgentiis in genere.

780. **Notio.** *Indulgentia est remissio coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis (ad culpam quod attinet, iam deletis), quam ecclesiastica auctoritas extra sacramentum paenitentiae ex thesauro Ecclesiae concedit: pro vivis per*

modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii (c. 911).

Dicitur 1: *remissio coram Deo poenae temporalis;* non enim indulgentiis remittitur culpa neque mortalis neque venialis, uti calumniose Protestantes asserunt. Postquam culpa peccati iam deleta est aliis modis, indulgentiae remittunt poenam temporalem residuam, et quidem non in solo foro ecclesiastico sed etiam in foro Dei; ac proinde haec poena temporalis sic remissa iam non est luenda neque in hac terra neque in purgatorio.

Dicitur 2: *quam ecclesiastica auctoritas extra sacramentum paenitentiae ex thesauro Ecclesiae concedit.* Poenae temporales residuae post remissionem culpae possunt multis modis deleri: satisfactione sacramentali, operibus mortificationis libere susceptis atque patienter toleratis miseriis huius vitae. Per indulgentias autem delentur istae poenae, in quantum Ecclesia ex suo thesauro, i. e. ex cumulo satisfactionum Christi et sanctorum, offert satisfactionem debitam. Fundantur igitur indulgentiae super duobus, scil. super thesauro Ecclesiae et super vicaria satisfactione (cf. nostrum Man. theol. mor. III 541).

Dicitur 3: *pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii.* Cum enim Ecclesia ex iurisdictione, quam habet super omnes fideles vivos, possit eos absolvere ab omnibus, quae impediunt ingressum in caelum, largiendo indulgentias revera absolvit a poenis temporalibus; cum autem careat iurisdictione in defunctos, non potest nisi per modum suffragii offerre ex thesauro suo satisfactiones seu indulgentias pro defunctis.

781. **Divisiones.** 1. Ratione *effectus* distinguuntur indulgentiae *plenariae* et *partiales,* prout totam vel partem tantum poenae remittunt.

Plenaria indulgentia ita concessa intellegitur, ut, si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione, quam habet (c. 926). Nequit autem indulgentia plenaria annexa alicui operi acquiri pluries in die, quamvis idem opus pluries ponatur, nisi tamen aliud expresse cautum sit (c. 928). — *Partialis* indulgentia, quantam partem poenarum remittat, nequit certo determinari. Communissime docent auctores, indulgentiam partialem, e. g. septem annorum totidemque quadragenarum, remittere tantam partem poenarum, quanta remissa fuit per paenitentiam septem annorum totidemque quadragenarum peractam iuxta veterem disciplinam

Ecclesiae. Partiales indulgentiae, nisi contrarium expresse notetur, saepius per diem, eodem opere repetito, possunt lucrifieri (c. 928).

2. Ratione *subiecti* distinguuntur indulgentiae *pro vivis* et *pro defunctis,* prout vivis aut defunctis sunt applicabiles.

Omnes indulgentiae concessae a Rom. Pontifice sunt applicabiles defunctis, nisi aliud constet (c. 930). Pariter omnes indulgentiae, quas lucrantur ii, qui sic dictum actum heroicum emiserunt (Raccolta 531).

3. Ratione *modi* distinguuntur indulgentiae *personales, reales, locales;* prout conceduntur aut determinatis personis e. g. membris alicuius confraternitatis, aut connectuntur cum certis rebus e. g. cum rosario, aut cum certo loco e. g. cum tali ecclesia.

782. **Dispensatores** indulgentiarum sunt:

a) *Rom. Pontifex* (illimitate);

b) *Cardinales* 200 dierum (c. 239, § 1. n. 24);

c) *Archiepiscopi* in tota sua provincia 100 dierum (c. 274, n. 2);

d) *Episcopi residentiales* in sua dioecesi 50 dierum (c. 349, § 2, n. 2). In consecratione autem ecclesiae vel altaris episcopus potest ampliores indulgentias concedere (c. 1166);

e) *Vicarii et Praefecti Apostolici* intra sui territorii fines et perdurante munere 50 dierum (c. 294, § 2);

Nota. Omnes inferiores Rom. Pontifici ordinarie nequeunt:
a) suam facultatem concedendi indulgentias aliis committere;
b) indulgentias concedere defunctis applicabiles;
c) eidem rei seu actui pietatis vel sodalitio, cui iam a S. Sede vel ab alio indulgentiae concessae sunt, alias adiungere, nisi novae condiciones adimplendae praescribantur (c. 913).

f) Nuntii, Legati a latere, Paenitentiarius maior Romae aliique possunt item nonnullas indulgentias concedere.

Caput II. De condicionibus requisitis ad lucrandas indulgentias.

Pro consecutione indulgentiae requiruntur tria: 1. debita intentio; 2. status gratiae et perfecta unio sanctorum; 3. impletio operum praescriptorum (c. 925).

783. 1. *Intentio* quaelibet virtualis, immo et habitualis i. e. quae semel habita et numquam retracta est, sufficit ad lucrandas indulgentias. Indulgentia enim est purum beneficium, quod quilibet praesumitur acceptare, qui non positive contradixerit. Si quis autem vult applicare animae determinatae aliquam indulgentiam, profecto requiritur intentio explicita (saltem virtualis).

784. 2. *Status gratiae, immo et perfecta unio sanctorum* requiritur ad lucrandam quamlibet indulgentiam.

Quare indulgentias nequeunt lucrari

a) non-baptizati et excommunicati;

b) illi, qui sunt in statu peccati mortalis. Immo etiam peccatum veniale impedit, ne *tota* poena temporalis condonetur. Aliorum quidem iam quoad culpam deletorum peccatorum poenae residuae per indulgentias tunc deleri possunt, sed non poena peccati venialis nondum remissi. — Sunt quidem pauci auctores, qui docent pro animabus purgatorii acquiri posse indulgentias etiam ab illo, qui ipse est in statu peccati mortalis, sed haec sententia est parum probabilis et manifeste adversatur doctrinae S. Thomae. Sufficit autem, ut adsit status gratiae saltem *in fine* operum praescriptorum (c. 925, § 1).

785. 3. *Opera praescripta* pro indulgentiis lucrandis necesse est ut fideliter impleantur, ita ut substantialis mutatio irritet indulgentiam lucrandam.

Opera praescripta debent

a) impleri *personaliter,* nisi sit eleemosyna, quae etiam dari potest per alium. Hinc etiam iuxta vigentem disciplinam non potest indulgentia applicari alteri *vivo* (c. 930);

b) *supererogatorie* impleri et non per opera iam aliunde praescripta *sub peccato* (nisi tamen aliud expresse dicatur in concessione), e. g. quando praescripta est visitatio ecclesiae, nequit id fieri per auditionem Missae dominicalis. Qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem paenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et paenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari (c. 932).

Item per communionem paschalem indulgentiae ordinarie acquiri possunt (Decreta auth. n. 327).

Nota. 1. Uno eodemque opere, cui ex variis titulis indulgentiae annexae sunt, non possunt plures acquiri indulgentiae, nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse cautum fuerit (c. 933). Sic e. g. si quis recitat rosarium (rite benedictum), lucratur simul indulgentias Dominicanorum et Crucigerorum (Pius X, d. 12 Iunii 1907, Beringer-Hilgers[14], Die Ablässe I 113).

2. Pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta, confessarii possunt in alia commutare pro iis, qui legitimo detenti impedimento eadem praestare nequeunt (c. 935). Cum haec facultas sit generaliter et sine limitatione concessa, ea uti potest confessarius etiam extra confessionem et etiam quantum ad communionem.

Particularia opera, quae solent imponi ad indulgentias lucrandas, sunt a) confessio, b) communio, c) visitatio alicuius ecclesiae, d) certae preces.

786. a) *Confessio,* si qua praescripta est, debet fieri ab iis quoque, qui non habent nisi peccata venialia. Confessio autem sacramentalis peracta *octiduo* ante vel post diem pro indulgentiis determinatam sufficit ad lucrandas omnes indulgentias durantibus his octiduis (c. 931, § 1). Pro aliquibus dioecesibus concessum est indultum, ut fideles possint omnes indulgentias lucrari, dummodo confessionem peregerint ab ultima quindena. Immo Christifideles, qui solent (nisi legitime impediantur) saltem bis in mense ad paenitentiae sacramentum accedere aut s. communionem recipere cotidie (quamvis semel aut iterum in hebdomada ab ea abstineant), possunt lucrari omnes indulgentias,

quae ceteroquin sine confessione acquiri non possent (exceptis indulgentiis iubilaei vel ad instar iubilaei c. 931, § 3). Ergo e. g. sacerdos, qui cotidie solet Missam dicere, potest lucrari omnes indulgentias, etiamsi non valet confiteri nisi semel in sex hebdomadis.

787. b) *Communio* una (etiam paschalis) sufficit ad lucrandas plures indulgentias pro eadem die, quarum singulae exigunt communionem. Si indulgentia concessa est pro determinata die, semper iam pridie, et insuper intra subsequentem octavam, licet communionem praescriptam peragere. Illis, qui propter infirmitatem diuturnam aut aliud impedimentum physicum permanens nequeunt communionem praescriptam suscipere, potest confessarius aliud pium opus subrogare. Eandem commutationem potest confessarius concedere *pueris,* qui nondum accesserunt ad ss. eucharistiam.

788. c) *Visitatio ecclesiae* aliquando praescripta ad lucrandas indulgentias facienda est in ecclesia determinata, si ita est statutum. Sin autem visitatio alicuius ecclesiae in genere praescripta est, sufficit visitare quamcumque ecclesiam vel etiam oratorium publicum, non autem oratorium semipublicum aut privatum. Nihilominus illi, qui perfectionis studio vel educationis vel institutionis vel valetudinis causa vitam communem agunt in domibus, quae carent ecclesia vel publico sacello, sed quae de consensu Ordinarii constitutae sunt; necnon personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes possunt visitando proprium sacellum semipublicum peragere visitationem praescriptam alicuius ecclesiae *indeterminatae* (c. 929).

Indulgentia *plenaria,* concessa ut *cotidiana perpetua* vel *ad tempus* visitantibus aliquam ecclesiam vel oratorium publicum,

ita intellegenda est, ut quidem quacumque die sed *semel tantum in anno* ab unoquoque fideli acquiri possit, nisi aliud in decreto expresse dicatur (c. 921, § 3).

Ad lucrandam indulgentiam *alicui diei affixam,* si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec fieri potest *a meridie* praecedentis diei usque ad mediam noctem, quae statutum diem claudit (c. 923). Hinc e. g. pro lucranda indulgentia sic dicta «toties quoties» nunc maius tempus concessum est quam ante novum Codicem.

789. d) *Preces recitandae* debent esse:

vocales, ideoque non sufficiunt mere mentales, nisi expresse contrarium notetur. Si preces *in genere* praescribuntur ad mentem Rom. Pontificis, sufficiunt quaecumque preces orales, e. g. Pater noster, Litaniae etc. Sin autem preces *peculiares* assignantur, possunt quidem in quocumque idiomate recitari, sed indulgentiae cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem (c. 934, § 2). Hoc statutum videtur esse satis durum; quare e. g. indulgentiae concessae recitationi rosarii non cessant, si post quamlibet decadem vel post quodlibet Ave Maria intercalatur mysterium meditandum, ut declaravit S. Paenitentiaria 22 Ian. 1921 (Act. Ap. Sed. XIII 164). — Si *cum socio* preces recitantur, satis est non solum eas *alternatim* recitare, sed etiam *mente* eas prosequi, dum ab alio recitantur (ib. § 3).

Muti lucrari possunt indulgentias, si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios sensus ad Deum attollunt, immo etiam, si agitur de precibus privatis, si eas mente recolunt signisve effundunt vel tantummodo oculis percurrunt (c. 936).

790. Cessatio indulgentiarum in novo Codice clare ordinata est.

1. Indulgentiae *locales* cessant, si ecclesia vel oratorium penitus destruatur; reviviscunt autem indulgentiae, si ecclesia intra 50 annos in eodem

vel in eodem fere loco sub eodem titulo reaedificatur (c. 924, § 1).

2. Indulgentiae *reales* cessant solummodo in duobus casibus: a) si res prorsus desinunt esse; b) si venduntur (ib. § 2).

Hinc non cessant indulgentiae, si res indulgentiis ditata, e. g. rosarium, alteri *donatur* aut *commodatur*, idque etiam postquam quis ea usus est ad indulgentias lucrandas; si *successive* reparetur res secundum partes minores, quamvis tandem aliquando tota res sit mutata; econtra videtur cessare indulgentia alicui rosario concessa, si illis chorda ita rumpitur, ut non habeatur nisi acervus granorum.

Caput III. De nonnullis indulgentiis in specie.

De paucis indulgentiis in particulari agimus, de iis nempe, quae frequentius in praxi sacerdotali occurrunt, scil. de indulgentia in articulo mortis, in benedictione papali, in absolutione generali, de indulgentiis annexis altari privilegiato, coronis, viae crucis. Omittimus indulgentiam iubilaei, quia in unoquoque iubilaeo solent particularia statuta ferri.

1. Indulgentia in articulo mortis.

791. **Natura.** *Indulgentia in articulo mortis est ea, quam Summus Pontifex per se vel per delegatum moribundis impertitur sub forma cuiusdam absolutionis seu benedictionis.*

Distinguitur ista indulgentia ab aliis, quas fideles in articulo mortis lucrari possunt, e. g. osculando crucifixum, tenendo nonnulla numismata, vel tamquam membra alicuius confraternitatis. Huiusmodi enim indulgentias ipse fidelis sibi applicat, dum indulgentia papali benedictioni annexa non potest applicari nisi per benedictionem sacerdotis auctoritate Rom. Pontificis concessam. Haec indulgentia non sortitur effectum suum nisi *momento, quo anima a corpore separatur* coram supremo iudice comparitura, neque videtur esse applicabilis aliis defunctis, etiam si quis fecerit sic dictum actum heroicum. S. Cong. Indulg. de hac re interrogata recusavit responsum dicens d. 23 Ian. 1901: «non esse interloquendum.»

Subiectum. Benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis recipere possunt omnes in gravi periculo mortis constituti, qui sunt capaces absolutionis sacramentalis neque eam in eodem periculo mortis iam receperunt.

Declaratur. Dicitur 1: *omnes in gravi periculo mortis constituti* seu ii, qui viaticum recipere possunt, e. g. milites ante proelium, damnati ad mortem etc.

Dicitur 2: *qui absolutionis sacramentalis sunt capaces.* Ergo etiam sensibus destituti, pueri capaces peccati, quamvis primam communionem nondum receperint.

Dicitur 3: *neque eam in eodem periculo mortis iam receperunt.* Haec enim benedictio, quippe quae effectum suum sortiatur ultimo momento vitae, nequit iterari durante eodem periculo mortis. Quod observari debet, etiamsi infirmus in statu peccati mortalis eam acceperit aut, ea accepta, in peccatum mortale relapsus est. Sin autem infirmus convaluerit ac deinde in novum periculum mortis incidat, licet quidem hanc benedictionem iterare, sed non est necessarium.

792. **Condiciones requisitae:**

a) *ex parte dantis* hanc benedictionem iam nulla specialis facultas requiritur, cum statuat Codex iur. can. c. 468, § 2: «Parocho aliive sacerdoti, qui infirmis assistat, facultas est iis concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis secundum formam a probatis libris liturgicis traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat.»

Formula praescripta a Benedicto XIV, quae invenitur in Rituali Romano, videtur esse omnino abhibenda etiam a regularibus specialem ritum habentibus. Si ista benedictio datur post viaticum et extremam unctionem (ut fieri solet), «Confiteor» debet repeti, ita ut tunc tribus vicibus sit dicendum (Decret. auth. Indulg. n. 286, n. 6).

b) *ex parte recipientis:*

α) ut non sit excommunicatus vel manifeste impaenitens;

β) ut mortem aequo animo ex manu Dei recipiat;

γ) ut ss. nomen Iesu ore (si possit), secus corde devote invocet.

Quare sacerdos assistens admoneat infirmum, ut ss. nomen Iesu invocet.

2. Indulgentia coniuncta cum benedictione papali.

793. **Notio.** *Benedictio Papalis seu Apostolica est benedictio in quibusdam circumstantiis sollemnioribus impertita vel a Romano Pontifice vel ab eius delegato; cui benedictioni adiuncta est indulgentia plenaria.*

Condiciones requisitae ex parte dantis:

a) *specialis facultas,* quam habent *ex iure communi:*

α) episcopi in sua quisque dioecesi bis in anno, i. e. die sollemni Paschatis et alio die festo sollemni ab ipsis designando;

β) abbates et praelati nullius, vicarii et praefecti apostolici (etsi episcopali dignitate carentes) in suis territoriis *uno* tantum ex sollemnioribus per annum diebus (c. 914). Hanc facultatem ex delegatione speciali habent complures sacerdotes e clero saeculari vel regulari.

b) *formula adhibenda* ab episcopis aliisque praelatis saecularibus invenitur in Appendice Pontificalis Rom., adhibenda a praelatis regularibus habetur in Rituali Rom. tit. VIII, c. 32; adhibenda a concionatoribus ordinarie est eadem, quae habetur in Rituali loco citato. Si tamen nulla determinata formula praescripta est, sufficit sola benedictio cum crucifixo una cum verbis: «Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.» Unicum, non triplex signum crucis est faciendum (S. R. C. d. 11 Maii 1911, cf. Beringer[14], Die Ablässe II 456).

3. Indulgentia in absolutione generali.

794. **Notio.** *Absolutio generalis est absolutio regularibus, monialibus, tertiariis quorundam ordinum ex privilegio concedenda certis diebus iuxta determinatam formulam, quacum non solum coniuncta est indulgentia plenaria, sed etiam remissio censurarum et transgressionum regulae.*

Condiciones requisitae ex parte dantis sunt:

1. *specialis facultas,* si agitur de absolutione *publice* danda. Hanc facultatem habent proprius superior eiusque delegatus pro suis subditis; confessarius monasterii vel alius sacerdos delegatus ab Ordinario pro monialibus et sororibus in communitate viventibus; director vel quilibet confessarius pro tertiariis saecularibus;

2. *specialis formula,* quae habetur in appendice Ritualis Rom. Privatim in confessionali hanc absolutionem dare potest quilibet confessarius per formulam breviorem: «Auctoritate apostolica mihi concessa plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen» (cf. Beringer[4], Die Ablässe II 455).

Condiciones requisitae ex parte recipientis nullae aliae sunt quam status gratiae et esse membrum legitime adscriptum sodalitati, cui privilegium absolutionis generalis concessum est.

4. Indulgentia altaris privilegiati.

795. **Notio et species.** *Altare privilegiatum nihil aliud est nisi indulgentia plenaria annexa Missae dictae vel in certo altari vel a certo sacerdote.*

Distinguitur: 1. altare privilegiatum *pro vivis et defunctis* et *pro solis defunctis.* Primum (quod hodie est rarissimum) concedit indulgentiam plenariam vel vivis vel defunctis; alterum autem solis defunctis;

2. altare privilegiatum *locale, personale, mixtum,* prout indulgentia plenaria concessa est in aliquo determinato altari omnibus sacerdotibus celebrantibus; vel alicui sacerdoti celebranti in quocumque altari; vel in aliquo determinato altari determinatis sacerdotibus.

Indulgentia altaris privilegiati *localis* concessa est a) omnibus altaribus ecclesiae, in qua peragitur supplicatio 40 horarum, b) die secunda Novembris (Commemoratio Omn. Fidelium Def. c. 917). — Tale altare designare possunt in unaquaque ecclesia nonnulli praelati (cf. c. 916).

Altare privilegiatum *personale* conceditur cuilibet sacerdoti facienti sic dictum actum heroicum (S. C. Indulg. d. 25 Aug. 1897).

Condiciones requisitae sunt:

1. ut altare privilegiatum *locale* sit fixum, aliud est de altari privilegiato *personali;*

2. ut Missa et indulgentia debeant applicari pro uno eodemque defuncto; non autem requiritur Missa de Requiem (s. Off. d. 20 Febr. 1913).

5. Indulgentiae annexae coronis.

796. Complures coronae exsistunt indulgentiis ditatae, e. g. corona S. Dominici, S. Birgittae, Crucigerorum, Servitarum seu septem dolorum etc. Quaenam indulgentiae et sub quibus condicionibus singulis coronis concessae sint, videndum est in libris, qui ex professo de hac materia tractant, e. g. in Beringer, Die Ablässe. Iuvat hic solummodo notare: Quamvis una eademque corona possit ditari diversis indulgentiis, tamen per *unam* recitationem non acquiruntur insimul nisi indulgentiae rosarii Dominicani et Crucigerorum (S. Cong. Indulg. d. 12 Iunii 1907).

6. Indulgentiae annexae Viae Crucis.

797. Indulgentiae viae crucis complures sunt tam plenariae quam partiales et omnes applicabiles animabus purgatorii. Vetitum autem est earum catalogum texere.

Condiciones requisitae ad lucrandas has indulgentias sunt:

1. *meditatio* quantumvis brevis *passionis Christi* saltem in genere ad quamlibet stationem. Oratio *vocalis* non necessario requiritur, laudabiliter tamen adiungitur.

2. *motus localis* de una ad aliam stationem, si hoc est possibile. In communi exercitio viae crucis sufficit, ut multitudo pro qualibet statione assurgat et genuflectat, dummodo una saltem persona circumeat.

3. *visitatio singularum stationum uno tractu facta,* saltem sine notabili interruptione. Brevis autem interruptio, e. g. ad confitendum vel communicandum, non obstat.

Nota. Fideles *impediti* ex qualibet rationabili causa, ne singulas stationes visitent, possunt, manu tenentes crucifixum specialiter benedictum et recitantes 20 Pater, Ave et Gloria nempe pro stationibus 14, quibus addatur aliqua meditatio passionis Christi, 5 in honorem vulnerum I. Ch., 1 ad intentionem Rom. Pontificis, lucrari omnes indulgentias viae crucis.

Erectio viae crucis nequit fieri nisi a sacerdote praedito speciali facultate. Quomodo haec erectio facienda sit, videsis in Rituali Romano.

Omnino requiruntur 14 cruces ligneae (sine crucifixo) benedictae, affixae, aliqualiter distantes. Tabulae pictae vel sculptae consuluntur, sed non praecipiuntur.

Erectio cessat, a) si cruces transferantur ab una ad aliam ecclesiam, non autem ab uno ad alium locum eiusdem ecclesiae. b) si cruces pereant omnes vel secundum maiorem partem; sin autem in minore parte pereant, satis est novas cruces subrogare etiam non benedictas.

TRACTATUS VIII.

De extrema unctione.

Dividitur hic tractatus in tria capita: 1. de natura sacramenti extr. unctionis; 2. de eius effectibus; 3. de eius subiecto et ministro.

Caput I. De natura extremae unctionis.

798. **Definitio.** *Extrema unctio est sacramentum N. L., quo per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis confertur homini doli capaci et graviter infirmo salus animae et quandoque corporis.*

Haec definitio magis clarescet ex dicendis de materia, forma, effectibus, subiecto, ministro huius sacramenti.

Materia remota *valida* est oleum olivarum (O. I.) specialiter benedictum; cuius benedictionis minister ordinarius est episcopus, extraordinarius simplex sacerdos a Romano Pontifice delegatus (c. 945). In ecclesia graeca omnes sacerdotes solent tacite habere hanc delegationem.

Materia remota *licita* in casibus ordinariis est oleum benedictum a) eodem anno; b) ab episcopo dioeceseos (vel sede vacante ab episcopo vicino).

Vetera olea ne adhibeantur nisi in necessitate. «Mox autem deficiente oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiciatur, etiam iterato, minori tamen copia» (c. 734). Materia *dubia* est oleum catechumenorum et chrisma.

799. **Materia proxima** est applicatio materiae remotae scil. unctio infirmi cum oleo benedicto. Ad *validitatem* sufficit in casu necessitatis unctio una in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviore (de qua infra), salva obligatione singulas unctiones supplendi cessante periculo, si infirmus supervixerit (c. 947, § 1). Ad *liceitatem* extra casum necessitatis requiritur, ut unctiones fiant a) pollice dextro; b) per modum crucis; c) in utroque organo (si adest) incipiendo a dextro; d) servato ordine sensuum in Rituali praescripto aliisque rubricis servatis.

Si quis caret uno organo (e. g. manu), ungendus est in parte vicina, dummodo hoc sit possibile. Quare e. g. si quis caret duobus pedibus et cruribus, non est ungendus in coxa.

Propter periculum contagionis licitum est, in unctionibus faciendis uti penicillo. Unctio renum semper omittatur. Unctio autem pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest (ib. § 2 et 3).

Forma *ordinaria* (in Ecclesia latina) est: «Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per vi-

sum (auditum, odoratum, gustum, locutionem, tactum, gressum) deliquisti. Amen.»

Forma *extraordinaria,* nempe quando in casu necessitatis adhibetur unica unctio in fronte, est: «Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti. Amen.» (S. Off. d. 25 Apr. 1906.) Sin autem ista formula cum unica unctione facta est, simulac periculum cessavit, omnes unctiones cum respectivis formulis supplendae sunt. Quamvis enim sacramentum sit valide administratum unica unctione et forma, cum tamen adhuc exsistat unio moralis, supplenda sunt ea, quae ad sacramenti integritatem pertinent.

800. Nota. Si hoc sacramentum confertur sub condicione, ne adhibeatur condicio: si es dispositus, sed: si es capax. Etenim si sub prima condicione sacramentum administratum fuit, deficiente dispositione sacramentum est nullum neque potest reviviscere; sin autem sub secunda condicione, tunc, cessante postea obice, sacramentum reviviscit.

Extrema unctio in 4 casibus sub condicione dari debet: si dubitatur, num infirmus a) usum rationis attigerit; b) in periculo mortis revera versetur; c) mortuus sit; d) in manifesto peccato mortali impaenitens contumaciter perseveraverit (c. 941 sq.).

Caput II. De effectibus extremae unctionis.

Effectus huius sacramenti sunt vel primarii vel secundarii:

801. Primarii effectus sunt:

1. *augmentum gratiae sanctificantis* destruentis per se reliquias peccati et per consequens ipsa peccata.

Sacramentum enim extremae unctionis est primario et per se sacramentum *vivorum,* ideoque ante eius susceptionem homo debet esse in statu gratiae sanctificantis aut per absolutionem aut per actum contritionis *putative* saltem perfectae. Secundarie autem et consequenter extrema unctio est sacramentum *mortuorum*

causans primam gratiam et remissionem peccatorum, ut patet cum ex verbis S. Iacobi: «Et si in peccatis sit, remittentur ei», tum ex forma adhibita: «Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti», tum ex Conc. Trid. sess. 14, c. 2. — Immo extrema unctio certius causat gratiam primam quam absolutio sacramentalis data moribundo sensibus destituto. Etenim pro valore absolutionis requiritur verus actus attritionis externe manifestatus; pro valore vero extremae unctionis sufficit attritio habitualis eaque nullo modo manifestata. Quare omni diligentia curandum est, ut moribundi sensibus destituti recipiant sacramentum extremae unctionis.

2. *gratia sacramentalis* causans a) robur animae contra mala praeterita, praesentia, futura; b) abstersionem peccati venialis et reliquiarum peccati.

Secundarii effectus sunt: 1. sanitas corporalis, si ita est expediens pro salute animae; 2. remissio peccatorum mortalium, si homo inculpabiliter neque est confessus neque contritus, sed tamen est attritus.

Caput III. De subiecto et ministro extremae unctionis.

802. Subiectum extremae unctionis est omnis homo baptizatus, doli capax, versans in probabili periculo mortis, idque non aliunde, sed ob infirmitatem vel senium (c. 940, § 1).

Ad *validam* igitur susceptionem requiritur, ut homo a) sit baptizatus (baptismo fluminis); b) sit doli capax, i. e. capax peccatorum personalium; ideoque infantes ante usum rationis adeptum et perpetuo amentes nequeunt recipere hoc sacramentum; c) versetur in probabili periculo mortis, idque ex infirmitate vel senio. S. Iacobus enim expresse dicit: «Infirmatur quis in vobis (ἀσθενεῖ).» Ergo non licet extremam unctionem administrare militibus ante proelium; plectendis mox capite etc., mulieri ante partum periculosum. Cum senectus ipsa sit infirmitas, homini grandaevo debili licet administrare extremam unctionem; d) habeat intentionem saltem habitualem suscipiendi hoc sacramentum.

Ad *licitam* susceptionem requiritur status gratiae, vel ut homo sit aut contritus aut cum attritione confessus aut saltem attritus, si nequit esse confessus aut contritus.

Nota. Extrema unctio non est differenda usque ad extremum periculum mortis, sed quantocius administranda est in morbo periculoso. Cum non certo constet, quo momento anima e corpore egrediatur, hoc sacramentum sub condicione administrari potest etiam per semihoram, postquam homo apparenter mortuus est.

803. **Obligatio** suscipiendi extremam unctionem non censetur gravis, dummodo desit scandalum et contemptus.

Ratio est, quia nullum certum praeceptum de hac re invenitur, neque in S. Scriptura neque in Traditione neque in iure ecclesiastico, ideoque tempore Interdicti hoc sacramentum nequit administrari nisi iis, qui sacramenta eucharistiae et paenitentiae recipere non valent. Quamvis autem ordinarie non adsit nisi *levis* obligatio recipiendi hoc sacramentum, nemini tamen licet illud neglegere, et omni studio et diligentia curandum est, ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant (c. 944).

804. **Minister** *validae* collationis est omnis et solus sacerdos, ut patet cum ex verbis S. Iacobi «inducat presbyteros» tum ex definitione Conc. Trid. sess. 14, c. 4.

Minister *licitae* collationis in casibus ordinariis est pastor animarum, i. e. a) parochus loci in quo infirmus degit, vel alius sacerdos ex eius licentia expressa aut tacita aut rationabiliter praesumpta (c. 938); b) superior religiosus pro suis subditis professis, novitiis, familiaribus et continuis commensalibus; c) confessarius pro monialibus. Ceterum de administratione extremae unctionis idem valet, quod supra n. 602 dictum est de administratione viatici. Excommunicatio antiquitus lata contra regulares praesumentes extremam unctionem administrare laicis sublata est. — Pastores animarum tenentur sub gravi hoc sacramentum administrare subditis id rationabiliter petentibus; alii sacerdotes tenentur ex caritate (c. 939).

Iteratio huius sacramenti in eadem infirmitate nequit fieri, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit (c. 940, § 2).

Ratio est, quia efficacia huius sacramenti tamdiu durat, quamdiu aegrotus aut mortem obierit aut ex periculo ex hac infirmitate decedendi liberatus fuerit. Vitae discrimen seu periculum mortis censetur cessasse, si infirmus per notabile tempus, e. g. per mensem, in eadem diuturna infirmitate se melius habeat.

TRACTATUS IX.
De ordine.

Dividitur hic tractatus in quattuor capita: 1. de natura sacramenti ordinis; 2. de eius ministro; 3. de eius subiecto; 4. de irregularitatibus et impedimentis.

Hoc modo de his materiis tractabimus, ut praebeatur sufficiens materia pro sic dicto examine ordinandorum.

Caput I. De natura ordinis.

Art. 7. De notione et effectibus ordinis.

805. **Notio.** *Sacramentum ordinis est sacramentum N. L., quo traditur spiritualis potestas et confertur gratia ad debite obeunda munia ecclesiastica.*

Explicatur. In sensu generali definitur ordo a S. Thoma (praeeunte Magistro Sententiarum) «*signaculum quoddam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato*». — Ordo sumitur vel *active*, prout est ordinatio, i. e. ea actio, qua spiritualis potestas confertur et hierarchia secundum diversos gradus constituitur; vel *passive*, et tunc est ipsa potestas collata in ordinatione vel hierarchia constituta.

Ordo active sumptus est verum sacramentum; ideoque definivit Concilium Trid. sess. 23, c. 3: S. q. d. ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum . . . A. S.

Numerus. In Ecclesia latina praeter episcopatum exsistunt septem ordines: quattuor minores: ostiariatus, lectoratus,

exorcistatus, acolythatus; tres maiores: subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus. In Ecclesia autem orientali expresse non nominantur nisi quattuor ordines: lectoratus, subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus. Sed tres ordines omissi videntur conferri cum aliis, scil. cum subdiaconatu ostiariatus et acolythatus et cum diaconatu exorcistatus. — Prima tonsura clericalis, qua laicus adscribitur clero, non est ordo neque sacramentum, sed sacramentale.

806. Controversiae tres brevissime tanguntur:

1. *num quattuor ordines minores et subdiaconatus habeant characterem veri sacramenti?* Veteres theologi, e. g. B. Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura, Paludanus, Scotus, responderunt affirmative; moderni theologi communissime respondent negative. Neutra sententia est certa;

2. *num episcopatus sit ordo essentialiter distinctus a presbyteratu an tantum eius complementum?* Veteres communius respondent: negative; moderni autem communissime: affirmative. Neutra sententia est certa;

3. *num episcopatus sit valide collatus ei, qui invalide suscepit presbyteratum?* Negativa sententia videtur praeferenda et in praxi sequenda.

807. Effectus sacramenti ordinis in genere sunt quattuor. Ordo enim (saltem sacer):

1. producit *augmentum gratiae sanctificantis et gratiam sacramentalem;*
2. imprimit *characterem* indelebilem;
3. confert *potestatem spiritualem,* quae habet maiorem vel minorem connexionem cum eucharistia;
4. causat permanentiam *hierarchiae* ecclesiasticae.

808. Effectus singulorum ordinum:

1. *Ostiariatus* tradit potestatem *ex officio* aperiendi et claudendi ianuas ecclesiae, admittendi dignos et excludendi indignos.

2. *Lectoratus* tradit potestatem *ex officio* legendi in ecclesia Psalmos et lectiones, catechizandi et instruendi populum in rudimentis fidei, benedicendi panem et novos fructus.

3. *Exorcistatus* tradit potestatem *ex officio* expellendi daemones ex obsessis. Quae autem potestas iuxta vigentem disciplinam nequit exerceri (saltem publice), nisi adsit praevia et expressa licentia Ordinarii (c. 1151).

4. *Acolythatus* tradit potestatem *ex officio* inserviendi subdiacono in Missa sollemni, ferendi urceolos ad altare et accendendi lumina.

5. *Subdiaconatus* confert potestatem praeparandi materiam consecrandam in vasis sacris, inserviendi in Missa sollemni, cantandi epistolam, lavandi corporalia, purificatoria, pallas post eorum usum.

6. *Diaconatus* confert potestatem immediate assistendi sacerdoti in Missa sollemni, canendi evangelium et praedicandi ex commissione Ordinarii. Sub quibus condicionibus diaconus possit sollemniter baptizare et distribuere communionem, dictum est supra n. 558 et 600.

7. *Presbyteratus* confert potestatem consecrandi corpus et sanguinem I. Ch., remittendi peccata, pascendi subditos opere et doctrina, administrandi reliqua sacramenta, quae non requirunt characterem episcopalem.

8. *Episcopatus* confert potestatem administrandi sacramenta confirmationis et ordinis, conficiendi complura sacramentalia, e. g. consecrationes, regendi populum legitime concreditum.

Scholion. De effectibus primae tonsurae. Quamvis prima tonsura clericalis non sit ordo, ut dictum est, disponit tamen ad ordines et hos effectus producit:

1. transfert in statum clericalem et incardinat dioecesi (c. 108 et 111, § 2);
2. confert sic dicta privilegia clericalia, scil. fori, canonis, immunitatis, competentiae (c. 120 sqq.);
3. confert aptitudinem suscipiendi ordines, exercendi iurisdictionem, recipiendi beneficia et pensiones ecclesiasticas (c. 118).

Art. 4. De materia et forma ordinis.

809. Materia et forma ordinum minorum.

Materia remota sunt instrumenta singulis ordinibus propria, scil. in *ostiariatu:* claves; in *lectoratu:* liber lectionum (Missale vel Breviarium vel S. Scriptura); in *exorcistatu*: liber exorcismorum (Rituale, Pontificale, Missale); in *acolythatu:* candelabrum cum candela exstincta et urceoli vacui.

Materia proxima est traditio horum instrumentorum. *Forma* sunt verba episcopi pronuntiata in traditione instrumentorum, scil. in *ostiariatu:* «Sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro iis rebus, quae his clavibus recluduntur.» In *lectoratu:* «Accipite et estote verbi Dei relatores, habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.» In *exorcistatu:* «Accipite et commendate memoriae et habete potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos sive catechumenos.» In *acolythatu:* «Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda ecclesiae luminaria mancipari in nomine Domini. ℟. Amen.» Et (in traditione urceoli): «Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini. ℟. Amen.»

810. Materia et forma ordinum maiorum.

In *subdiaconatu* est duplex materia remota et proxima itemque duplex forma, scil. 1. traditio calicis vacui cum patena vacua superposita, quem singuli ordinandi manu dextera tangere debent, dum pontifex pronuntiat formam: «Videte, cuius ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis»; 2. traditio libri epistolarum (Missalis, Bibliae), quem similiter singuli ordinandi tangere debent, pontifice dicente formam: «Accipite librum epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. ℟. Amen.»

In *diaconatu* item est duplex materia remota et proxima duplexque forma, scil. 1. impositio manus episcopi durante qua pontifex pronuntiat formam: «Accipe Spiritum Sanctum ad robur et ad resistendum diabolo et tentationibus eius: in nomine Domini»; 2. traditio libri evangeliorum (Missalis, Bibliae), quem singuli ordinandi manu dextera tangere debent, pontifice dicente formam: «Accipite potestatem legendi evangelium in Ecclesia Dei tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini. ℟. Amen.»

In *presbyteratu* quid sit materia et forma essentialis, theologi in sex diversas sententias abierunt (cf. nostrum Man. theol. mor. III 594). Hoc tamen est certum ex diversis decisionibus S. Officii (e. g. 6 Iul. 1898, 11 Ian. 1899, 17 Ian. 1900): *totam* ordinationem esse reiterandam, nisi adhibitae sunt saltem haec duplex materia et forma, scil. *prima* impositio manus cum oratione: «Exaudi nos» etc., et traditio calicis cum vino et patenae cum hostia, dum pontifex pronuntiat verba: «Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.»

In *episcopatu* videtur esse materia impositio manuum consecrantis; forma vero oratio, quae hanc impositionem comitatur.

811. *Scholion.* De supplendis defectibus in ordinatione commissis. Si in aliquo ordine (etiam minore) aliquis defectus occurrit, qui non est *certe* accidentalis, ordinatio est repetenda saltem condicionate. In praxi recurrendum est ad S. Officium, si agitur de defectu dubie essentiali.

Caput II. De ministro ordinis.

I. Minister validae ordinationis:

812. a) *ordinarius* est omnis et solus episcopus consecratus (Conc. Trid. sess. 23, c. 7). Ergo etiam episcopus schismaticus, irregularis, degradatus etc.

valide ordinat, dummodo ipse sit valide consecratus et necessariam materiam formamque adhibeat;

b) *extraordinarius* tonsurae et ordinum minorum est sacerdos, qui, licet charactere episcopali careat, a iure vel a Sede Ap. per indultum peculiare accepit hanc potestatem (c. 951).

A iure hanc potestatem habent:

a) Cardinales (c. 239, § 1, n. 22);

b) Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus nullius, sed solum durante munere et in proprio territorio (c. 957, § 2);

c) Abbas regularis de regimine, sed pro solis subditis vi professionis saltem simplicis (c. 964, n. 1).

II. Minister licitae ordinationis:

813. a) pro *episcopatu* est solus Romanus Pontifex vel episcopus de speciali mandato Rom. Pontificis (c. 953);

b) pro *ceteris ordinibus* est episcopus proprius eiusve delegatus; ministri autem extraordinarii supra indicati possunt primam tonsuram et ordines minores conferre sine delegatione episcopi.

814. Episcopus est **proprius** ex duplici ratione seu *titulo competentiae* (sublatis antiquis titulis beneficii et familiaritatis).

1. Titulus *domicilii una cum origine* adest, si ordinandus habet in dioecesi episcopi ordinantis tam verum domicilium quam originem.

2. Titulus *solius domicilii sine origine* sufficit quidem, sed tunc ordinandus debet animum in dioecesi perpetuo permanendi iureiurando firmare. Quod quidem iusiurandum omittitur in tribus casibus, scil. si agitur a) de promovendo ad ordines clerico, qui dioecesi per primam tonsuram iam incardinatus est; b) de promovendo alumno, qui servitio alius dioecesis destinatur; c) de promovendo religioso professo (c. 956).

Religiosi censentur domicilium habere in dioecesi, in qua sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus, ac proinde iste episcopus est eorum proprius quoad ordinationes, ideoque ad ipsum superior religiosus debet litteras dimissorias mittere (c. 965). Solummodo in quinque casibus superior religiosus potest suos subditos ordinandos et litteras dimissorias mittere ad alium episcopum: 1. si episcopus dioecesanus licentiam dederit; 2. si est diversi ritus, e. g. orientalis; 3. si est absens; 4. si non est ordinationem habiturus proximo legitimo tempore; 5. si dioecesis vacat, eiusque administrator caret charactere episcopali. Necesse est autem, ut in singulis istis casibus id constet alii episcopo ordinaturo ex authentico Curiae episcopalis testimonio.

Caveant superiores religiosi, ne *in fraudem* episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant, aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant, quo episcopus vel abfuturus vel nullas habiturus sit ordinationes (c. 967).

815. Episcopus est legitime **delegatus** ad ordines conferendos, si ad ipsum directae sunt *litterae dimissoriae*, quas concedere potest

a) *pro saecularibus* et *religiosis non exemptis:* episcopus proprius, postquam possessionem suae dioecesis legitime ceperit... licet nondum consecratus; vicarius generalis ex speciali tamen mandato episcopi; vicarius capitularis, sed cum consensu capituli et post annum a sede vacante, intra vero annum nonnisi sic dictis «arctatis»; vicarius et praefectus apostolicus, abbas vel praelatus nullius (c. 958);

b) *pro religiosis exemptis:* superior maior religiosus, qui debet quoque litteras dimissorias dare suis subditis ordinandis a proprio episcopo, iuxta supra dicta; qui autem suis subditis nondum perpetuo professis nequit has litteras concedere nisi ad primam tonsuram et ordines minores (c. 964, n. 3 et 4).

Litteris dimissoriis addendae sunt litterae testimoniales, de quibus infra n. 817.

Caput III. De subiecto ordinis.

Praenotamen. Ex parte subiecti ordinandi quaedam requiruntur ad *validam*, quaedam vero ad *licitam* ordinationem. Ad *validam* ordinationem requiritur, ut ordinandus sit a) masculus; b) baptizatus; c) praeditus intentione saltem habituali suscipiendi ordines. De istis condicionibus, utpote in se claris, nihil dicendum superest. Ad *licitam* ordinationem requiruntur *ex iure divino:* a) vocatio divina; b) recta intentio; c) status gratiae et vitae probitas; ex iure autem *ecclesiastico* complura alia requiruntur, de quibus infra singulatim dicetur (cf. c. 968, § 1).

Art. 1. Requisita ex iure divino.

816. 1. *Vocatio divina* prorsus necessaria est ad licite suscipiendos ordines; dicit enim S. Paulus de sacerdotio: «Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aron» (Hebr. 5, 4).

Ratio est, quia sacerdos est mediator inter Deum et homines atque dispensator mysteriorum Dei. Iam vero nemo potest licite sibi arrogare officium mediatoris vel dispensatoris, nisi vocetur a partibus, quarum interest.

Signa vocationis sunt a) *recta intentio,* qua quis non quaerit propriam utilitatem temporalem, sed honorem Dei et salutem spiritualem tam suam quam proximi; b) *aptitudo ad subeunda munia ecclesiastica,* e. g. scientia, valetudo; c) *virtus probata et animi constantia;* quare non sufficit, ut ordinandus post sinceram contritionem sit absolutus a gravibus peccatis, sed etiam ut per diuturnum exercitium virtutum praebuerit moralem certitudinem de constanti vita virtuosa futura; d) *vocatio a legitimo superiore ecclesiastico,* quare Catechismus Romanus concinne dicit: «Vocari autem a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesiae ministris vocantur» (P. 2, c. 7, q. 3; cf. c. 970 et Lahitton, La vocation sacerdotale).

2. *Recta intentio* necessaria versatur circa procurandum honorem Dei et salutem spiritualem hominum, ut iam dictum est.

3. *Status gratiae et vitae probitas* sub gravi requiruntur. Namque sacramentum ordinis est sacramentum vivorum, et Concilium Trid. (sess. 23, c. 12 de reform.) monet: «Sciant episcopi non singulos . . . debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit.»

Art. 3. Requisita ex iure ecclesiastico.

Ex iure ecclesiastico requiritur, ut ordinandus 1. habeat litteras testimoniales; 2. aetatem canonicam; 3. scientiam debitam; 4. subierit examen; 5. peregerit exercitia spiritualia; 6. observet interstitia; 7. habeat titulum canonicum, si agitur de ordinibus maioribus; 8. sit immunis ab irregularitatibus et impedimentis.

817. 1. **Litterae testimoniales.**

1) Ordinandi *saeculares* (aut religiosi non exempti) debent afferre quattuor testimonia (c. 993 sq.):

a) ultimae ordinationis, aut, si de prima tonsura agitur, recepti baptismatis et confirmationis;

b) de peractis studiis pro singulis ordinibus requisitis;

c) rectoris seminarii aut sacerdotis, cui candidatus extra seminarium commendatus fuit, de bonis eiusdem candidati moribus;

d) Ordinarii loci, in quo ordinandus tantum temporis moratus est, ut canonicum impedimentum ibi contrahere potuerit. Tale tempus censetur

pro militibus trimestre, pro aliis semestre post pubertatem, nisi episcopus ordinans prudenter etiam brevius tempus in casu particulari determinet. Sin autem ordinandus per tot dioeceses vagatus sit, ut impossibile vel nimis difficile evadat, omnes litteras testimoniales exquirere, vel si loci Ordinarius non potest sufficienter testari, ordinandum revera nullum canonicum impedimentum contraxisse, tunc provideat Ordinarius saltem per iuramentum suppletorium ab ordinando praestandum.

2. Ordinandi *religiosi exempti* debent afferre sui superioris maioris testimonium, in quo iste testatur, subditum emisisse professionem religiosam, esse de familia talis domus religiosae, peregisse studia requisita aliaque de iure postulata (c. 995, § 1). Exemplar talium litterarum testimonialium dedi in appendice Man. iur. can.

818. 2. Aetas canonica.

Pro prima tonsura et ordinibus minoribus nulla aetas determinatur in iure; cum autem requiratur cursus theologicus inceptus (c. 976), isti ordines in praxi ordinarie nequeunt conferri ante annum duodevigesimum aetatis.

Pro subdiaconatu requiritur annus 21 completus.

Pro diaconatu requiritur annus 22 completus.

Pro presbyteratu requiritur annus 24 completus (c. 975).

Pro episcopatu requiritur annus 30 completus (c. 331, § 1).

819. 3. Scientia debita.

Pro prima tonsura et ordinibus minoribus requiritur peractus cursus philosophicus et inceptus cursus theologicus.

Pro subdiaconatu requiritur cursus theologicus per triennium fere peractus.

Pro diaconatu requiritur initium quadriennalis cursus.

Pro presbyteratu requiritur cursus theologicus protractus usque post medietatem quarti anni.

Cursus autem theologicus debet esse peractus non privatim, sed in scholis ad id legitime institutis (c. 976).

Pro episcopatu requiritur doctoratus vel saltem magna peritia in theologia aut iure canonico (c. 331, § 1, n. 5).

820. 4. Examen feliciter peractum.

Quilibet promovendus (sive saecularis sive religiosus) debet praevium et diligens examen subire *circa ipsum ordinem suscipiendum*. Qui autem ad *sacros* ordines promovendi sunt, debent insuper examinari in aliquo tractatu theologico. Ad Ordinarium loci pertinet determinare, qua methodo, coram quibus examinatoribus, in qua materia omnes ordinandi (etiam religiosi exempti) debeant examinari (c. 996 sq.). Potest tamen (quamvis non teneatur) acquiescere attestationi oblatae, ordinandum iam debitum examen alibi subiisse.

Ad examen ordinandorum aliqualiter pertinent non solum litterae testimoniales, de quibus supra, sed etiam *publicatio* nominum ordinandorum. Nomina enim promovendorum ad singulos sacros ordines (exceptis religiosis a votis perpetuis) publice denuntientur in paroeciali cuiusque candidati ecclesia; sed Ordinarius pro sua prudentia potest cum ab hac publicatione dispensare ex iusta causa, tum praecipere ut in aliis quoque ecclesiis peragatur, tum publicationi substituere publicam ad valvas ecclesiae affixionem per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur. Omnes fideles debent impedimenta ad sacros ordines, si qua norint, Ordinario vel parocho ante ordinationem revelare (c. 998 sqq.).

821. 5. Exercitia spiritualia.

Quilibet ordinandus debet ante ordinationem peragere exercitia spiritualia in domo religiosa aut pia ab Ordinario designanda et de peractis exercitiis testimonium afferre episcopo ordinanti. Si expletis exercitiis sacra ordinatio qualibet de causa *ultra semestre* differatur, exercitia spiritualia iterentur; sin autem dilatio non est tanta, Ordinarius iudicet, utrum iteranda sint necne (c. 1001).

Per *tres saltem dies integros* exercitia spiritualia peragantur ante primam tonsuram et ordines minores.

Per *sex saltem integros dies* ista exercitia peragantur ante quemlibet sacrum ordinem. Sed si quis intra semestre ad plures ordines maiores promovendus est, Ordinarius (episcopus aut superior maior religiosus) potest exercitiorum tempus reducere pro ordinatione *ad diaconatum,* non tamen infra tres dies integros (ib.).

822. 6. Interstitia.

Interstitia sunt intervalla, quae inter collationes singulorum ordinum intercedere necesse est, ad hoc ut ordinandus possit rite exercere ordinem iam susceptum atque se debite praeparare ad ordinem superiorem recipiendum. Codex iur. can. mutans veterem disciplinam statuit c. 978:

a) interstitia inter primam tonsuram et ostiariatum vel inter singulos ordines minores prudenti iudicio episcopi committuntur; non autem licet conferri primam tonsuram una cum ostiariatu, neque omnes ordines minores una simul. Consuetudo tamen immemorabilis in multis regionibus exsistens conferendi tonsuram et ordines minores eodem die videtur posse conservari, si adest rationabilis causa;

b) interstitia inter acolythatum et subdiaconatum sint unus annus;

c) interstitia inter singulos ordines maiores sint tres menses.

Ab interstitiis episcopus potest dispensare, si id necessitas aut utilitas Ecclesiae exigit; non autem potest dispensare, ut minores ordines et subdiaconatus vel duo sacri ordines eodem die conferantur.

Superiores maiores regulares (omnesque qui participant eorum privilegia) possunt quoque subditos suos ab interstitiis dispensare (cf. Leo XII Const. «Plura inter» d. 11. Iul. 1826).

823. 7. Titulus canonicus sustentationis.

Cum clericus in maioribus ordinibus constitutus debeat totum servitium suum impendere Ecclesiae neque possit se implicare negotiis saecularibus, necesse est ut habeat cautionem legitimam de sufficienti et perpetua sustentatione convenienti, seu titulum sustentationis. Iuxta vigentem disciplinam de iure communi admittuntur sequentes tituli:

1) *pro saecularibus clericis* (et religiosis non exemptis vel non habentibus vota perpetua):

a) *titulus beneficii,* qui est possessio pacifica beneficii ecclesiastici sufficientis. Cum iste titulus saepe desit, permittitur

b) *titulus patrimonii,* qui est possessio bonorum propriorum, ex quibus clericus convenienter vivere potest. Quantitas istorum bonorum determinanda est ab Ordinario loci;

c) *titulus pensionis,* qui est census (sive ecclesiasticus sive civilis). Si etiam titulus patrimonii et pensionis deest, tunc permittitur

d) *titulus servitii dioecesis* (et in locis Propagandae subiectis *titulus missionis*). In hoc casu ordinandus debet, iureiurando interposito, se devovere perpetuo dioecesis aut missionis servitio. Ordinarius autem debet ordinato conferre beneficium vel officium ad congruam eiusdem sustentationem sufficiens (c. 981).

Ordinatus in sacris, si titulum suum amittat, alium sibi provideat, nisi iudicio episcopi eius congruae sustentationi aliter cautum sit. Episcopus, qui (citra Apostolicum Indultum)

suum subditum sine titulo canonico scienter ordinaverit in sacris aut ordinari permiserit, debet ipse, eiusque successores, eidem egenti alimenta necessaria praebere, donec congruae eiusdem sustentationi aliter provisum fuerit; quodsi episcopus aliquem ordinaverit cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, hoc pactum omni vi caret (c. 980).

2) *pro regularibus clericis sollemniter professis est titulus paupertatis seu professionis sollemnis;*

3) *pro religiosis votorum simplicium perpetuorum est titulus mensae communis* vel *congregationis* vel alius similis ad normam constitutionum.

8. **Immunitas ab irregularitatibus et impedimentis** requiritur in ordinando; de qua materia tractabitur in cap. seq.

Caput IV. De irregularitatibus et impedimentis ordinationis.

Cum haec materia sit satis ampla, tractabitur 1. de irregularitatibus in genere; 2. de irregularitatibus in specie; 3. de impedimentis ordinationis.

Art. 1. De irregularitatibus in genere.

824. **Notio.** *Irregularitas est impedimentum de se perpetuum ex iure ecclesiastico institutum, quod prohibet primario ordinis susceptionem, secundario autem ordinis exercitium.*

Explicatur: Dicitur 1. *impedimentum de se perpetuum,* quia irregularitas non est poena aut censura sed aliqua indignitas, reddens hominem non quidem omnino inhabilem sed perpetuo ineptum ad ordines suscipiendos vel exercendos. Distinguuntur enim irregularitates ab impedimentis temporalibus.

Dicitur 2. *iure ecclesiastico institutum;* quare non exsistunt irregularitates latae *ab homine,* sed solae eae quae in novo Codice continentur (c. 983).

Dicitur 3. *prohibet primario ordinis susceptionem et secundario eius exercitium* ad significandos effectus, scil. non irritare sed *prohibere,* ne suscipiatur quilibet ordo et etiam prima tonsura atque exerceantur ordines suscepti (c. 968, § 2).

Divisiones. 1. Distinguitur irregularitas *ex defectu* et *ex delicto.* Prior oritur ex defectu alicuius qualitatis sine culpa; altera oritur ex gravi delicto personali, externo, opere consummato, post baptismum commisso.

2. Distinguitur irregularitas *totalis* et *partialis,* prout cuiusque ordinis susceptionem et exercitium prohibet vel a) solum ascensum ad ordinem superiorem, aut b) exercitium partiale alicuius ordinis. Sic e. g. sacerdos carens manu est irregularis quantum ad celebrationem Missae, non autem quantum ad audiendas confessiones.

825. **Condiciones requisitae ad contrahendam irregularitatem.** Requiritur, ut actio inducens irregularitatem:

a) sit *certa.* Irregularitas dubia est nulla; si tamen dubium exsistit, utrum defectus corporis (e. g. epilepsia) adsit necne, ad Ordinarium pertinet hoc dubium solvere et dispensare (cf. c. 15);

b) sit *peccatum grave externum, opere consummatum, post baptismum commissum,* si agitur de irregularitatibus ex delicto. Ergo omnia, quae excusant a peccato gravi, e. g. parvitas materiae, defectus advertentiae, bona fides, excusant quoque ab irregularitate. Si adultus sivit sibi baptismum conferri ab acatholico absque extrema necessitate, facit delictum ante et in baptismo sed nihilominus est irregularis (cf. infra n. 831, 2).

Nota. 1. *Ignorantia* irregularitatum (sive ex delicto sive ex defectu) atque impedimentorum ab iisdem non excusat (c. 988). Unde benignior sententia complurium auctorum nunc reicienda est.

2. Irregularitas omnis incurritur ipso facto ideoque non exigit sententiam declaratoriam.

3. Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex *diversis* eorundem causis, non autem ex repetitione eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario (c. 989). Hinc e. g. sacerdos excommunicatus, qui quinquies celebravit Missam, non incurrit nisi semel irregularitatem; qui autem quinquies abortum procuravit, incurrit quinquies irregularitatem; qui demum excommunicatus pluries celebravit, pluries audivit confessiones, et semel abortum procuravit, incurrit duas irregularitates, scil. ex delicto abusus sacramenti et ex delicto homicidii.

826. **Cessatio.** Irregularitas non solet cessare nisi per legitimam dispensationem (cf. tamen infra de cessatione irregularitatis ex defectu natalium et ex defectu corporis).

Dispensationem irregularitatis concedere possunt:

1. *Summus Pontifex* in omnibus omnino irregularitatibus, quas dispensat in foro externo per S. Congr. de Sacramentis; in foro autem interno per S. Paenitentiariam.

2. *Ordinarius* (episcopus, superior maior religionis clericalis exemptae) per se vel per delegatum pro suis subditis in omnibus irregularitatibus a) *dubiis,* dummodo agatur de iis, in quibus R. Pontifex dispensare solet (c. 15); b) *ex delicto occulto* provenientibus, exceptis iis quae proveniunt ex homicidio voluntario vel procuratione abortus, et iis quae deductae sunt ad forum iudiciale (c. 990, § 1).

3. *Confessarius* quilibet quoad solum *exercitium* ordinis suscepti (non quoad susceptionem ordinis) in iis casibus, in quibus dispensare potest

Ordinarius, dummodo agatur de casu occulto *urgentiore,* in quo Ordinarius adiri nequit et periculum imminet gravis damni vel infamiae (ib. § 2). Quamvis confessarius nequeat dispensare in irregularitate proveniente ex procuratione abortus, tamen, si paenitens sine gravi infamia nequit desistere ab exercitio ordinis suscepti, nihil obstat, ne epikeia interim adhibeatur et postea dispensatio petatur. Nulla enim lex positiva obligat cum magno incommodo.

827. **Nota.** 1. Privilegia concessa nonnullis superioribus et confessariis regularibus circa dispensationem irregularitatum non sunt revocata. Cf. nostrum Man. iur. can. q. 245.

2. In precibus pro irregularitatum (vel impedimentorum) dispensatione omnes irregularitates (et impedimenta) indicanda sunt; secus dispensatio *generalis* valebit quidem etiam pro reticitis *bona fide* (exceptis irregularitatibus supra indicatis, in quibus nec Ordinarius nec confessarius dispensare potest), non autem pro reticitis *mala fide* (c. 991, § 1).

3. Si agitur de irregularitate ex homicidio voluntario contracta, etiam numerus delictorum exprimendus est sub poena nullitatis concedendae dispensationis (ib. § 2).

4. Dispensatio *generalis* ad ordines valet pro ordinibus quoque maioribus; et dispensatus potest obtinere beneficia non consistorialia etiam curata (e. g. paroeciam), sed renuntiari nequit (sine nova dispensatione) Cardinalis, episcopus, abbas vel praelatus nullius, superior maior in religione clericali exempta (ib. § 3).

5. Dispensatio in foro interno non sacramentali concessa scripto consignetur; et de ea in secreto Curiae libro constare debet (ib. § 4).

Art. 2. De irregularitatibus in specie.

§ 1. De irregularitatibus ex defectu.

828. *Irregularitates ex defectu* enumerantur septem:

1. *Defectus natalium* afficit filios illegitimos (sive publice sive occulte), qui non sunt legitimati vel sollemniter professi (c. 984, n. 1).

Filii illegitimi censentur indigni ad statum clericalem, quia portant opprobrium parentum, quorum haud raro quoque imitantur incontinentiam. Sunt legitimi, qui *vero vel saltem putativo matrimonio concepti aut nati sunt,* nisi tamen parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum tempore conceptionis fuerit prohibitus usus matrimonii antea contracti (c. 1114). Praesumuntur legitimi filii, qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis (c. 1115, § 2). Pariter iuxta adagium: Pater is est, quem iustae nuptiae demonstrant, legitimi praesumuntur filii geniti durante matrimonio, quamvis forte ex adulterio, nisi *evidentibus* argumentis probetur eos esse genitos ex adulterio (ib. § 1).

Cessat haec irregularitas a) per legitimam dispensationem; b) per legitimationem ope subsequentis matrimonii (c. 1116 sq.). Sed hoc modo soli filii naturales, non spurii etc. legitimantur; c) per professionem religiosam sollemnem.

829. 2. *Defectus corporis* afficit eos, qui propter vitium corporale non valent (vel secure propter debilitatem vel decenter propter deformitatem) altaris ministerio fungi (c. 984, n. 2). Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime iam recepti gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus, qui rite poni possunt.

Sunt irregulares propter defectum corporis:

a) *mutilati,* e. g. carentes pede, manu, pollice, indice, vel qui non valent hostiam decenter frangere cum pollice et indice.

b) *debilitati,* e. g. caeci, muti, graviter balbutientes, claudi qui sine baculo ad altare se sistere nequeunt, paralytici.

c) *deformes,* qui tali vitio externo facile perceptibili laborant, ut aliis excitent risum aut horrorem, e. g. quibus abscissae sunt nares, qui sunt veri pygmaei (Zwerge, nains) vel gigantes, qui sunt notabiliter gibbosi. Si deformitas non est magna, non adest irregularitas, e. g. si quis est luscus, strabo et leviter claudus etc. De hac re iudicare pertinet ad Ordinarium cf. supra n. 826 (2).

830. 3. *Defectus animi* afficit eos, qui sunt vel fuerunt epileptici vel amentes vel a daemone possessi. Quodsi post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere (ib. n. 3).

4. *Defectus bigamiae* afficit iuxta vigentem disciplinam eos solos, qui duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt (ib. n. 4).

Suppressa est bigamia interpretativa; bigamia vero similitudinaria inducit irregularitatem ex delicto, de qua infra.

5. *Defectus famae* afficit eos, qui infamia iuris notantur; cf. supra n. 761.

6 et 7. *Defectus lenitatis* afficit iuxta vigentem disciplinam: a) iudicem (probabiliter etiam iudices iuratos), qui mortis sententiam tulit; b) eos, qui munus carnificis susceperunt eorumque *voluntarii ac immediati* ministri in exsecutione capitalis sententiae (ib. n. 6 et 7). — Defectus lenitatis iam non oritur pro militibus in bello iusto.

§ 2. De irregularitatibus ex delicto.

831. *Irregularitates ex delicto* enumerantur item septem; sunt enim irregulares:

1. apostatae a fide, haeretici, schismatici (c. 985, n. 1);

2. qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt (ib. n. 2);

Est abusus sacramenti *baptismi.*

3. qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt vel a) ipsimet ligati vinculo aut matrimonii aut ordinis sacri aut votorum religiosorum etiam simplicium ac temporalium; vel b) cum muliere aut iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta (ib. n. 3);

Est abusus *matrimonii.* Ista irregularitas nihil aliud est nisi extensio illius, quae antiquitus appellabatur bigamia similitudinaria.

4. qui actum ordinis clericis in ordine sacro constitutis reservatum ponunt vel eo ordine carentes vel ab eius exercitio poena canonica (sive personali medicinali aut vindicativa sive locali) prohibiti (ib. n. 7);

Est abusus *ordinis*. Iuxta vigentem disciplinam permittitur (sub certis limitationibus), ut simplex clericus peragat officium subdiaconi in Missa sollemni.

5. qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut foetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes (ib. n. 4);

Hanc irregularitatem incurrunt e. g. medici, qui procurant abortum aut craniotomiam, milites qui *voluntarie* (et non coacti) participant in bello certo iniusto, iudices, accusatores, testes in causa iniusta sanguinis. Si causa est iusta, iudices nihilominus incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis.

6. qui seipsos vel alios mutilaverunt vel sibi vitam adimere tentaverunt (ib. n. 5);

Mutilatio intellegitur *abscisio membri principalis*, e. g. oculi, manus, pedis. Ad recte autem intellegendas hanc et praecedentem irregularitatem oportet recolere, quod nulla irregularitas incurritur ex delicto, quod non est grave peccatum externum. Quare e. g. si quis alium occidit vel mutilat vel cum moderamine inculpatae tutelae vel ex ignorantia inculpabili, non incurrit has irregularitates.

7. clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur (ib. n. 6).

Quando clericus licite exercet artem medicam, e. g. in missionibus, non incurrit hanc irregularitatem, ut patet.

Art. 3. De simplicibus impedimentis ordinationis.

832. In novo Codice c. 987 assignantur praeter irregularitates etiam septem impedimenta *temporanea* ordinationis, quae cessant aut lapsu temporis aut legitima dispensatione, quae tamen videtur non posse concedi *nisi a S. Sede*. — Reducuntur

ista impedimenta ad ea, quae antiquitus vocabantur: defectus fidei, libertatis, famae.

Sunt simpliciter impediti:

1. filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent.

Commissio Pontificia d. 16 Oct. 1919 (Act. Ap. Sed. XI 478) declaravit hoc impedimentum etiam exsistere, si alteruter parens est acatholicus; postea autem d. 14 Iul. 1922 (Act. Ap. Sed. XIV, 528) eadem Commissio Pontificia declaravit hoc impedimentum afficere tantum descendentes *in linea paterna* usque ad primum gradum. Hoc impedimentum probabiliter cessat mortuo parente acatholico.

2. viri uxorem habentes;

Ergo vir, quamvis uxor consentiat, nequit sacros ordines suscipere sine licentia S. Sedis.

3. qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam, cuius rationes reddere debeant, donec, depositis officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint;

4. servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem;

5. qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint;

Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos interrogata respondit d. 2/3 Iun. 1918, etiam eos esse impeditos (ad omnes ordines suscipiendos), qui ad militiam forsan vocabuntur, sed de facto nondum sunt vocati, vel quia aetate impares sunt vel quia, examine recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati (Act. Ap. Sed. X 345). Ordinarium militare servitium videtur esse servitium cum armis, non autem officium infirmarii, capellani etc.

6. neophyti (i. e. qui ex iudaeis, paganis aliisque sectis similibus adulta aetate ad fidem conversi et recenter baptizati sunt), donec iudicio Ordinarii sufficienter probati fuerint;

7. qui infamia facti laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat. Quid sit infamia *facti*, supra n. 760 dictum est.

Appendix de nonnullis adiunctis ordinationis.

833. 1. Clerici saeculares ante ordinationem suam debent degere in seminario legitimo erecto. Cf. quae dicta sunt de seminario clericali in nostro Man. iur. can. q. 408 sqq.

2. In ipsa ordinatione debent ad amussim observari ea, quae statuta sunt de debito ritu, tempore, loco.

a) **Debitus ritus** plura includit, scil. *ne ordinatio fiat per saltum*, i. e. ne ordo superior conferatur, nondum collato inferiore (c. 977). Ordo per saltum collatus est quidem validus, excepto episcopatu, qui collatus est ei, qui non est sacerdos. Deinde Missa ordinationis semper debet ab ipsomet ordinationis ministro celebrari, in ea autem saltem promoti ad ordines maiores tenentur recipere s. communionem (c. 1003 et 1005). Nemo potest ordinari a ministro alterius ritus.

Ordinatis subdiaconis et diaconis episcopus imponit Nocturnum recitandum, quem libere determinare potest. Quodsi sola verba Pontificalis adhibet, intellegendus est Nocturnus ferialis vel primus Nocturnus festi aut dominicae, prout ordinatio habita est in feria vel in die festo vel dominico. Non autem necessario oportet addi Invitatorium, Hymnus, lectiones (S. R. C. d. 27 Iun. 1899, 10 Iul. 1903) — Pro tribus Missis ab episcopo impositis neosacerdotes possunt stipendium sumere easque applicare ad intentionem dantis stipendium.

834. b) **Debitum tempus.** Consecratio episcopalis conferri debet intra Missarum sollemnia die dominico vel natalitio Apostolorum. Ordines maiores conferantur intra Missarum sollemnia sabbatis Quattuor Temporum, sabbato ante dominicam Passionis, Sabbato Sancto. Gravi tamen causa interveniente episcopus potest hos ordines conferre etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto.

Prima tonsura quolibet die et hora conferri potest; ordines minores singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tamen.

Reprobatur consuetudo contra ordinationum tempora supra indicata (c. 1006). Exsistunt tamen nonnulla privilegia hac in re. Quoties ordinatio iteranda est vel aliquis ritus supplendus (sive absolute sive condicionate), id fieri potest etiam extra tempora et secreto (c. 1007).

c) **Debitus locus** pro ordinationibus *generalibus* est ecclesia cathedralis vel alia ecclesia, si istae ordinationes fiunt extra sedem episcopalem. Non tamen prohibetur episcopus, iusta suadente causa, ordinationes *particulares* habere etiam in aliis ecclesiis, itemque in oratorio domus episcopalis aut seminarii aut religiosae domus. Prima tonsura et ordines minores conferri possunt etiam in privatis oratoriis (c. 1009).

835. **Adnotatio et testimonium peractae ordinationis.** Expleta ordinatione, nomina singulorum ordinatorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notentur in peculiari libro in Curia loci ordinationis diligenter custodiendo, et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur (c. 1010, § 1). Praeterea loci Ordinarius (pro ordinatis e clero saeculari) aut superior maior religiosus (pro subditis sibi ordinatis) notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque *subdiaconi* transmittat ad parochum baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro (c. 1011).

Singulis ordinatis detur authenticum receptae ordinationis testimonium; qui, si ab episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Ordinario exhibeant pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivo servando (c. 1010, § 2).

TRACTATUS X.

De matrimonio.

Dividitur hic tractatus in novem capita: 1. de matrimonii natura et divisione; 2. de matrimonio, prout est sacramentum; 3. de matrimonii proprietatibus; 4. de eius bonis; 5. de eius obligationibus; 6. de eius praeparatione, scil. de sponsalibus, examine sponsorum, bannis; 7. de eius celebratione; 8. de eius impedimentis; 9. de matrimonio civili.

Caput I. De matrimonii natura et divisione.

836. **Definitio.** *Matrimonium est viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas individuam vitae societatem retinens.*

Inter baptizatos huiusmodi coniunctio ex institutione Christi est verum sacramentum; inter non-baptizatos autem haec coniunctio non est quidem sacramentum, sed nihilominus aliquid «sua

vi, sua natura, sua sponte sacrum» (Leo XIII, Const. «Arcanum» d. 10 Febr. 1880).

Explicatur definitio. Dicitur 1: *coniunctio*, quae vox, si sumitur *active*, i. e. pro ipso actu transeunte consensus interioris et exterioris, quo vir et mulier sibi fidem coniugalem promittunt, est matrimonium *in fieri* et est ipsum sacramentum matrimonii (inter christianos); sin autem sumitur quasi *passive*, i. e. pro effectu producto seu pro statu vitae orto ex isto consensu manifestato, est matrimonium *in facto esse*, nempe *vinculum matrimonii*. Essentia igitur contractus (sacramenti) matrimonii consistit in mutuo consensu contrahentium, non autem in copula maritali, ut nonnulli auctores docuerunt.

Dicitur 2: *maritalis*, ut significetur proprius finis huius coniunctionis. Vir enim et mulier coniunguntur ad legitimam vitam maritalem ducendam, non autem propter luxuriam aut negotia saecularia.

Dicitur 3: *viri et mulieris*, non autem virorum et mulierum, ut significetur monogamia et excludatur polygamia.

Dicitur 4: *inter legitimas personas*, ut exprimatur, non omnes, sed illos solos posse matrimonium contrahere, qui non ligantur impedimentis.

Dicitur 5: *individuam vitae societatem retinens*, ut primario indicetur indissolubilitas matrimonii, secundario autem etiam a) communio vitae domesticae; b) unio animarum per caritatem et commune agendi studium; c) unio saltem aliqualis bonorum temporalium.

837. Divisiones. 1. *Distinguitur matrimonium legitimum, ratum, consummatum.*

Matrimonium *legitimum* est contractus matrimonialis valide initus a duabus personis, quarum utraque vel saltem alterutra *non* est *baptizata*, vel: est omne validum matrimonium, quod non est sacramentum; et nihil refert, utrum sit copula maritali consummatum necne.

Matrimonium *ratum* est contractus matrimonialis valide initus *a christianis*, cui tamen copula maritalis nondum supervenit.

Matrimonium *consummatum* est illud, quo celebrato habita est copula maritalis apta ad generationem. Ergo matrimonium non dicitur consummatum ex eo, quod copula carnalis forte praecessit validum matrimonium. Celebrato autem matrimonio, si coniuges simul cohabitaverunt, *praesumitur* consummatio, donec contrarium probetur (c. 1015, § 2).

2. *Distinguitur matrimonium publicum, clandestinum, secretum.*

Matrimonium *publicum* est illud, quod celebratum est in facie Ecclesiae vel alio modo publico ab Ecclesia ut valido agnito.

Matrimonium *clandestinum* est connubium initum sine praesentia parochi et duorum testium. Iuxta vigentem disciplinam non alia dantur (extra casum gravis necessitatis) matrimonia clandestina valida nisi matrimonia acatholicorum.

Matrimonium *secretum* (vocatur etiam *matrimonium conscientiae*) est illud, quod contrahitur quidem coram parocho et duobus testibus, cuius celebratio tamen ex gravissima ratione occultatur coram populo. Tale matrimonium non inscribitur in libro ordinario copulatorum, sed in libro secreto, qui conservatur in curia episcopali (c. 1107). Requiritur specialis licentia episcopi ad tale matrimonium celebrandum (c. 1104).

3. *Distinguitur matrimonium validum, invalidum, putativum.*

Matrimonium *validum* (verum) est illud, cui nullum impedimentum dirimens obstat.

Matrimonium *invalidum* (irritum, nullum) est illud, cui obstat impedimentum dirimens; sin autem nihilominus contrahentes mala fide connubium inierunt, vocatur illud matrimonium *attentatum*.

Matrimonium *putativum* est illud, quod quidem reapse invalidum est ob impedimentum dirimens, quod tamen bona fide contractum est ab *alterutro* saltem contrahentium. Si utraque pars de nullitate evadat certa, iam non exsistit matrimonium putativum (c. 1015, § 4). Tale matrimonium non agnoscitur ab Ecclesia, nisi nuptiae publice nec contradicente Ecclesia initae fuerint. Proles nata ex matrimonio putativo censetur legitima, ut iam supra n. 828 dictum est.

Hodie non iam exsistit matrimonium *praesumptum*, nisi quando copula carnalis libere exercetur post matrimonium condicionate initum.

Caput II. De matrimonio, ut est sacramentum.

838. Principium. *Matrimonium inter christianos legitime celebratum est verum et proprie dictum sacramentum Novae Legis a Christo Domino institutum.*

Est de fide definitum in Concilio Trid. sess. 24, can. 1 et probari potest cum ex S. Scriptura (Eph. 5, 22—32) tum ex Traditione (cf. nostrum Man. theol. mor. III 643).

Quandonam autem Christus instituerit hoc sacramentum, non concordant theologi. Quidam putant Christum elevasse matrimonium ad dignitatem sacramenti in nuptiis in Cana Galilaeae celebratis; alii: quando abrogavit libellum repudii; alii demum: quando Christus post resurrectionem cum apostolis varia loquebatur de regno Dei.

Contractus et sacramentum sunt in matrimoniis christianis prorsus inseparabilia ita ut, quoties alterutrum est invalidum, totum sit invalidum, et, quoties adest validus contractus, eo ipso sit sacramentum (c. 1012).

Corollaria. 1. *Ad solam Ecclesiam pertinet iudicare et determinare de omnibus, quae essentiam matrimonii christiani attingunt.*

Ratio est, quia non potestatis civilis sed solius Ecclesiae est iudicare et determinare de sacramentis.

839. 2. *Potestas civilis nequit pro matrimoniis christianis statuere impedimenta dirimentia aut prohibentia; pariter nequit pronuntiare divortium quoad vinculum, neque permittere, ut christiani, qui divortium fecerunt, ad novas nuptias convolent.*

Ratio est, quia haec omnia attingunt matrimonii essentiam et sacramentum, de quo potestas civilis nihil statuere valet.

3. *Potestas civilis potest et debet propria auctoritate ferre iusta statuta de effectibus temporalibus matrimonii* (c. 1016).

Ratio est, quia societatis civilis maxime interest, ut recte habeantur in matrimonio omnia etiam momenta materialia, e. g. unio bonorum eorumque administratio, successio, hereditas proli competens etc., quae quidem non directe pertinent ad forum ecclesiasticum. De his omnibus potestas civilis leges iustas easque obligantes in conscientia ferre potest et debet.

840. 4. *Non est sacramentum Novae Legis matrimonium contractum* a) *inter duos non-baptizatos;* b) *inter baptizatum et non-baptizatam.*

Prima pars est certa et hodie ab omnibus admittitur, cum sine baptismo (qui est ianua omnium sacramentorum) nullum sacramentum valide suscipi queat.

Altera pars negatur quidem a compluribus auctoribus (Dom. Soto, Christ. Pesch, Scherer), sed videtur nihilominus esse vera. Etenim iuxta commune adagium «matrimonium non potest claudicare», i. e. si matrimonium est invalidum ex una parte, est quoque invalidum ex altera parte. Iamvero pars non baptizata, licet valide contrahat matrimonium, certo non recipit sacramentum. Ergo etiam altera pars, nempe baptizata.

Quae modo dicta sunt de matrimonio, quod pars catholica contrahit cum parte non baptizata, valent quoque, si ex duobus coniugibus non baptizatis alter postea baptizatur. Etiam tale matrimonium non evadit sacramentum pro parte sic baptizata. Sin autem ambo coniuges pagani baptizantur, tunc eorum matrimonium fit sacramentum, dummodo consensus maritalis perseveret.

841. 5. *Matrimonium legitimum non-baptizatorum non subditur legibus Ecclesiae, subditur autem iustis legibus et impedimentis a potestate civili latis.*

Acerrime quidem de hoc corollario disputatur, sed doctrina proposita non solum videtur probabilior, sed hodie etiam communior et praxi romanae curiae conformior. Late de hac re disseruimus in nostro Manuali theol. mor. III, n. 651 sq.

842. **Materia remota** sacramenti matrimonii sunt contrahentium corpora, seu, ut alii volunt: est ius mutuum in corpora in ordine ad generationem.

Materia proxima est applicatio huius materiae remotae, nempe signa seu verba, prout exprimunt *traditionem corporum.*

Forma sacramenti matrimonii est *mutua acceptatio huius traditionis externe manifestata.* Falsa igitur est sententia Melchioris Cani paucorumque aliorum docentium formam esse benedictionem sacerdotis; quod quidem clare apparebit ex dicendis de ministro huius sacramenti.

Ex dictis de materia et forma sequitur, ut consensus maritalis sub diverso respectu consideratus sit simul materia, forma, causa efficiens huius sacramenti. Itaque si consensus maritalis deest, matrimonii sacramentum nullo modo exsistere potest.

843. **Consensus** maritalis debet esse:

1. *verus;* ideoque non sufficit fictus consensus;

2. *liber et deliberatus;* itaque metus gravis et error substantialis sunt impedimenta dirimentia matrimonii, ut infra latius dicetur;

3. *de praesenti;* ideoque consensus de futuro non sufficit;

4. *mutuus et simultaneus*, quia matrimonium est contractus bilateralis;

5. *externe et legitime manifestatus*. Materia enim et forma sacramentorum constituunt signum sensibile;

6. *absolutus et non condicionatus*. Matrimonialis contractus vix umquam *licite* initur sub condicione. Sed etiam *validitatem* matrimonii aliquando destruit condicio vere suspensiva. Sequentia sunt digna notatu:

a) Matrimonium initum sub condicione *de praesenti* vel *de praeterito* validum aut invalidum est, prout condicio apposita verificatur vel non.

b) Matrimonium contractum sub condicione *de futuro contingenti honesto* suspenditur, usquedum condicio verificata fuerit; verificata autem condicione matrimonium evadit eo ipso validum, nec est stricte necessaria renovatio consensus maritalis. Sin autem matrimonium fuit contractum sub condicione: «si Papa dispensaverit», tunc obtenta dispensatione consensus maritalis renovandus est in forma a legibus praescripta, quia contrahentes ante hanc dispensationem obtentam inhabiles erant ad efficacem consensum praestandum.

c) Matrimonium contractum sub condicione, quae est *contra substantiam matrimonii*, est nullum.

Substantia matrimonii consistit in tribus bonis, nempe: prolis, fidei, sacramenti. Quid sint ista tria bona, vide infra n. 858.

d) Matrimonium contractum sub condicione *de futuro contingenti inhonesto, quod tamen non est contra substantiam matrimonii*, est validum. Talis enim condicio censetur ut non adiecta.

844. **Minister** sacramenti matrimonii sunt ipsi contrahentes.

Ita docet sententia hodie communissima et moraliter certa. Aliquando etenim sacramentum matrimonii potest celebrari *absque omni interventu sacerdotis*, ut infra dicetur. Ergo luce clarius est, sacerdotem non esse ministrum huius sacramenti, neque dici potest sacerdotem esse quidem ministrum ordinarium, contrahentes autem ministrum extraordinarium. Nullum enim solidum fundamentum talis assertionis exsistit.

845. **Subiectum** capax *validi* sacramenti matrimonii sunt omnes baptizati non laborantes impedimento *dirimente*. Ad digne autem et fructuose suscipiendum hoc sacramentum requiritur insuper, ut nupturientes sint a) in statu gratiae sanctificantis atque b) immunes ab omni impedimento *prohibente*.

Lege quidem communi non est statutum, ut nupturientes sacramenta paenitentiae et eucharistiae recipiant ante matrimonium, dummodo sint in statu gratiae sanctificantis; sed nemo non videt, quam congruum sit ista sacramenta recipere ante matrimonium.

Caput III. De matrimonii proprietatibus.

Duae sunt matrimonii proprietates, nempe 1. unitas et 2. indissolubilitas seu firmitas. Agemus primo de istis proprietatibus in genere et deinde in particulari de divortio, quod opponitur indissolubilitati.

Art. 1. De unitate et indissolubilitate matrimonii.

846. **Unitas** matrimonii seu monogamia est vinculum matrimoniale inter unum virum et unam feminam. Unitati opponitur *simultanea* polyandria et polygamia.

Polyandria simultanea, quae est maritalis coniunctio unius mulieris cum duobus vel pluribus viris, est prorsus contra ius naturale.

Polygamia simultanea, quae est coniunctio maritalis unius viri cum duabus vel pluribus mulieribus, viguit ante Christum non solum apud gentes sed etiam apud Israelitas, *Deo ita permittente*. Inde autem a temporibus Novae Legis polygamia est prorsus illicita et irrita *pro omnibus* tam christianis quam paganis. Christus enim reduxit matrimonium ad primaevam unitatem et vocavit adulterum illum, qui etiam dimissa prima uxore aliam duxit.

Ergo a fortiore est adulter ille, qui retenta prima legitima uxore aliam ducit.

Polygamia successiva licita est ac proinde inter christianos constituit verum sacramentum (c. 1142). Nonnulli veteres Patres durius de hac polygamia succesiva locuti sunt.

847. **Indissolubilitas** matrimonii denuo instituta est a Christo; ideoque *matrimonium christianum* ratum et consummatum ex nulla causa nullave auctoritate creata solvi potest (c. 1118). Nec obstat textus evangelii: «Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.» Nam ob fornicationem permittitur quidem dimissio uxoris, ut infra latius dicetur, sed minime maritus dimittens aut uxor dimissa potest novum matrimonium inire.

Art. 2. De divortio.

Indissolubilitati matrimonii opponitur divortium, quod est vel *perfectum*, i. e. quoad ipsum vinculum matrimoniale; vel *imperfectum*, i. e. quoad torum aut habitationem, manente integro vinculo.

I. De divortio perfecto.

848. **Principium.** *Divortium perfectum in tribus casibus locum habere potest:* a) *per privilegium Paulinum;* b) *per dispensationem Summi Pontificis;* c) *per professionem religiosam sollemnem.* Duo autem casus ultimi non possunt evenire nisi in matrimonio *rato non consummato*.

849. a) **Privilegium Paulinum** permittit dissolutionem perfectam matrimonii legitimi etiam consummati, dummodo adsint sequentes condiciones:

1. *ut alterutra (non utraque pars) valide sit baptizata.*

Supponitur igitur, ut *post* matrimonium legitimum valide contractum alteruter coniux valide baptizetur. Ergo privilegium Paulinum numquam potest adhiberi, si cum dispensatione disparitatis cultus aliquis christianus matrimonium validum contraxit cum non baptizata persona (c. 1120, § 2).

Potest autem adhiberi, licet fidelis post susceptum baptisma denuo matrimonialiter vixerit cum parte infideli, si ista postea vel non iam cohabitat pacifice, vel non sine contumelia creatoris, vel sine iusta causa discedit (c. 1124). Dicitur autem: *sine iusta causa discedit,* nam, si pars fidelis *post baptismum* dederit parti infideli iustam causam discedendi, e. g. per adulterium, iam nequit novum matrimonium contrahere (c. 1123).

2. *ut pars in infidelitate persistens aut* a) *discedat renuatve pacifice cohabitare cum parte baptizata, aut* b) *nolit cohabitare sine contumelia creatoris.*

Ut autem revera constet de ista duplici condicione, ordinarie, i. e. nisi S. Sedes aliud declaraverit, requiritur *interpellatio* partis infidelis continens duas quaestiones: a) utrum pars infidelis velit et ipsa amplecti religionem catholicam; b) an saltem velit pacifice cohabitare idque sine contumelia creatoris (c. 1121, § 1).

Contumelia creatoris habetur, si infidelis conatur trahere fidelem ad grave peccatum vel nomen Dei blasphemat vel concubinas dimittere non vult.

Haec interpellatio ordinarie facienda est ab episcopo vel Ordinario partis baptizatae; sufficit tamen, si etiam aliter et privatim facta est, dummodo constet per scriptum documentum aut per attestationem duorum testium, illam reapse esse factam (c. 1122). Ab hac interpellatione facienda nemo ex propria auctoritate dispensare valet nisi Summus Pontifex, qui aliquando delegat dispensandi facultatem vicariis apostolicis.

Nota. 1. Non per baptismum partis baptizatae, sed per eius novum validum matrimonium dissolvitur primum matrimonium (c. 1126).

2. Statuit Codex iur. can. c. 1125: «Ea, quae matrimonium respiciunt in constitutionibus Pauli III ‚Altitudo', 1 Iunii 1537; S. Pii V ‚Romani Pontificis', 2 Aug. 1571; Gregorii XIII ‚Populis', 25 Ian. 1585, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in iisdem adiunctis extenduntur.»

Iamvero Paulus III permisit, ut viri polygami baptizati possint retinere uxorem primo acceptam, aut, si quam primo acceperint non recordentur, quamlibet ex acceptis retinere.

S. Pius V concessit iisdem polygamis simpliciter (etiam in casu quo recordantur, quamnam acceperint primam uxorem), ut possint cum ea remanere quae baptizatur.

Gregorius XIII concessit Ordinariis locorum, parochis, confessariis Soc. Iesu, ut possint dispensare super interpellationibus faciendis, dummodo constet (etiam summarie et extraiudicialiter) coniugem infidelem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse. Si tunc neoconversus aliud matrimonium legitime contraxit, illud est firmum et validum, quantumvis postea constet, coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse et ad fidem etiam tempore contracti secundi matrimonii iam conversos fuisse.

Istae tres constitutiones inveniuntur in fine Codicis iur. can.

3. Quando dubium est, num verificentur omnes condiciones requisitae ad privilegium Paulinum, favendum est fidei, i. e. iudicandum est in favorem libertatis partis conversae (c. 1127).

850. b) **Dispensatio Summi Pontificis** potest solvere matrimonium ratum (non consummatum) christianorum. Sic fert constans praxis Curiae Romanae, ita ut hodie iam nemo hanc dispensandi potestatem in dubium vocare licite possit. Requiritur autem, ut haec dispensatio petatur non a tertia persona, sed ab utraque parte aut saltem ab alterutra, etsi altera sit invita (c. 1119).

851. c) **Professio religiosa sollemnis** solvit matrimonium ratum (non consummatum) christianorum. Est de fide definitum in Concilio Trid.: «S. q. d. matrimonium ratum non consummatum per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, A. S» (sess. 24, can. 6 de matr.). Neque professio simplex neque votum castitatis sollemnizatum in susceptione subdiaconatus dirimit matrimonium antea contractum.

Antiquitus infra primum bimestre post nuptias initas conjux cogitans de religione ingredienda potuit denegare debitum

coniugale, sed Codex iur. can. c. 1111 statuit, ut uterque coniux *ab ipso matrimonii initio* debeat actum coniugalem praestare. Proinde abolitum est istud antiquum privilegium.

II. De divortio imperfecto.

852. Obligatio cohabitandi incumbit coniugibus ex ipsa notione matrimonii, quod est «individua vitae consuetudo», et ex verbis Christi dicentis: «Dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae» (Mt 19, 5). Quae quidem obligatio includit a) consortium tecti et b) consortium lecti. Neuter coniux potest ab alio discedere ad longum tempus, altero invito, nisi adsint graves causae (c. 1128).

Divortium imperfectum potest esse a) perpetuum vel temporale; b) factum privata vel publica auctoritate; c) quoad solum *torum*, i. e. quoad usum matrimonii, vel etiam quoad *habitationem*, si scil. coniuges communem vitam domesticam et habitationem dissolvunt.

Causae, ob quas licite fieri potest divortium imperfectum, recensentur: 1. adulterium carnale; 2. adulterium spirituale, i. e. haeresis seu apostasia; 3. periculum grave animae vel corporis; 4. mutuus consensus.

853. 1. **Adulterium carnale** commissum ab uno coniuge dat alteri coniugi innocenti ius faciendi divortium non solum a toro sed etiam ab habitatione.

Coniux innocens, sive iudicis sententia sive propria auctoritate discesserit, *nulla umquam obligatione tenetur* coniugem adulterum rursus admittendi; potest autem eundem admittere aut revocare, nisi tamen ille ex ipsius consensu statum matrimonio contrarium susceperit (c. 1130). Si igitur adulter cum consensu coniugis innocentis statum religiosum amplexus fuerit, nequit postea revocari. Quamvis valde sit suadendum, ut divortium in casu adulterii vel propter alias causas infra afferendas non fiat quoad habitationem sine praevia licentia

Ordinarii loci, quia secus multa incommoda facile evenire possunt, tamen etiam propria auctoritate fieri potest, dummodo *certo constet* causam sufficientem separationis adesse, et periculum sit in mora (c. 1131, § 1).

Coniux innocens nequit facere divortium, nisi adulterium sit:

a) moraliter certum;

b) formale, culpabile, libere commissum;

c) non condonatum; tacita condonatio α) habetur, si coniux innocens, cognito adulterio, cum parte adultera sponte maritali affectu conversatus fuerit; β) praesumitur, si intra sex menses non reclamaverit (c. 1129, § 2).

d) non mutuum aut communi consensu patratum (c. 1129, § 1).

Nota. 1. Pars innocens *potest* quidem sed rarissime debet divortium facere propter adulterium compartis. Generatim praestat, ut pars adultera concilietur cum parte innocenti.

2. Pars innocens potest, etiam invito adultero, religionem intrare aut sacros ordines suscipere.

854. 2. **Adulterium spirituale,** i. e. haeresis seu apostasia (matrimonio *superveniens*) unius coniugis, qui adhaesit sectae acatholicae vel prolem acatholice educavit, est causa sufficiens pro divortio faciendo.

Ratio est, quia post tale flagitium commissum solet imminere cum coniugi innocenti tum proli periculum grave perversionis. Ex *privata* autem auctoritate raro licet divortium facere propter hanc causam; et, si nihilominus factum est, coniux innocens tenetur redire ad alterum, si iste ab haeresi resipuerit (c. 1131, § 2).

855. 3. **Periculum grave animae vel corporis** item est causa sufficiens divortii. Censetur adesse grave periculum animae, si coniux compartem constanter sollicitat ad grave peccatum, e. g. ad furtum, onanismum, meretricium, ad praecepta ecclesiastica transgredienda etc., ita tamen ut divortium sit quasi unicum remedium vitandi peccatum grave. Raro tamen expedit facere divortium ob istam causam, quoniam semper fere adsunt alia remedia contra sollicitationem ad peccatum.

Grave periculum corporis oritur a) ex *saevitiis,* quas alter coniux in alterum committit verbis vel factis;

b) ex *molesta cohabitatione,* quae provenit ex vita criminosa et ignominiosa compartis, ex iurgiis, rixis, habitu se inebriandi, neglegentia crassa rei familiaris, dilapidatione fortunae etc.;

c) ex *morbo gravi contagioso,* quem alter coniux contraxit *ex gravi sua culpa.* Talis morbus praecipue est syphilis, quae solet contrahi ex adulterio.

856. 4. **Mutuus consensus** libere et licite praestitus est causa sufficiens faciendi divortium etiam *perpetuum* quoad *torum.*

Etenim coniuges possunt quidem uti matrimonio, sed possunt etiam ex mutuo et libero consensu servare continentiam. Ut ex mutuo consensu licite fiat divortium temporale vel perpetuum quoad *habitationem,* requiritur non solum sufficiens causa, sed etiam necesse est ut vitentur scandalum, damna pro prole, periculum incontinentiae etc.

857. **Nota. 1. Cessatio divortii.** Si divortium factum est propter adulterium, pars innocens numquam stricte tenetur vitam maritalem redintegrare, ut iam dictum est; in omnibus autem aliis casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est; nihilominus si separatio ab Ordinario loci pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur nisi ex novo decreto Ordinarii vel exacto tempore (c. 1131, § 2).

2. **Onera divortii.** Instituta separatione, filii educandi sunt penes coniugem innocentem; sin autem alter coniugum est acatholicus, penes coniugem catholicum. Potest tamen semper Ordinarius loci pro filiorum bono aliter decernere, dummodo filii in catholica religione educentur (c. 1132). Onera *sustentationis* solent determinari a iudice civili.

Caput IV. De matrimonii bonis.

858. Monet Catechismus Romanus: «Docendi sunt fideles tria esse matrimonii bona: prolem, fidem, sacramentum; quorum compensatione illa incommoda leniuntur, quae Apostolus indicat his verbis: tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi; efficiturque ut coniunctiones corporum, quae extra matrimonium merito damnandae essent, cum honestate coniunctae sint.» — Quaelibet actio, quae graviter laedit vel unum ex his bonis, est peccatum mortale.

1. *Bonum prolis* est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei; ideoque exigit ut parentes procurent bonum cum corporale tum spirituale prolis. Contra bonum prolis graviter peccant parentes, qui e. g. procurant abortum, neglegunt alimentationem et bonam educationem prolis (c. 1113).

2. *Bonum fidei* duo includit: debitum coniugale et fidelitatem coniugalem. De debito coniugali erit specialis sermo in cap. seq. Fidelitas coniugalis est magnum matrimonii bonum, et, quo sanctius conservatur, eo maior felicitas solet exsistere inter coniuges. Laesio fidelitatis fit per adulterium omnesque actus connexos, immo etiam per pollutionem solitariam.

3. *Bonum sacramenti* est vinculum indissolubile matrimonii et societas amoris exsistens inter coniuges. Haec maritalis coniunctio laeditur non solum per divortium indebitum sed etiam per neglectionem officiorum, quae incumbunt marito et uxori. De istis officiis sermo fuit supra in tractatu de quarto praecepto Decalogi n. 462 sqq.

Caput V. De matrimonii obligationibus.

Praenotamen. Complures sunt obligationes, quae oriuntur ex tribus bonis matrimonii in cap. praec. explicatis. In hoc capite agemus de sola illa obligatione, quae oritur ex bono fidei, nempe de debito coniugali.

859. 1. Liceitas actus coniugalis.

Principium. *Actus coniugalis est licitus, immo et meritorius, quoties concordat cum bono prolis et bono fidei.*

Scribit enim S. Paulus: «Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro (1 Cor. 7, 3). — Ratio autem interna est, quia actus coniugalis necessarius est non solum ad propagationem generis humani, sed etiam ad amorem maritalem

fovendum. Quotiescumque alteruter istorum finium intenditur, actus coniugalis est licitus, dummodo tamen inde ne alia mala vel incommoda sequantur. Minime igitur requiritur, ut coniuges peragendo copulam carnalem semper intendant propagationem generis humani. Hinc licitus est actus coniugalis inter coniuges steriles, tempore lactationis, praegnationis, diebus dominicis et festivis; non autem licitus est, si fit modo onanistico vel cum gravi periculo sanitatis vel cum scandalo aliorum etc.

Accessoria actus coniugalis. Non solum ipse actus coniugalis sed etiam tactus et aspectus aliaque omnia licita sunt inter coniuges, dummodo desit *proximum* periculum pollutionis et ne fiant ex sola voluptate. Quare confessarius ordinarie ne interroget coniuges de istis actibus accessoriis.

860. 2. Obligatio actus coniugalis.

Principium 1. *Quotiescumque alteruter coniugum rationabiliter et serio petit debitum coniugale, alter tenetur ex iustitia illud reddere et quidem sub gravi peccato.*

Explicatur. Dicitur: *rationabiliter et serio petit.*

Irrationabiliter petit coniux debitum e. g. in ebrietate, in gravi morbo, si nimis frequenter petit aut cum scandalo aliorum aut onanistico modo etc. — Non serio petit, si exprimit potius aliquam velleitatem quam voluntatem determinatam. — Sin autem coniux revera rationabiliter et serio petit debitum coniugale, alter tenetur ex iustitia et sub gravi peccato illud reddere, ut patet a) ex verbis S. Pauli iam supra n. 1 citatis; b) ex ipso contractu maritali, in quo ius ad actum coniugalem alter alteri tradit.

Obligatio reddendi debitum, licet per se sit gravis, quoniam est circa gravem materiam stipulatam in iusto contractu, tamen admittit parvitatem materiae. Hinc si uxor una alterave vice denegat marito debitum coniugale, remittens illud ad aliud sibi convenientius tempus, non peccat graviter, saltem si vir non est in proximo periculo incontinentiae aut inde non exardescit magna ira.

Per se patet coniugem non obligari ad reddendum debitum comparti, qui ius petendi amisit per adulterium aut per divortium quoad torum legitime obtentum.

861. Principium 2. a) *Nulla per se exsistit obligatio petendi debitum coniugale, ideoque*

ex mutuo consensu libero coniuges ab actu coniugali possunt libere abstinere temporaliter vel perpetuo; b) *per accidens tamen quandoque ex caritate oritur obligatio petendi debitum.*

Ratio primi est, quia coniuges possunt libere renuntiare iuri suo petendi debitum. Hinc B. Virgo et S. Ioseph vero matrimonio uniti libere renuntiaverunt iuri petendi debitum; et saltem temporalis continentia coniugum solet valde conducere ad spiritualem vitam fovendam.

Ratio secundi est, quia ex non-usu matrimonii possunt facile oriri multa incommoda, e. g. periculum incontinentiae, refrigescentia amoris maritalis.

862. 3. Peccata coniugum.

Principium. a) *Grave peccatum coniugum contra castitatem est, quidquid directe et graviter repugnat bono prolis et bono fidei;* b) *leve peccatum est, quidquid fit ex sola voluptate, quin directe repugnet bono prolis vel fidei;* c) *nullum peccatum est, quod utile vel necessarium est ad actum coniugalem bene perficiendum et amorem maritalem fovendum.*

Declaratur. Secunda et tertia pars huius principii sufficienter patent ex supra n. 859 dictis de copula maritali facta ex sola voluptate et de accessoriis actibus copulae maritalis.

Bona fidei et prolis graviter laeduntur:

a) per peccata luxuriae cum alienis personis perpetrata sive facto sive desiderio;

b) per pollutionem solitariam;

c) per onanismum coniugalem. Sufficienter dictum est de peccatis primae et secundae speciei supra n. 518 sqq. in tractatu de castitate. Restat dicendum de onanismo.

863. Onanismus distinguitur duplex: alter solitarius, qui nihil aliud est nisi pollutio seu mollities; alter coniugalis, qui fit vel a) abruptione copulae maritalis ante seminationem [1], vel b) diversis instrumentis (e. g. Condom, pessario occlusivo), quae impediunt, ne semen virile perveniat ad locum debitum. Hic non loquimur nisi de onanismo coniugali.

[1] Graviter illicitum quoque est statim post copulam irrigare vaginam ea intentione, ut semen expellatur vel spermatozoida (ope liquoris ad hoc praeparati) necentur itaque conceptio evitetur. Licita autem est huiusmodi lotio vaginalis, si ob rationes hygiaenicas et non statim post copulam fit. Constat enim tunc conceptionem non reddi impossibilem.

Malitia. *Onanismus coniugalis, quocumque modo libere fit, semper est peccatum mortale.*

Ita docet recta ratio, ita declaravit Ecclesia. Recta ratio docet onanismum coniugalem directe repugnare tam bono prolis quam bono fidei atque esse veram pollutionem. Pessimi quoque effectus solent produci ab hoc onanismo: sanitas corporalis utriusque coniugis ex eo saepe graviter laeditur, proles non generatur, familiae et civitates depopulantur, habenae laxantur omnigenae libidini. — S. Officium d. 21 Maii 1851 declaravit «scandalosam, erroneam et iuri naturali matrimonii contrariam» hanc propositionem: «Ob rationes honestas coniugibus uti licet matrimonio eo modo, quo usus est Onan.» S. Paenitentiaria d. 13 Nov. 1901 respondit: «Absolvi non posse paenitentem, qui abstinere nolit ab huiusmodi agendi ratione, quae est purus, putus onanismus.»

864. *Cooperatio formalis* ad onanismum numquam, cooperatio vero *materialis* (ad onanismum primo modo exercitum) aliquando licita est, dummodo adsit causa proportionate gravis.

Ratio primi est, quia numquam licet formaliter cooperari ad peccatum alterius, ut supra n. 234 probatum est.

Ratio secundi est, quia actio posita a materialiter cooperante est obiective honesta et tota malitia oritur ex abusu huius actionis facto a coniuge onanista. Applicandae igitur hic sunt regulae de voluntario indirecto malo. Causae proportionate graves, ut coniux possit licite cooperari materialiter ad congressum onanisticum, sunt e. g. timor fundatus iurgiorum, rixarum, adulterii etc. Insuper requiritur: a) ut coniux innocens *passive* se habeat in abruptione copulae; b) ut conetur avertere compartem a suo pessimo agendi modo; c) ut cohibeat interiorem complacentiam actus peccaminosi. Si omnes istae condiciones adsunt, coniux non solum reddere sed etiam petere potest debitum coniugale a comparte onanista. Potest tamen etiam recusare debitum, quoniam compars, qui onanistice vult abuti matrimonio, nullum ius habet ad debitum coniugale.

Cooperatio materialis ad onanismum secundo modo exercitum solum ex metu gravissimi mali permitti potest, ita ut coniux debeat positive resistere huic actui in se et iam inde ab initio illicitum. Nonnulli dicunt, uxorem debere tunc eodem fere modo agere *sicut virginem*, quam conatur vir opprimere.

865. *Remedia* contra onanismum non exsistunt alia hodieque cognita, efficacia et licita, nisi *continentia virtuosa* aut *confidentia firma in Deum*. Media *physica* ad impediendam conceptionem circumferuntur complura, sed omnia aut sunt illicita aut non certe efficacia. Observare sic dictum tempus *ageneseos* (i. e. abstinere a copula per 15 dies post et per 4 dies ante menstruationem) est quidem licitum, ut declaravit S. Paenitentiaria, sed non certo impedit conceptionem quoniam non cognoscitur tempus ageneseos.

Caput VI. De matrimonii praeparatione.

Praenotamen. Praeparatur matrimonium tribus actibus praeviis: 1. sponsalibus; 2. examine sponsorum; 3. bannis seu proclamationibus matrimonii. De singulis agendum est.

Art. I. De sponsalibus.

866. Notio. *Sponsalia sunt futurarum nuptiarum mutua promissio inter personas habiles legitime inita.*

Declaratur. Dicitur 1: *futurarum nuptiarum mutua promissio.* Ergo sponsalia sunt essentialiter promissio de futuro et non de praesenti. Quae quidem promissio debet esse:

1) *libera,* i. e. immunis a) ab errore; b) a metu. Error substantialis, utpote irritans omnem contractum, irritat quoque sponsalia; error vero accidentalis notabilis reddit sponsalia rescindibilia.

Metus gravis a causa naturali aut etiam a causa libera *iuste* incussus neque irritat neque rescindibilia reddit sponsalia. Metus levis iniustus videtur reddere sponsalia rescindibilia, saltem si non fuit mere concomitans, sed si dedit causam contractui sponsalitio; metus autem gravis *iniuste incussus* certo rescindibilia reddit sponsalia (c. 103, § 2).

2) *deliberata.* Cum enim sponsalia sint contractus onerosus magni momenti, requiritur ea deliberatio, quae necessaria est generatim pro contractibus onerosis valide et licite ineundis.

3) *mutua,* ideoque non sufficit promissio unilateralis, sed requiritur promissio bilateralis et vere reciproca.

Dicitur 2: *inter personas habiles.* Duplex est inhabilitas: altera naturalis, altera legalis. Inhabilitate *naturali* contrahendi sponsalia laborant omnes, qui carent sufficienti usu rationis ad ineundum contractum onerosum magni momenti, e. g. amentes, perfecte ebrii, hypnotizati, infantes. Inhabilitate *legali* laborant omnes, a) qui non observant formam in iure canonico praescriptam (cf. infra); b) qui obstringuntur aliquo impedimento prohibente aut dirimente matrimonium. Quod quidem est certum, si in tali impedimento non solet concedi dispensatio, cum tunc sponsalia essent promissio rei illicitae. Sin autem satis facile conceditur dispensatio talis impedimenti, non ita constat, num tunc possint fieri sponsalia condicionate valida. Iste casus praesertim occurrere potest, si contrahentes sunt *mixtae religionis.* In praxi omnia sponsalia, quibus obstat aliquod impedimentum dirimens vel prohibens matrimonium, considerari possunt ut invalida. Proinde parochus ne permittat, ut sponsalia contrahantur, antequam dispensatio impedimentorum obtenta est; c) partialiter etiam *impuberes,* qui post adeptum usum rationis possunt quidem inire valida sponsalia, quae tamen (propria auctoritate) sunt rescindibilia *in triduo,* quod sequitur pubertatem vel cognitionem huius privilegii.

Dicitur 3: *legitime inita.* Sub poena nullitatis omnimodae statutum est c. 1017, § 1, ut sponsalia sint: a) *scripto* exarata cum appositione diei, mensis, anni; b) *subscripta* a duobus contrahentibus et parocho (vel Ordinario). Loco parochi (vel Ordinarii) possunt subscribere etiam duo testes. Quodsi utraque vel alterutra pars contrahentium scribere non valet (sive ex imperitia sive propter infirmitatem corporalem), id expresse in litteris adnotetur, et tunc novus testis subscribere debet. *Acatholici* sive baptizati sive non baptizati, si *inter se contrahunt,* nullibi ligantur ad ista statuta.

Ex sponsalibus, quae non sunt inita iuxta formam in iure praescriptam, in utroque foro nulla obligatio exsurgit. Si tamen sponsalia informia sunt *fraudulenter* inita, tunc profecto oritur obligatio reparandi damna ex fraude orta.

867. Effectus sponsalium solent enumerari duo: 1. obligatio gravis matrimonium ineundi tempore opportuno et legitimo; 2. impedimentum prohibens omnes alias nuptias.

Ratione primi effectus graviter peccat, qui sine sufficienti causa resilit a contractu sponsalitio, vel qui, invita comparte, indebite differt matrimonium contrahendum.

Ratione secundi omnia alia sponsalia sunt invalida et aliae nuptiae sunt illicitae, nisi tamen priora sponsalia sint prius legitime soluta.

Nota. Ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda

excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum forte ex dissolutione sponsalium ortorum (c. 1017, § 3). Haec actio damnorum efficacius in foro civili proponitur, ibique fieri potest etiam a catholicis, cum sit mixti fori (Act. Ap. Sed. 1918, X 345).

868. **Dissolutio sponsalium** potest fieri: 1. mutuo consensu; 2. notabili mutatione superveniente; 3. violatione fidei sponsalitiae; 4. electione status perfectioris; 5. dispensatione pontificia.

1. *Mutuus consensus* libere, sine dolo et metu praestitus, solvit sponsalia (etiam iurata), quippe quae sint contractus arbitrarius.

2. *Notabilis mutatio,* quae *post* sponsalia inita oritur vel detegitur, solvit sponsalia. Illa autem mutatio censetur notabilis, quae absterruisset a sponsalibus ineundis, si antea cognita fuisset. Huiusmodi mutatio accidere potest: a) in bonis *corporis,* e. g. si alteruter fit caecus, claudus; b) in bonis *fortunae,* e. g. si alteruter magnam fortunae partem amisit; c) in bonis *animi,* e. g. si sponsus detegitur ebriosus, prodigus, malis moribus contaminatus; d) in *externis circumstantiis,* e. g. si magnae inimicitiae inter familias sponsi et sponsae ortae sunt vel quando parentes graviter dissentiunt.

3. *Violatio fidei sponsalitiae* fieri potest tripliciter: a) per fornicationem aliosque actus graviter impudicos commissos cum aliena persona; b) per matrimonium cum aliena persona; c) per indebitam matrimonii dilationem.

4. *Electio status perfectioris,* qualis est status religiosus (etiam votorum simplicium) et status clericalis, solvit sponsalia inita. In contractu enim sponsalitio semper subauditur condicio: nisi statum perfectiorem elegero. Non desunt auctores, qui docent etiam *statum virginitatis* voto privato perpetuae castitatis firmatum dissolvere sponsalia contracta.

5. *Dispensatio pontificia* potest dissolvere sponsalia. Si enim Summus Pontifex potest dissolvere matrimonium ratum (cf. supra n. 850), a fortiori potest solvere sponsalia. Quamvis ex sponsalibus oriatur utrique sponso strictum ius, ne alter a promissione facta resiliat, tamen ex alia parte ex connubiis coactis solent pessimi effectus profluere in detrimentum cum

ipsorum contrahentium tum Ecclesiae. Papa autem habet ius praecavendi damna Ecclesiae, ac proinde vi *dominii alti* potest ius alicuius singularis personae limitare. Aliquando Papa dissolvendo sponsalia valida imponit indemnitatem solvendam a parte iniuste resiliente, aliquando autem iudicium de hac indemnitate solvenda relinquit tribunali civili.

Dissolutionis modus non praescribitur in iure; ideoque sponsalia, iusta exsistente causa, possunt etiam propria auctoritate dissolvi, si scandalum praecavetur et lex dioecesana non obstat.

Art. 2. De examine sponsorum et de publicationibus matrimonialibus.

Antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere (c. 1019, § 1). Ut id obtineatur, praemittenda sunt: 1. examen sponsorum; 2. banni seu publicationes matrimoniales. In periculo autem mortis, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio iurata contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento (ib. § 2).

869. 1. **Examen sponsorum** faciendum est coram parocho proprio eiusve delegato, i. e. coram parocho, cui ius est assistendi futuro matrimonio. Quinam sit iste parochus, dicetur infra, ubi de celebratione matrimonii tractabitur. Iste parochus:

a) exigat *baptismi testimonium* (nisi collatus fuerit in ipso suo territorio) ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agitur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus (c. 1021, § 1). Si agitur de matrimonio mixto contrahendo, parochus debet inquirere de validitate baptismi ab haeretico accepti, ne forte adsit impedimentum disparitatis cultus;

b) exigat *confirmationis susceptionem.* Catholici enim, qui sacramentum confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possunt sine gravi incommodo (ib. § 2);

c) *interroget* cum sponsum tum sponsam etiam seorsum et caute, utrum aliquo detineantur impedimento, an consensum libere praestent, an in doctrina christiana sufficienter instructi sint. Haec ultima interrogatio omitti potest, si iam aliunde constat sufficiens doctrina sponsorum. Solet Ordinarius loci

peculiares normas de ista investigatione status liberi facienda praescribere (c. 1020, § 2 et 3). Si parochus invenit sponsos ignaros doctrinae christianae, eos doceat saltem necessaria elementa, sed eos a matrimonio ne arceat (Act. Ap. Sed. 1918 X 345);

d) *doceat* sponsos sanctitatem sacramenti matrimonii, mutuas coniugum obligationes, parentum obligationes erga prolem; eosdem vehementer adhortetur, ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur et ss. eucharistiam pie recipiant (c. 1033). Si sponsi sunt *minores,* hortetur eos parochus, ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat nisi prius consulto loci Ordinario (c. 1034).

870. 2. Publicationes seu banni matrimoniales sunt publicae denuntiationes, quae celebrationi matrimonii praemitti debent eo fine, ut securius et facilius detegantur impedimenta forte obstantia.

Obligatio. Lex ecclesiastica publicationum obligat sub gravi. Ita sententia communis, et perspicitur ex gravi earum fine. Neque cessat haec lex in casu particulari, quamvis certum sit, nullum impedimentum obstare alicui matrimonio. Omissio unius (ex tribus) et forte etiam duarum publicationum est peccatum *leve.*

Omittuntur publicationes a) in casu urgentis necessitatis; b) ex dispensatione Ordinarii proprii [1]; c) in matrimoniis mixtis aut cum dispensatione disparitatis cultus contrahendis. Potest tamen Ordinarius loci etiam in istis matrimoniis rite ineundis publicationes praescribere, sed tunc mentio religionis partis acatholicae omittenda est (c. 1026).

871. Tempus. «Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia aut inter alia divina officia (e. g. Vesperas), ad quae populus frequens accedat» (c. 1024). Si peractis publicationibus intra sex menses matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur (c. 1030, § 2).

Forma. Publicationes fieri debent vulgari sermone iuxta formam Ritualis Rom. (tit. 7, c. 1, n. 13) vel probatam consuetudinem dioecesanam, exprimendo a) nomen, cognomen, domicilium, parentes sponsorum; b) numerum publicationum; c) obligationem fidelium revelandi impedimenta parocho vel Ordinario. Omittendae sunt omnes mentiones odiosae et probrosae, e. g. religio acatholica, illegitimitas, aetas etc.

Potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus oralibus substituere publicam ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut hoc spatio duo dies festi de praecepto comprehendantur (c. 1025).

[1] Si plures sint Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quodsi matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest (c. 1028, § 2).

872. Locus. Publicationes debent fieri a parocho *proprio* utriusque sponsi (c. 1023, § 1); sive autem per domicilium sive per quasi-domicilium suum quisque parochum sortitur. Proinde publicationes essent per se faciendae in omnibus locis, in quibus uterque sponsus post pubertatem habuit domicilium. Cum autem hoc aliquando possit causare magna incommoda, si alteruter sponsus in alio loco per sex menses commoratus sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel exigat publicationes inibi faciendas vel praescribat alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas (ib. § 2). Si publicationes sunt faciendae in pluribus paroeciis, tunc omnes parochi debent peractis publicationibus per authenticum documentum certiorem reddere illum parochum, qui matrimonio assistere debet (c. 1029). Ceterum in unaquaque dioecesi solet legitimis statutis determinari, in quibusnam locis debeant publicationes fieri.

Impedimentorum revelatio. Cum finis principalis publicationum sit, ut impedimenta matrimonii, si quae sint, detegantur, sequitur ut fideles omnes teneantur sub gravi, impedimenta, si quae norint, parocho aut loci Ordinario ante matrimonii celebrationem revelare (c. 1027).

Causae autem excusantes ab hac revelatione sunt:

a) grave damnum proprium vel alienum;

b) inutilitas denuntiationis, si scil. impedimentum iam innotuit parocho;

c) secretum sacramentale vel professionale. Hinc e. g. confessarius, medicus, obstetrix non possunt revelare ea, quae sciunt ex officio suo; debent autem, in quantum hoc est possibile, monere nupturientes, ut ipsi revelent impedimentum.

873. Quid faciendum sit, examine sponsorum et publicationibus peractis. Tres casus sunt possibiles: peractis omnibus investigationibus et receptis omnibus documentis necessariis 1. *nullum* impedimentum detectum est: tunc parochus

debet sponsos admittere ad matrimonium, sed ordinarie nisi post 3 dies (c. 1030, § 1), et si agitur de matrimonio vagorum, praehabita licentia Ordinarii loci; 2. *dubium* impedimentum detectum est: tunc dubium expellendum est accuratiore investigatione; dubio autem perseverante, Ordinarius loci est consulendus (c. 1031); 3. *certum* impedimentum detectum est: tunc dispensatio huius impedimenti petenda est, sicut infra n. 932 dicetur.

Caput VII. De matrimonii celebratione externa.

874. **Praenotamen.** Externa celebratio matrimonii hodie sub poena nullitatis facienda est iuxta Codicis iur. can. **statuta, quae obligant** (c. 1099):

«omnes in catholica Ecclesia (latina) baptizatos et ad eam ex haeresi aut schismate conversos, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint», si:

a) *inter se* matrimonium ineunt, i. e. contrahunt *matrimonium pure catholicum;*

b) *cum acatholicis* (sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus) contrahunt *matrimonium mixtum.* Indulta hac in re pro Germania et Hungaria concessa amplius non iam vigent;

c) *cum orientalibus* (sive catholicis sive acatholicis) contrahunt.

Non autem obligant ista statuta:

a) *acatholicos* (sive baptizatos sive non baptizatos), si inter se contrahunt, scil. *matrimonium pure acatholicum;*

b) *natos ab acatholicis* (etsi in Ecclesia catholica baptizatos), qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, si cum parte acatholica matrimonium contrahunt;

c) *orientales,* si inter se matrimonium contrahunt. Ita saltem de iure communi; nam de iure particulari Rutheni tenentur sicuti Latini.

Ad clarius explicanda omnia, quae ad celebrationem matrimonii pertinent, distinguitur istud caput in tres articulos: 1. quaenam requirantur ad validam et licitam celebrationem externam matrimonii in casibus ordinariis; 2. in casibus extraordinariis, scil. in articulo mortis, vel quando sacerdos rite delegatus haberi nequeat; 3. de ritu celebrationis et de adnotationibus postea faciendis.

Art. 1. De requisitis ad validam et licitam celebrationem externam matrimonii in casibus ordinariis.

I. Requisita ad validam celebrationem externam.

875. **Lex:** «*Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus*» (c. 1094).

In ordinaria igitur celebratione externa matrimonii requiritur sub poena nullitatis assistentia:

vel parochi loci
vel Ordinarii loci
vel sacerdotis rite delegati } et duorum testium.

Nomine parochi intelleguntur:

1. omnes parochi proprie dicti;

2. omnes, qui parochis aequiperantur, nempe a) administrator paroeciae vacantis; b) curatus, i. e ille, qui in territorio determinato sed non ad dignitatem verae paroeciae erecto plenam curam animarum gerit; c) vicarius perpetuus vel temporalis paroeciae incorporatae; d) capellani seu rectores piorum cuiusvis generis locorum a paroeciali iurisdictione exemptorum; e) parochi personales, e. g. capellani militares.

Nomine Ordinarii intelleguntur: episcopi dioecesani, administratores seu vicarii apostolici, praelati seu praefecti habentes iurisdictionem cum territorio separato, eorumque vicarii in spiritualibus generales et, sede vacante, vicarius capitularis vel legitimus administrator dioecesis (c. 198, § 2). — Capellanus maior castrensis est Ordinarius pro omnibus personis ad militiam iuxta legem civilem pertinentibus.

Nomine sacerdotis rite delegati intellegitur ille, cui commissa est a loci parocho vel Ordinario facultas valide assistendi matrimonio. Requiritur, ut haec delegatio detur pro quolibet casu particulari, scil. sacerdoti determinato ad determinatum matrimonium, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus. Soli vicarii cooperatores possunt generaliter delegari in sua paroecia (c. 1096, § 1). Delegatio autem ipsa non est necesse ut sit expressa, sed sufficit tacita, quae ex actibus concludentibus manifeste colligitur; non autem sufficit delegatio praesumpta aut postea ratihabita. — Ille, qui delegatus est

pro universitate causarum, e. g. vicarius cooperator, potest hanc delegationem in singulis casibus subdelegare, econtra delegatus pro casu particulari nequit subdelegare, nisi id ipsi sit expresse concessum a delegante (c. 199, § 4).

Delegatio cessat a) revocatione, b) elapso praefixo tempore, non autem morte aut resoluto iure delegantis (c. 207). Quare e. g. si parochus subito moritur, eius vicarius cooperator nihilominus valide et licite assistit matrimoniis in paroecia.

876. Condiciones sub poena nullitatis requisitae ex parte parochi et Ordinarii loci sunt tres:

1. *ut beneficium vel officium suum canonice possideat, neque sit per sententiam excommunicatus vel interdictus vel suspensus ab officio vel ut talis declaratus* (c. 1095, § 1, n. 1).

Parochus canonice possidet paroeciam per sic dictam institutionem corporalem (c. 1444, § 1); Ordinarius loci, i. e. episcopus, per praesentationem litterarum Apostolicarum (c. 334, § 3). — Etiam parochus *putativus* valide assistit matrimonio, cum Ecclesia in errore communi iurisdictionem suppleat (c. 209).

2. *ut intra limites sui territorii assistat matrimonio* (ib. n. 2).

Nihil igitur refert, quantum ad validitatem matrimonii, utrum nupturientes sint proprii paroeciani an extranei, dummodo parochus assistat intra limites suae paroeciae in quocumque loco. — Parochi *personales* possunt ubique terrarum valide assistere matrimonio suorum subditorum.

3. *ut parochus neque vi neque metu gravi constrictus requirat excipiatque consensum* (ib. n. 3).

Quare assistentia coacta vel metu extorta vel subrepta iam non sufficit, sed semper necesse est, ut sacerdos assistens matrimonio libere requirat et excipiat consensum contrahentium. Etiam quando parochus non praestat nisi assistentiam *passivam,* debet requirere et excipere consensum contrahentium. Quandonam licita sit haec assistentia passiva, dicetur infra in tractatu de matrimoniis mixtis n. 894.

877. Duo testes praeter parochum aliumve sacerdotem debent assistere celebrationi matrimonii. De qualitate istorum testium nihil aliud

stricte exigitur, nisi ut valeant revera celebrationem matrimonii attestari. Quare amentes, perfecte ebrii, surdi simul et caeci nequeunt esse testes. Valde decet, ut adhibeantur testes bonis moribus praediti; haeretici possunt tamen, remoto scandalo, tolerari ex gravi causa (S. Off. d. 19 Aug. 1891).

878. II. Requisita ad licitam celebrationem externam:

1. *moralis certitudo de contrahentium statu libero ad normam iuris* (c. 1097, § 1, n. 1).

Status liber significat immunitatem ab omnibus impedimentis prohibentibus et dirimentibus. Moralis autem certitudo huius immunitatis obtinenda est: a) per examen sponsorum; b) per publicationes matrimoniales; c) aliquando per iuramentum de statu libero a contrahentibus praestitum.

2. *domicilium vel quasi-domicilium vel saltem menstrua commoratio alterutrius nupturientium in loco matrimonii* (ib. n. 2).

Quid sit domicilium et quasi-domicilium, dictum est supra in tractatu de legibus n. 84. Cum illorum quoque, qui non habent nisi *dioecesanum* domicilium vel quasi-domicilium, parochus proprius sit ille, in cuius territorio actu commorantur (c. 94, § 3), talis parochus potest valide et licite eorum matrimonio assistere. Proinde non iam requiritur domicilium paroeciale, sed sufficit dioecesanum. — Menstrua commoratio non destruitur, si sponsi uno alterove die durantibus 30 diebus ante matrimonium a loco abfuerunt. Parum enim pro nihilo reputatur.

3. *parochus sponsae regulariter assistat matrimonio celebrando, nisi iusta causa excuset.*

Haec obligatio videtur esse levis et facile adesse causa excusans. Observanda tamen sunt statuta dioecesana, si quae

hac de re exsistunt. Matrimonia catholicorum mixti ritus (e. g. ritus latini et orientalis) sunt celebranda in ritu viri et coram eiusdem parocho, nisi aliud peculiari iure cautum sit (c. 1097, § 2).

4. *licentia Ordinarii loci (vel eius delegati), ubi matrimonium contrahitur, peti debet (ordinarie) ad assistendum matrimonio vagorum* (c. 1032).

Nomine vagorum in hac materia videntur intellegi ii, qui tempore matrimonii celebrandi nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel quasi-domicilii, vel saltem menstruae habitationis. In casu necessitatis, e. g. si timetur matrimonium mere civile vel si vagi sunt actu itinerantes (c. 1097, § 1, n. 3), parochus potest licite assistere matrimonio vagorum sine praevia licentia Ordinarii.

5. *licentia parochi vel Ordinarii domicilii aut quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi gravis necessitas intercedat, quae a licentia petenda excuset* (ib.).

Parochus *in proprio territorio*, cum semper valide assistat matrimoniis, numquam indiget *delegatione* alterius parochi vel Ordinarii; indiget autem licentia, nisi saltem alteruter contrahentium habet in proprio territorio domicilium vel quasi-domicilium vel saltem menstruam commorationem. Si parochus sine hac licentia matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua eaque proprio contrahentium parocho (sponsae) remittat (ib. § 3). Emolumenta stolae sunt illa taxa, quae iuxta legem dioecesanam debetur parocho assistenti matrimonio; non autem comprehendunt stipendium Missae nuptialis aliaque dona forte oblata.

Art. 2. De requisitis ad validam et licitam celebrationem externam matrimonii in casibus extraordinariis.

Casus extraordinarii sunt, si matrimonium est celebrandum 1. in mortis periculo; 2. si sacerdos competens haberi nequit.

879. I. Celebratio matrimonii in periculo mortis.

Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos

delegatus, qui matrimonio assistant in mortis periculo, validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; si tamen alius sacerdos (non delegatus) praesto sit, debet vocari et una cum testibus matrimonio assistere, salva tamen coniugii validitate coram solis testibus (c. 1098).

Dicitur 1: *in mortis periculo,* i. e. alterutrius contrahentis. Nihil refert, utrum periculum mortis sit ortum ex aegritudine an ex alia causa, e. g. ex bello, naufragio. Dicitur 2: *si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo . . .* Cum enim celebratio matrimonii sine assistentia competentis sacerdotis sit satis inconveniens et causare possit haud parva incommoda, requiritur gravis causa excusans, quae tamen facile adest in periculo mortis, quia tunc solet deesse tempus advocandi parochum aliumve sacerdotem delegatum. Dicitur 3: *si tamen alius sacerdos praesto sit, debet vocari. . . .* Casus ordinarie accidit, ut confessarius vocatus detegat, moribundum non esse valido matrimonio coniunctum. Tunc putativi coniuges possunt consensum maritalem praestare coram confessario et duobus testibus convocatis. Immo cum confessarius valeat dispensare cum super forma in matrimonii celebratione servanda tum super omnibus impedimentis iuris ecclesiastici (exceptis duobus, c. 1043), putativi coniuges ex iusta causa possunt dispensari ab obligatione convocandi testes atque coram solo confessario consensum maritalem praestare; tenentur tamen scandalum forte exsistens removere et praestare consuetas cautiones, si agitur de matrimonio aut mixtae religionis aut disparis cultus.

880. II. Celebratio matrimonii, si sacerdos competens haberi nequit.

Etiam extra mortis periculum coram solis duobus testibus matrimonium valide et licite celebrari potest, si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus, dummodo tamen prudenter praevideatur, eam rerum condicionem esse *per mensem* duraturam. Sin autem alius sacerdos (non delegatus) praesto sit, qui adesse possit, debet vocari et una cum testibus matrimonio

assistere, salva coniugii validitate coram solis testibus (c. 1098).

Iste casus praecipue accidere potest in locis missionum. Si nupturientes volunt matrimonium inire, sed non possunt neque nunc neque infra mensem sine gravi incommodo adire vel habere sacerdotem competentem, possunt valide et licite matrimonium contrahere coram solis duobus testibus. Valde decet, ut tunc procedatur iuxta Instructionem S. C. de Propaganda d. 23 Iunii 1830: «Tali casu parentes duos testes eligant, qui, una cum sponso et sponsa eorumque propinquis, ad ecclesiam loci se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, caritatis, contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum matrimonium rite se disponant. Post haec surgentes sponsus et sponsa coram praedictis testibus per verba de praesenti mutuum exprimant consensum, et post gratias Deo actas domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domibus praedicta observentur.» Per se patet, contrahentes debere curare, ut sint tunc immunes cum a peccato mortali tum ab omnibus impedimentis matrimonialibus. Quomodo autem simplex sacerdos forte praesens possit dispensare tunc ab istis impedimentis, dicetur infra n. 927, ubi sermo specialis erit de dispensationibus matrimonialibus.

Celebrato matrimonio tenentur (in solidum) testes et contrahentes curare, ut quam primum matrimonium inscribatur in libris matrimoniorum et baptismorum propriae vel vicinioris ecclesiae, si non exsistit propria ecclesia (c. 1103, § 3).

Art. 3. De ritu celebrationis matrimonii et de adnotationibus faciendis.

881. **1. Ritus celebrationis.** «Extra casum necessitatis in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti» (c. 1100).

Inter istos ritus principem locum obtinet *benedictio nuptialis*, quae quidem est duplex: altera simplex, quae habetur in Rituali Rom. (tit. 7, c. 2); altera sollemnis, quae habetur in Missali in Missa pro sponso et sponsa.

a) *Benedictio sollemnis* consistit in tribus orationibus, quarum duae dicuntur post «Pater noster», tertia vero post «Ite Missa est» vel «Benedicamus Domino». Parochus curet, ut sponsi

benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest, etiam postquam diu vixerint in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato (c. 1101, § 1). Hanc sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere (ib. § 2). Est enim quasi complementum assistentiae matrimonii. Non est necesse ut Missa, in qua haec benedictio datur, sit Missa votiva pro sponsis [1], aut applicetur pro sponsis; requiritur autem, ne detur 1. extra Missam (nisi adsit speciale privilegium); 2. tempore feriato (scil. a prima Dominica Adventus usque ad Nativitatem I. Ch. et a fer. IV Cinerum usque ad Pascha inclusive), nisi adsit licentia Ordinarii (c. 1108, § 3); 3. in matrimoniis mixtis; 4. si mulier eam iam in priore matrimonio accepit (c. 1143). — Hortandi sunt sponsi, ut in Missa nuptiali communicent.

b) *Benedictio simplex*, quae habetur in Rituali, datur extra Missam in ecclesia vel in oratorio publico aut semi-publico, non autem in aedibus privatis, nisi in casu extraordinario Ordinarius loci licentiam dederit.

882. c) *Tempus et locus celebrationis matrimonii.* Matrimonium ipsum (cum benedictione simplici) *quolibet anni tempore* contrahi potest; *sollemnis* autem nuptiarum benedictio prohibetur tempore feriato (supra indicato), nisi Ordinarius loci ex iusta causa eam permiserit (c. 1108).

Locus matrimonii celebrandi ordinarie est ecclesia paroecialis; ex licentia parochi alia ecclesia vel oratorium publicum vel semipublicum; ex licentia Ordinarii loci oratorium privatum vel alius locus decens. Attamen in ecclesiis vel oratoriis sive Seminarii sive Religiosarum Ordinarii ne permittant celebrationem matrimonii nisi urgente necessitate ac opportunis adhibitis cautelis (c. 1109, § 2).

Matrimonia mixta celebrentur extra ecclesiam, nisi ex licentia Ordinarii loci aliud sit permissum; numquam autem permittitur Missa nuptialis (ib. § 3).

883. **2. Adnotatio matrimonii celebrati.** Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit quamprimum

[1] Missa votiva pro sponsis celebrari potest, exceptis diebus qui excludunt officia duplicia II. classis, scil. exceptis diebus dominicis, festis de praecepto I et II ordinis, octavis privilegiatis I et II ordinis (scil. Paschatis, Pentecostes, Epiphaniae, Corporis Christi), feriis privilegiatis (scil. IV. Cinerum, tota Hebdomada Sancta), Vigilia Nativitatis. In Missa istorum dierum exceptorum potest addi commemoratio pro sponsis, et quidem, sub *unica* conclusione in festis excludentibus aliam commemorationem, e. g. Nativitatis, Resurrectionis etc., in aliis diebus et festis sub *duplici* conclusione (S. R. C. d. 14 Iun. 1918: Act. Ap. Sed. X 332).

describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum; idque, licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit (c. 1103, § 1).

Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quodsi coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur (ib. § 2).

Si matrimonium in periculo mortis vel in aliis casibus extraordinariis sine assistentia parochi eiusve delegati celebratum est (cf. supra n. 879 sq.), tunc sacerdos alius, si eidem adstiterit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum matrimonium in libris matrimoniorum et baptizatorum quamprimum adnotetur (ib. § 3).

Obligatio faciendi adnotationes praescriptas videtur esse *gravis*, quia finis, scil. cognoscendi statum personalem, est gravis. Adnotationes faciendae sunt quamprimum, i. e. saltem inter triduum, quia secus facile ex oblivione omittuntur aut inaccurate fiunt.

Matrimonium conscientiae celebratum adnotari debet non in ordinario libro matrimoniorum et baptizatorum sed in speciali libro Curiae episcopalis (c. 1107).

CAPUT VIII. De matrimonii impedimentis.

Dividitur istud caput in quattuor articulos: 1. de notione et divisione impedimentorum; 2. de impedimentis prohibentibus; 3. de impedimentis dirimentibus; 4. de impedimentorum dispensatione.

Art. 1. De notione et divisione impedimentorum.

884. Notio. *Impedimentum matrimonii est quaedam circumstantia, propter quam validus vel saltem licitus contractus matrimonialis est impossibilis inter contrahentes.*

Quamquam impedimentum ex una tantum parte se habet, e. g. aetas deficiens, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum ex utraque parte (c. 1036, § 3). «Matrimonium enim nequit claudicare.»

Impedimenta *iuris naturalis et divini* omnes homines obstringunt, *iuris vero ecclesiastici* ligant solos baptizatos (sive catholicos sive acatholicos). Non-baptizatus autem ligatur indirecte his impedimentis, quando scil. vult matrimonium contrahere cum baptizato, propter idem adagium: Matrimonium non potest claudicare. — Impedimenta *civilia dirimentia* non ligant, nisi uterque contrahens non est baptizatus.

885. Divisiones. Distinguuntur

1. *ratione effectus:* impedimenta *dirimentia* et *prohibentia*, prout graviter prohibent et insuper irritant matrimonium attentatum vel graviter illicitum reddunt matrimonium ceteroquin validum (c. 1036);

2. *ratione originis:* impedimenta *iuris naturalis, iuris positivo-divini, iuris ecclesiastici,* prout orta sunt aut ex ipso iure naturali, e. g. impotentia; aut ex iure positivo-divino, e. g. ligamen; aut ex iure ecclesiastico, e. g. affinitas;

3. *ratione ambitus:* impedimenta *absoluta* et *relativa,* prout impediunt matrimonium cum quacumque persona, e. g. ligamen; vel cum determinata tantum persona, e. g. consanguinitas;

4. *ratione notitiae:* impedimenta *publica* et *occulta,* prout in foro externo probari possunt vel secus (c. 1037);

5. *ratione dispensabilitatis:* impedimenta *dispensabilia* et *indispensabilia,* prout dispensari possunt (et solent) vel secus. Impedimenta dispensabilia subdistinguuntur cum secundum maiorem minoremve facilitatem tum secundum modum dispensationis in:

impedimenta *minoris* et *maioris* gradus.

Impedimenta *minoris* gradus sunt quinque (c. 1042):

a) consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis;

b) affinitas in secundo gradu lineae collateralis;

c) publica honestas in secundo gradu;

d) cognatio spiritualis;

e) crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem actum tantum.

Impedimenta *maioris* gradus sunt alia omnia.

886. Auctor. Solius S. Sedis est authentice declarare, quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat. Per se patet, cum nemo nisi S. Sedes possit *authentice* declarare ius divinum. Eiusdem S. Sedis est ius, *privative* (i. e. excluso quocumque alio) alia impedimenta sive dirimentia sive prohibentia pro baptizatis constituendi

per modum legis universalis vel particularis (c. 1038). Pro non-baptizatis auctoritas civilis videtur posse statuere impedimenta etiam dirimentia. De prohibitione alicuius matrimonii particularis seu de sic dicto vetito Ecclesiae infra specialiter tractabitur.

Consuetudo iam nequit impedimentum introducere aut abrogare (c. 1041).

De *cessatione* impedimentorum infra n. 921 specialis sermo erit.

Art. 2. De impedimentis prohibentibus.

Praenotamen. Iam a longis temporibus diversimode enumerabantur impedimenta prohibentia matrimonii; alii enumerabant 9, alii 8, alii 6, alii 5. In novo Codice non enumerantur nisi tria, scil. votum simplex, cognatio legalis, mixta religio. Claritatis causa non videtur recedendum a vetustissimis versiculis enumerantibus quinque impedimenta prohibentia matrimonii:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum,
Cultusque impediunt mixtus, sed facta valebunt.

887. I. **Ecclesiae vetitum** est *praeceptum speciale* (non autem lex), quo a S. Sede vel ab Ordinario loci ex iusta causa prohibetur matrimonium particulare.

1. *S. Sedes* solet vetitum apponere: a) *in dispensatione perpetui voti publici castitatis* ad determinatum matrimonium contrahendum sub his similibusve verbis: «Quodsi supervixerit comparti, perpetuo absque spe coniugii maneat»; b) *in dispensatione matrimonii rati propter impotentiam* sub hac clausula: «vetito viro (mulieri) transitu ad alias nuptias inconsulta S. Sede»; c) *in dispensatione super impedimento raptus* sub his similibusve verbis: «Quodsi dictus vir praefatae mulieri supervixerit, absque spe coniugii maneat.»

Sola S. Sedes potest apponere vetito clausulam irritantem, ita ut tunc vetitum evadat impedimentum dirimens (c. 1039, § 2).

2. *Ordinarius loci* omnes in suo territorio actu commorantes (ergo etiam peregrinos et vagos) et suos subditos etiam extra fines sui territorii vetare potest matrimonia contrahere in casu particulari, sed *ad tempus* tantum, iusta de causa eaque perdurante (ib. § 1), e. g. quando adest suspicio alicuius

impedimenti latentis, quando magna damna praesertim spiritualia ex tali matrimonio timentur.

Obligatio et cessatio. Vetitum Ecclesiae obligat sub gravi tam nupturientes quam sacerdotem invitatum ad assistendum matrimonio. Semper autem recursus patet ad legitimam auctoritatem ecclesiasticam. Cessat hoc vetitum per legitimam revocationem factam a superiore ecclesiastico.

888. II. **Tempus clausum seu feriatum** est tempus, quo sollemnis nuptiarum benedictio vetatur. Matrimonium autem ipsum (de iure communi) quolibet anni tempore contrahi potest (c. 1108).

«Sollemnis nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a fer. IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive. Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis, ut a nimia pompa abstineant» (ib. § 2 et 3).

Valde igitur mitigata est disciplina hodierna.

889. III. **Sponsalia** legitime inita constituunt impedimentum prohibens respectu cuiuslibet alterius matrimonii; sunt enim promissio onerosa, quam non licet frangere nisi ex remissione alterius partis aut legitima solutione vel dispensatione. Cf. supra n. 867.

890. IV. **Votum**, quod constituit impedimentum prohibens matrimonii, non est votum *sollemne* (quippe quod non solum prohibeat sed etiam irritet matrimonium), sed votum *simplex*, quod inducit obligationes incompatibiles cum statu matrimoniali. Talia autem vota sunt quinque (c. 1058, § 1):

1. *Votum virginitatis* habet pro obiecto integritatem corporalem servandam; ideoque ligatus tali voto graviter peccat matrimonium contrahendo, nisi habeat in casu rarissimo moralem certitudinem se in matrimonio non esse laesurum hoc votum, e. g. ex consensu compartis. Sin autem post votum amissa est virginitas per actum perfectum luxuriae, votum iam factum est impossibile ac proinde non amplius obligat.

2. *Votum castitatis perfectae* habet pro obiecto omnimodam castitatem externam internamque; ideoque ligatus tali voto graviter peccat matrimonium contrahendo, nisi in casu rarissimo habeat moralem certitudinem se in matrimonio non esse laesurum suum votum; matrimonio autem illicite contracto, nequit debitum coniugale *petere*, debet autem illud reddere comparti legitime petenti, quippe quae habeat ius ad illud.

3. *Votum non nubendi* habet pro obiecto solam abstinentiam a matrimonio; ideoque tali voto ligatus peccat quidem graviter matrimonium contrahendo, sed matrimonio contracto potest licite debitum coniugale petere et reddere.

4. *Votum suscipiendi sacros ordines* reddit contractum matrimonialem graviter illicitum, quippe qui impletionem voti reddat moraliter impossibilem. Inito autem matrimonio, ligatus tali voto potest licite petere et reddere debitum coniugale. Quodsi postea a vinculo matrimonii est solutus, debet adhuc votum implere, si id est possibile.

5. *Votum amplectendi statum religiosum* eodem modo obligat et cessat ac votum suscipiendi sacros ordines.

Nota. Confessarii habentes privilegia Mendicantium non possunt quidem dispensare a votis, quae sunt *publica;* ab omnibus autem votis *privatis,* exceptis votis (absolute et post aetatem 18 annorum emissis) perfectae castitatis et ingrediendi in religionem cum votis sollemnibus, possunt dispensare. — Non solum in periculo mortis, sed etiam in aliis casibus, quando omnia parata sunt ad nuptias, nec matrimonium sine probabili periculo gravis mali differri potest, usquedum dispensatio a competenti auctoritate obtineatur, ab istis quinque votis dispensare possunt parochus vel confessarius (cf. infra n. 927 sqq.).

891. V. **Mixta religio** est impedimentum, quod exsistit inter nupturientes, quorum alter est catholicus, alter est sectae acatholicae vel schismaticae adscriptus. Codex iur. can. c. 1060 haec habet: «Severissime Ecclesia ubique prohibet, ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quodsi adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur.»

Munus Ordinarii aliorumque animarum pastorum quoad matrimonia mixta vitanda (c. 1064).

1. Totis viribus, hortationibus necnon increpationibus sacerdotes deterreant fideles a mixtis matrimoniis ineundis. Quod quidem facilius obtinetur, si in unaquaque regione omnes animarum pastores *unitis viribus et uniformiter* collaborant.

2. Si matrimonia mixta impedire non valeant, omni studio curent, ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur, i. e. ut cautiones praestentur, de quibus infra.

3. Mixtis matrimoniis celebratis sive in proprio sive in alieno territorio, sedulo invigilent, ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

892. **Dispensatio** ad matrimonium mixtum licite contrahendum pertinet ad S. Sedem, i. e. ad S. Officium. Quomodo in articulo mortis alioque casu urgenti non solum Ordinarius loci sed etiam parochus et confessarius possint dispensare, dicetur infra, ubi de dispensatione omnium impedimentorum tractabitur, n. 924 sqq.

Condiciones requisitae pro dispensatione matrimonii mixti.

Ecclesia non dispensat, nisi:

1. *urgent iustae et graves causae,* e. g. periculum grave matrimonii pure civilis aut coram ministro acatholico contrahendi;

2. *cautionem praestiterit (regulariter in scriptis):* a) *coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et* b) *uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda;*

3. *moralis certitudo habeatur de cautionum impletione* (c. 1061).

893. **Contrahentium obligationes.** 1 Coniux catholicus debet conversionem coniugis acatholici prudenter curare (c. 1062) e. g. orando, bonum exemplum vitae christianae donando, exhortando etc.

2. Coniuges nequeunt neque ante neque post matrimonium coram Ecclesia initum adire quoque (sive per se sive per procuratorem) ministrum acatholicum *uti sacris addictum,* ad matri-

monii consensum praestandum aut renovandum. Immo si parochus certe noverit, sponsos hanc legem violaturos esse vel iam violasse, eorum matrimonio ne assistat nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario. Non improbatur tamen, quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, *officialis civilis tantum munere fungente*, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia (c. 1063).

Ritus externus matrimonii mixti. De iure communi in matrimoniis mixtis celebrandis prohibentur omnes ritus sacri; ideoque parochus absque vestibus sacris in loco decenti solummodo debet consensum maritalem contrahentium exquirere et excipere. Quodsi autem ex tali modo agendi Ordinarius loci praevideat graviora mala, potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caerimoniis permittere, exclusa semper Missae celebratione (c. 1102, § 2).

894. **Assistentia passiva** consistens in hoc, quod parochus *absque omni religioso ritu* (i. e. sine vestibus sacris et extra locum sacrum) unice gerit officium testis qualificati, qui manifestatum consensum contrahentium postea in libro matrimoniorum scribit, hodie neque valida neque licita est de iure communi (cf. S. Officium d. 26 Nov. 1919). In nonnullis tamen regionibus (e. g. in regno Chilensi, in Austria et Hungaria, in nonnullis dioecesibus Germaniae) S. Sedes eam permisit ad maiora mala vitanda in matrimoniis mixtis, in quibus contrahentes pervicaciter negant cautiones praescriptas (cf. nostrum Man. iur. can. q. 334). Videntur tamen haec indulta esse revocata per decretum S. Officii modo citatum.

895. **Poenae** contra illicite contrahentes matrimonium mixtum sunt hae:

1. Catholici, qui tale matrimonium etsi valide sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint (c. 2375). Matrimonium mixtum illicite quamvis valide hodie iam nequit contrahi, nisi a) ubi assistentia passiva est valida et licita; b) in periculo mortis vel in iis casibus, in quibus matrimonium valide contrahi potest coram solis testibus (cf. supra n. 879 sq.).

2. Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico, incurrunt excommunicationem Ordinario reservatam (c. 2319, § 1, n. 1). Tale matrimonium est ubique invalidum.

896. ***Scholion.* De matrimonio publici peccatoris.** Propter gravia pericula secutura absterreantur fideles a matrimonio contrahendo cum notoriis apostatis a fide, quamvis ad sectam acatholicam non transierint, et cum notoriis membris alicuius sectae ab Ecclesia proscriptae, e. g. secta Massonicae. Parochus praedictis nuptiis ne assistat nisi consulto Ordinario, qui ex gravi causa permittere potest assistentiam parochi, dummodo a) satis cautum sit catholicae educationi universae prolis; b) remotum sit periculum perversionis partis catholicae (c. 1065).

Si publicus peccator aut censura aliqua notorie innodatus, e. g. socialista vel anarchista formalis, ante matrimonium recusat ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium (c. 1066).

Art. 3. De impedimentis dirimentibus.

897. **Praenotamen.** Tanta sapientia apposuit Ecclesia impedimenta dirimentia, ut haud raro vel ipsa gubernia civilia illa adoptaverint pro matrimoniis civilibus.

Omnia ista impedimenta habent imprimis characterem *inhabilitatis;* ratio autem *poenae,* quae in aliquibus quoque invenitur, e. g. in impedimentis criminis, publicae honestatis, est prorsus secundaria, ac proinde ignorantia numquam excusat ab impedimentis dirimentibus.

Finis, propter quem Ecclesia impedimenta dirimentia matrimonium instituit, est a) bonum publicum; b) bonum contrahentium; c) bonum religionis.

Numerus impedimentorum dirimentium non eodem modo assignatur, idque eo vel magis, quia in novo Codice impedimenta erroris, vis, metus tractantur in capite «de consensu matrimoniali», impedimentum autem clandestinitatis in capite «de forma celebrationis matrimonii». Nos agimus de sequentibus 14 impedimentis: 1. erroris (et condicionis servilis); 2. vis et metus; 3. raptus; 4. impotentiae; 5. ligaminis; 6. aetatis; 7. disparitatis cultus; 8. ordinis et voti; 9. criminis; 10. consanguinitatis; 11. affinitatis; 12. publicae honestatis; 13. cognationis spiritualis; 14. cognationis legalis.

I. Impedimentum erroris et condicionis servilis.

898. **Notiones.** Error et condicio servilis aliquando ut duo distincta impedimenta enumerantur; revera autem non sunt nisi unum impedimentum habens duplex obiectum materiale. Etenim error versatur vel circa ipsam personam

compartis eiusque qualitates vel circa condicionem seu statum servilem compartis. In primo casu habetur impedimentum erroris simpliciter, in altero vero impedimentum condicionis servilis.

De diversis divisionibus erroris videsis nostrum Man. Theol. mor. III 787.

Principium 1. *Ex iure naturali solus error substantialis est impedimentum dirimens matrimonii.*

Ratio est, quia solus error substantialis tollit verum consensum matrimonialem ac proinde ipsum matrimonium.

Error substantialis adest in triplici casu:

1. si est *error circa ipsam personam compartis.*

Talis error (qui exsistebat in matrimonio Iacob cum Lia) hodie vix possibilis est in nostris regionibus; saltem si matrimonium non contrahitur per procuratorem;

2. si est *error circa qualitatem redundantem in errorem personae* (c. 1083, § 2).

In foro externo huiusmodi error numquam agnoscitur ut impedimentum dirimens, nisi qualitas ista sit expresse stipulata et quidem ut condicio sine qua non. Hinc idem valet ac de matrimonio sub condicione contracto. De tali condicione statuit Codex iur. can. c. 1092, n. 4: «Condicio de praeterito vel de praesenti (reddit) matrimonium validum vel non, prout id, quod condicioni subest, exsistit vel non»;

3. si est *error circa tria bona matrimonii,* scil. bonum prolis, fidei, sacramenti.

Hinc e. g. virgo, quae ignorat matrimonium esse societatem permanentem ad filios procreandos, invalide contrahit matrimonium (c. 1082). Simplex autem error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem (c. 1084). Aliud est, si aliquid expresse stipulatum est contra unitatem vel indissolubilitatem matrimonii. Nam «si alterutra vel utraque pars *positivo voluntatis actu* excludat matrimonium ipsum aut omne ius ad coniugalem actum aut essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit» (c. 1086, § 1).

Resolves: Non adest error substantialis sed accidentalis, ac proinde matrimonium est validum, si coniux etiam graviter erravit vel deceptus est de fortuna, valetudine, honestate compartis.

899. Principium 2. *Ex iure ecclesiastico error condicionis servilis proprie dictae est impedimentum dirimens matrimonii.*

Sic enim statuit Cod. iur. can. c. 1083: «Error circa qualitatem personae irritat matrimonium, si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva servitute proprie dicta.» Servitus proprie dicta hodie ubique fere abolita est, quoniam tunc solum adest, quando dominus possidet servum, ita ut eum sicuti rem aliquam vendere vel alienare possit.

Impedimentum non oritur: 1. si persona libera *scienter* in matrimonium ducit personam servam; 2. si servus ducit servam; 3. si servus ducit personam, quam putat liberam, quae autem revera est serva.

Dispensatio impedimenti ex errore *substantiali* orti nequit dari a S. Sede; est enim impedimentum iuris naturalis. Quare matrimonium ex hoc errore invalidum non convalidatur nisi per renovationem consensus compartis, quae erravit.

II. Impedimentum vis et metus.

Notiones vis et metus supra n. 26 sqq. iam datae sunt.

900. Principium 1. *Ex ipso iure naturali matrimonium est irritum, quod contractum fuit sub influxu vis physicae vel talis metus, qui totaliter perturbavit usum rationis.*

Ita omnes. Ratio est, quia tunc prorsus deest consensus matrimonialis ideoque ipsum matrimonium.

Principium 2. *Certo ex iure ecclesiastico et probabilius etiam ex iure naturali matrimonium est irritum, quod contractum fuit sub influxu metus, qui fuit* a) *gravis (absolute vel relative);* b) *iniuste incussus a causa extrinseca libera;* c) *consultus, i. e. in ordine ad matrimonium extorquendum.*

Codex iur. can. statuit c. 1087: «Invalidum est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste

incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium. Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secum fert.»

Etiam *ex iure naturali* matrimonium invalidari, quod contractum fuit ex gravi metu iniusto, docent numerosi et gravissimi auctores, ut S. Raymundus de Pennaforte, S. Thomas, Reiffenstuel, Wernz etc., quia exsistente tali metu actus quidem alius humanus perfici potest, non autem congruenter contractus matrimonialis absolute irrescindibilis. — Ex hac sententia sequitur, ut non solum christianorum sed etiam non-baptizatorum matrimonia inita sub tali metu sint invalida. Quod quidem in praxi est valde attendendum, cum apud paganos haud raro matrimonia sub gravi metu iniusto contrahantur.

Resolves: 1. Concubinarius in periculo mortis versans et ob gravissimum timorem gehennae contrahens matrimonium valide contrahit; non est enim metus iniuste incussus. Pariter matrimonium est validum, quod contrahit iuvenis, qui seduxit virginem et nunc sub gravi metu a patre virginis cogitur vel ad ducendam virginem vel ad damna reparanda.

2. Matrimonium, cui impedimentum metus obstat, non solum invalide contrahitur, sed etiam tam diu invalidum manet, quamdiu coniux, qui metum passus fuit, liberum consensum non praestiterit, idque in debita forma. Quare ius petendi irritationem matrimonii sub tali metu initi remanet integrum etiam post complures annos et post prolem iam generatam.

Dispensatio huius impedimenti non conceditur ab Ecclesia; quare ad convalidandum matrimonium sub tali metu initum requiritur novus consensus maritalis libere praestitus et quidem coram parocho et duobus testibus, si impedimentum est *notorium*; secus sufficit, ut coniux, qui gravem metum passus est, praestet occulte aliquo signo externo verum consensum maritalem, dum interim consensus alterius partis saltem virtualiter perseveret.

III. Impedimentum raptus.

901. Notio. *Raptus est abductio violenta mulieris de loco tuto in locum non tutum matrimonii ineundi causa.*

Declaratur. Ut raptus constituat impedimentum dirimens matrimonii, idque distinctum ab impedimento vis et metus, requiritur:

1. *Abductio violenta mulieris de loco tuto in locum non tutum,* i. e. mulier debet abduci de loco, in quo erat tuta, in locum physice et moraliter diversum, in quo non iam est tuta, e. g. ex urbe in aliam urbem, idque *violento modo,* i. e. *invita muliere.* Quae quidem violentia potest esse vel *physica* (raptus violentiae); vel *moralis,* i. e. gravi metu, fraude, dolo, suggestione hypnotica peracta (raptus seductionis). Si mulier libere consentit abductioni, tunc potius fuga est ideoque impedimentum non oritur.

2. Abductio *mulieris;* ideo impedimentum non exsistit, si vir fuit violenter abductus.

3. *Matrimonii ineundi causa.* Finis igitur abductionis non debet esse libido satianda, vindicta sumenda etc., sed matrimonium ineundum.

4. Violentae abductioni aequiperatur *violenta retentio* mulieris, cum nempe vir mulierem in loco, ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii retinet. Ita Codex iur. can. c. 1074, § 3. Quare finita est controversia hac de re olim exsistens.

Cessatio huius impedimenti non solet fieri dispensatione sed liberatione mulieris. Statuit enim Codex iur. can. c. 1074, § 2: «Quodsi rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat.» In periculo tamen mortis confessarius vel parochus potest dispensare ab hoc impedimento, licet mulier non sit prius posita in loco tuto, dummodo tamen ipsa praestet liberum consensum maritalem.

Poenae contra raptores mulierum latae sunt hae: «Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur» (c. 2353). Aliae poenae in antiquo iure exsistentes sunt sublatae. — Raptus mulierum solet etiam a legibus civilibus graviter puniri.

IV. Impedimentum impotentiae.

902. Notio. *Impedimentum impotentiae est impossibilitas coeundi, seu vitium animi vel corporis vel utriusque, quo quis impeditur alii (naturali modo) commisceri.*

Explicatur. Impotentia distinguitur a sterilitate; haec enim matrimonium neque dirimit neque impedit (c. 1068, § 3). Impossibilitas coeundi exsistit, si verus et naturalis coitus est impossibilis. Coitus autem recte definitur a Cardinali Gasparri (De matr. I 510): «immissio membri virilis in vaginam mulieris cum seminis effusione». Quare si coitus est possibilis, quamvis desit facultas generandi, ut e. g. in muliere cui excisa sunt duo ovaria et uterus, impedimentum impotentiae non adest. *Causae,* ex quibus oritur impossibilitas coeundi, partim sunt *corporales,* partim *spirituales.* Propter defectum corporalem laborat hoc impedimento a) *vir* eunuchus vel spado, qui scil. caret utroque testiculo; deinde is, cui deest membrum virile vel cui adest ita difforme, ut coitus sit prorsus impossibilis, e. g. in nonnullis casibus hypospadiae et epispadiae; b) *mulier,* quae caret vagina vel habet vaginam ita arctam, ut prorsus nullus coitus sit possibilis, vel quae laborat morbo vaginismi incurabilis. Propter defectum spiritualem laborat hoc impedimento vir affectus perfecta anaesthesia sexuali vel nonnullis morbis mentalibus.

Probabilius impedimentum impotentiae oritur quoque ex *vasectomia,* i. e. ex sectione «vasorum deferentium». Haec operatio chirurgica hodie frequenter peragitur.

Divisiones. Distinguitur:

1. impotentia *antecedens* et *consequens,* prout antecedit vel consequitur matrimonium;

2. impotentia *perpetua* et *temporaria,* prout numquam vel aliquando cessabit;

3. impotentia *absoluta* et *relativa,* prout reddit copulam carnalem impossibilem cum omni vel tantum cum aliqua determinata persona.

903. **Principium.** «*Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit. Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum.*»

Ita Codex iur. can. c. 1068. Nonnulli veteres theologi docebant impotentiam non esse impedimentum matrimonii, si fuerit cognita ab utraque parte, sed haec sententia nunc relinquenda est.

Modus agendi parochi et confessarii. Maxima prudentia opus est, si confessarius vel parochus dubitat, num paenitens matrimonium initurus vel matrimonio iam iunctus sit impotens.

a) Si dubium oritur *ante* matrimonium, ope periti et timorati medici investiganda est veritas. Dubio persistente, licet matrimonium inire, dummodo adsit gravis causa et uterque contrahens cognoscat impedimentum dubium.

b) Si dubium oritur *post* matrimonium, iterum investiganda est veritas ope periti et timorati medici; qui si affirmat, impotentiam *certo adesse,* coniuges putativi possunt ex gravi causa relinqui in bona fide. Sin autem coniuges sunt in mala fide, i. e. si cognoscunt impedimentum, possunt et debent se separare propria auctoritate quoad torum; quoad vinculum autem et habitationem nequeunt se separare sine licentia S. Sedis. — Si impotentia post seriam investigationem remanet dubia, coniuges possunt licite uti coniugio, quamquam copula carnalis nequeat perfecto modo peragi.

V. Impedimentum ligaminis.

904. **Notio.** *Impedimentum ligaminis est inhabilitas contrahendi novum matrimonium, durante vinculo prioris matrimonii sive rati sive consummati.*

Hoc impedimentum oritur ex iure tam naturali quam positivo-divino. Quomodo matrimonium ratum possit solvi per professionem religiosam sollemnem et dispensationem pontificiam, matrimonium vero legitimum per privilegium Paulinum, dictum est supra n. 849 sqq. Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constet (c. 1069, § 2). Quare praesertim si agitur de dubia morte prioris coniugis, requiritur praevia *declaratio mortis,* et quidem non solum a civili sed etiam ab ecclesiastica auctoritate pronuntiata. Quomodo haec declaratio mortis obtinenda sit, vide in nostro Man. Theol. mor. III 806.

Poenae contra violantes impedimentum ligaminis.

1. Si quis *bona fide* secundas nuptias contraxerit ligatus impedimento ligaminis, nullam quidem ecclesiasticam poenam incurrit, sed debet, cognita veritate, ilico se separare a secundo coniuge.

2. Qui secundas nuptias *scienter* attentaverit, ligatus matrimonio, contrahit ipso facto:

a) impedimentum criminis, de quo infra n. 908;

b) irregularitatem ob bigamiam (c. 984, n. 4);
c) infamiam iuris (c. 2356).

Si, spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistat, pro diversa reatus gravitate excommunicetur vel personali interdicto plectatur (ib.).

VI. Impedimentum aetatis.

905. **Notio.** *Impedimentum aetatis est defectus legitimae aetatis a iure ecclesiastico requisitae ad validum matrimonium.*

Statuit autem Codex iur. can. c. 1067: «Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt. Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante aetatem, qua secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet.»

Hoc impedimentum utpote iuris mere ecclesiastici non obligat non baptizatos, ac proinde valida sunt matrimonia a paganis contracta ante praedictam aetatem.

VII. Impedimentum disparitatis cultus.

906. **Notio.** *Impedimentum disparitatis cultus dirimit matrimonium inter personam non baptizatam et personam baptizatam in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversam* (c. 1070, § 1).

Explicatur. Hoc impedimentum est iuris ecclesiastici atque (iuxta vigentem disciplinam) non obligat Protestantes aliosque baptizatos extra Ecclesiam catholicam. Proinde si e. g. Protestans contrahit matrimonium cum Iudaea, non ligatur hoc impedimento.

In ordine ad matrimonium baptismus dubius censetur validus. Quare si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est pro valore matrimonii, donec certo probetur, alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam (ib. § 2). Cum autem *certo* constiterit, baptismum dubium reapse esse invalidum, matrimonium nequit *privata auctoritate* rescindi propter exsistens impedimentum disparitatis cultus, sed requiritur auctoritas Ordinarii loci, qui citatis partibus matrimonii nullitatem declarare potest cum interventu tamen defensoris vinculi (c. 1990).

Cessatio huius impedimenti contingit:

1. per *validam susceptionem baptismi* et legitimam renovationem consensus matrimonialis;

2. per *dispensationem S. Sedis* (i. e. S. Officii). In hac dispensatione, quam in periculo mortis vel in alio casu urgenti possunt quoque dare Ordinarius loci, parochus, confessarius, omnes cautiones exigendae sunt, quae supra n. 892 pro dispensatione mixtae religionis indicatae sunt (c. 1071).

VIII. Impedimentum ordinis et voti.

907. **Disciplina vigens.** *Invalide matrimonium attentant:*

1. *clerici in sacris ordinibus constituti* (c. 1072);

2. *religiosi, qui vota sollemnia professi sunt aut vota simplicia, quibus ex speciali S. Sedis praescripto vis addita est nuptias irritandi* (c. 1073).

Explicatur. Quantum ad 1. In Ecclesia *orientali* soli episcopi, presbyteri, diaconi prohibentur contrahere matrimonium; in Ecclesia autem *latina* etiam subdiaconi. Requiritur autem, ut ordo sacer sit susceptus valide, libere, absque metu gravi iniuste incusso, cum cognitione obligationis caelibatus. Secus impedimentum non oritur, nisi tamen remoto metu clericus eandem ordinationem ratam habet saltem tacite per ordinis exercitium et per voluntatem se subiciendi obligationibus clericalibus (c. 214).

Cessatio huius impedimenti difficillime obtinetur. Quousque se extendat dispensandi facultas concessa confessariis in articulo mortis, dicetur infra n. 927.

Quantum ad 2. Vota, quae sunt impedimenta dirimentia, sunt:

1. vota *sollemnia,* quae usuveniunt in ordinibus religiosis stricte dictis;

2. vota *simplicia* Iesuitarum (Gregorius XIII, Const. «Ascendente Domino» d. 25 Maii 1584).

Cessatio huius impedimenti facilius obtinetur quam praecedentis.

Poenae statutae contra clericos et religiosos sollemniter professos, qui praesumunt attentare matrimonium, sunt:

1. *excommunicatio* S. Sedi simpliciter reservata (c. 2388);

2. *irregularitas ex delicto* (ex bigamia similitudinaria) (c. 985, n. 3);

3. *dimissio ex ordine* (c. 646, § 1, n. 3). Ipso enim facto habendi sunt tamquam legitime dimissi ii religiosi, qui attentant aut contrahunt matrimonium, etiam civile;

4. *poenae latae contra clericos concubinarios* (c. 2359).

IX. Impedimentum criminis.

908. Notio. *Impedimentum criminis est lex ecclesiastica, qua a matrimonio valido arcentur personae, quae commiserunt aut adulterium qualificatum aut coniugicidium qualificatum.*

Explicatur. Adulterium qualificatur seu crescit in malitia tribus modis: 1. per adiectam promissionem futuri matrimonii; 2. per adiunctam attentationem matrimonii; 3. per adiunctum coniugicidium. Coniugicidium qualificatur ex hoc, quod communi consilio perpetratur. Sunt igitur quattuor casus, in quibus hoc impedimentum oritur:

1. *ex adulterio cum promissione matrimonii;*
2. *ex adulterio cum attentatione matrimonii;*
3. *ex adulterio cum coniugicidio patrato ab uno adultero;*
4. *ex coniugicidio patrato ab utroque communi consilio.*

Veteres auctores solebant distinguere tres casus his verbis expressos: *utroque* (coniugicidium) patrante = quartus casus; *uno patrante* = tertius casus; *neutro* patrante = primus et secundus casus.

909. I. casus: Adulterium cum promissione matrimonii.

Ut impedimentum in hoc casu revera adsit, requiritur

ex parte adulterii, ut sit:

1. *verum,* i. e. ut verum et validum matrimonium frangatur;

2. *formale ex utraque parte,* i. e. uterque peccans debet scire unum idemque (vel duo matrimonia) frangi, seu aliis verbis: uterque debet cognoscere alterutrum esse coniugatum; nec sufficit, ut utraque pars sciat seipsam esse coniugatam;

3. *consummatum,* i. e. per copulam perfectam ex se aptam ad generationem. Ergo non sufficit copula onanistica.

ex parte promissionis, ut sit:

1. *vera et seria.* Ergo non sufficit ficta neque solum desiderium aut propositum;

2. *libera* et non gravi metu extorta;

3. *mutua.* Codex enim c. 1075, n. 1 requirit, ut fidem sibi mutuo dederint de matrimonio ineundo;

4. *absoluta,* vel saltem, si facta est sub condicione, ut condicio sit impleta;

5. *durante eodem matrimonio,* i. e. utrumque scil. adulterium et promissio debent fieri perdurante eodem legitimo matrimonio. Quare e. g. impedimentum non adest, si Petrus promisit matrimonium Bertae, deinde contraxit matrimonium cum Anna, et durante hoc matrimonio adulterium commisit cum Berta.

910. II. casus: Adulterium cum attentatione matrimonii.

1. Ex parte *adulterii* eaedem requiruntur condiciones, quae supra pro primo casu indicatae sunt.

2. *Attentatio* matrimonii exsistit, si vir et femina exstantis impedimenti ligaminis conscii vere et serio sibi praestant consensum maritalem per verba de praesenti (sive publice sive clandestine). Talis attentatio matrimonii hodie frequenter accidit in matrimonio *civili,* quod coniux contrahit, postquam obtinuit divortium civile prioris matrimonii validi. Impedimentum criminis non oritur, si contrahentes nil aliud intendunt nisi concubinatum, vel si alteruter ignorat vinculum prioris matrimonii.

911. III. casus: Adulterium cum coniugicidio patrato ab uno adultero.

1. Ex parte *adulterii* requiruntur iterum eaedem condiciones, quae supra pro primo casu indicatae sunt.

2. Ex parte *coniugicidii* requiritur:

a) *mors re ipsa secuta* ex actione sive physica sive morali unius adulteri;

b) *mors illata ex intentione matrimonium contrahendi cum adultero.* Quare si mors infertur ex alio motivo, e. g. ex odio, impedimentum non oritur.

912. IV. casus: Coniugicidium patratum communi consilio.

In hoc casu non requiritur adulterium, quamvis in praxi soleat quoque adesse adulterium. Ex parte coniugicidii requiritur, ut sit:

1. *verum,* i. e. ut verus (et non putativus) coniux revera occidatur;

2. *mutuum consilium* seu machinatio ad patrandum coniugicidium. Quare uterque debet habere verum influxum in mortem coniugis; ideoque non sufficit approbatio postea data;

3. *coniugicidium factum cum intentione matrimonium contrahendi cum complice.*

913. Multiplicatio huius impedimenti oritur:

1. si sunt duo vel plura matrimonia, quibus iniuria infertur;

2. si in idem matrimonium committuntur *diversa* crimina, non autem si eadem crimina multiplicantur, e. g. si durante eodem matrimonio accidunt inter duas personas complices plura adulteria pluresque promissiones matrimonii.

Cessatio huius impedimenti obtinetur per legitimam dispensationem, quae tamen non solet concedi, si agitur de coniugicidio publico. Primus et secundus casus huius impedimenti censentur impedimentum minoris gradus, ut iam supra dictum est.

Nota. Quamvis hoc impedimentum habeat quoque characterem poenalem, tamen nulla ipsius ignorantia excusat.

X. Impedimentum consanguinitatis.

914. Notio. *Impedimentum consanguinitatis seu cognationis naturalis est propinquitas personarum ab eodem stipite propinquo per carnalem generationem descendentium, quae irritat matrimonium intra determinatos gradus.*

Explicatur. Ad recte iudicandam et mensurandam consanguinitatem oportet attendere ad tria: ad stipitem, lineam, gradum.

1. *Stipes* (radix, truncus) consanguinitatis vocatur illa persona (sive vir sive femina), a qua tamquam a radice communi nupturientes per carnalem generationem descendunt. Hinc e. g. avus est communis stipes nepotum.

2. *Linea* vocatur naturalis *series personarum,* quae ab eodem stipite originem ducunt. Distinguitur duplex linea: altera *recta,* in qua singulae personae ab invicem descendunt (linea descendens: avus, pater, filius) vel ascendunt (linea ascendens: filius, pater, avus). Altera linea est *collateralis* (transversa, obliqua), in qua quidem singulae personae non descendunt *ab invicem,* sed descendunt ab uno eodemque stipite, e. g. frater et soror descendunt non ab invicem, sed ab eodem stipite, i. e. patre. — Si nupturientes distant *aequaliter* a stipite communi, sicuti in exemplo allato fratris et sororis, est linea collateralis aequalis; secus est linea collateralis inaequalis.

3. *Gradus* est mensura distantiae a communi stipite et valent sequentes regulae:

a) *in linea recta tot sunt gradus, quot sunt generationes,* vel (quod idem est) *tot sunt gradus, quot sunt personae, dempto stipite,* e. g. inter avum et nepotem sunt duo gradus, quia sunt duae generationes, scil. avus genuit patrem, pater genuit filium, aut tres personae (computato stipite), scil. avus, pater, filius;

b) *in linea collaterali aequali tot sunt gradus, quot sunt generationes* (seu personae, dempto stipite), *computatae ex una tantum parte,* e. g. inter consobrinos sunt duo gradus in linea collaterali, quia a communi stipite computantur ex una parte duae generationes;

c) *in linea collaterali inaequali tot sunt gradus, quot sunt generationes in linea longiore* (c. 96); ideoque adagium dicit: gradus remotior trahit ad se propinquiorem, e. g. si ex una linea sunt tres generationes, ex altera vero duae, solet dici: nupturientes sunt consanguinei in tertio gradu attingente secundo.

Ad facilius inveniendos et computandos gradus consanguinitatis iam in vetere corpore iuris canonici delineata fuit sic dicta «arbor consanguinitatis», cuius figuram iuxta novum ius mutatam in pagina sequente damus (Fig. 1).

915. Divisiones. Consanguinitas distinguitur:

a) *Legitima* et *illegitima,* prout generatio facta est in legitimo matrimonio aut extra matrimonium. Potest tamen proles illegitima legitimari, ut infra dicetur n. 942.

b) *Plena* (perfecta) et *minus plena* (imperfecta), prout personae consanguineae descendunt ex iisdem *ambobus* parentibus, vel tantum ex eodem patre eademve matre. — Fratres habentes eundem patrem, sed non eandem matrem vocantur «*consanguinei*»; habentes autem eandem matrem, sed non eundem patrem appellantur «*uterini*»; habentes vero eundem patrem et eandem matrem dicuntur «*germani*».

c) *Cognatio* et *agnatio*, prout consanguinitas orta est per lineam femineam seu matrem vel per lineam masculinam seu patrem.




Fig. 1.

d) *Simplex* et *multiplex*, prout duae personae consanguineae ab uno communi stipite descendunt, vel prout adsunt *plures* communes stipites. Ita iuxta vigentem disciplinam (c. 1076,

§ 2). Antea alii quoque casus multiplicis consanguinitatis occurrebant.

Cum in praxi nonnumquam sit satis difficile invenire multiplicem consanguinitatem, oportet paulo latius explicare duos casus multiplicis cansanguinitatis.




Fig. 2.
Primus casus.




Fig. 3.
Secundus casus.

Multiplex consanguinitas. *Primus casus.* Si inter ascendentes duorum sponsorum membra unius familiae cum membris alterius familiae matrimonia celebrarunt, e. g. duo fratres unius




Fig. 4.

familiae duxerunt duas sorores ex alia familia. In hoc casu sunt duo stipites communes, ut apparet ex schemate hic posito. Nam ambo avi sponsi et ambo avi sponsae fuerunt fratres et sorores. Exinde duo nupturientes sunt consanguinei in duplici gradu tertio. Ut per se patet, possunt etiam alia exempla similia fingi.

Secundus casus. Si ascendentes fuerunt consanguinei et unus ex istis duxit successive duas consanguineas, ut clare conspicitur ex schemate supra fig. 3 posito. In hoc casu sunt item duo stipites communes, et nupturientes sunt consanguinei in tertio et secundo gradu.

Nota. Quando petenda est dispensatio super consanguinitatis impedimento, necessario exprimi debet, utrum adsit simplex an multiplex: utrum sit plena an semiplena; utrum in linea recta an in collaterali sit consanguinitas. Valde expedit, ut in petitione delineetur *schema consanguinitatis,* sicut supra fig. 4 monstratur; immo in aliquibus dioecesibus huiusmodi schema expresse exigitur in qualibet petitione porrigenda.

Modus inveniendi gradus consanguinitatis. Complures modi praesto sunt, quorum tamen sequens videtur esse facilior, clarior et securior. Si quod dubium rationabile parocho surgit de consanguinitate nupturientium, nomina sponsi et sponsae scribantur in aliquo folio non ita parvae extensionis, deinde supra nomen sponsi omnia nomina ascendentium eius, et similiter supra nomen sponsae omnia nomina ascendentium illius. Postea numerentur generationes, quae intercedunt, usquedum perveniatur ad stipitem communem. Numerus istarum generationum a communi stipite usque ad sponsum dat gradus consanguinitatis ex eius parte; numerus autem generationum a communi stipite usque ad sponsam dat gradus consanguinitatis ex parte sponsae. Si e. g. inveniuntur tres generationes a communi stipite tum ex parte sponsi tum ex parte sponsae, adest consanguinitas in tertio gradu aequali lineae collateralis. Vide schema supra fig. 4 positum. Sin autem sunt quattuor generationes a stipite communi usque ad sponsum et tres usque ad sponsam, tunc nupturientes sunt consanguinei in quarto gradu lineae collateralis attingente tertium. In hoc ultimo casu dispensatio iam non est necessaria, quia iuxta adagium supra enuntiatum *gradus remotior trahit ad se gradum propinquiorem,* et dispensatio solummodo requiritur, ut infra dicetur, si nupturientes sunt consanguinei usque ad tertium gradum inclusive. Si adest multiplex consanguinitas, gradus computandi sunt ab utroque stipite communi, vel iuxta diversas vias, quibus fit ascensus ad stipitem communem.

916. Ambitus impedimenti consanguinitatis limitatus est:

a) in linea *recta* consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tam legitimos quam naturales;

b) in linea *collaterali* matrimonium irritum est usque ad tertium gradum inclusive (c. 1076).

Facilis regula populo tradenda et in praxi adhibenda ad discernendum, num adsit impedimentum consanguinitatis in linea collaterali, est haec: *Non adest impedimentum, nisi avi nupturientium fuerunt fratres vel sorores.*

Cessatio huius impedimenti non obtinetur nisi legitima dispensatione, quae tamen numquam conceditur in linea recta aut in primo gradu lineae collateralis (c. 1076, § 3). Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis censetur impedimentum minoris gradus (c. 1042, § 2, n. 1).

XI. Impedimentum affinitatis.

917. Notio. *Affinitas est propinquitas personarum, orta ex matrimonio sive rato tantum sive rato et consummato, inter virum et consanguineos mulieris atque vicissim inter mulierem et consanguineos viri* (c. 97, § 1 et 2).

Explicatur. Ante novum Codicem affinitas oriebatur ex copula carnali sive maritali (usque ad quartum gradum) sive fornicaria (usque ad secundum gradum); nunc autem oritur ex solo matrimonio christiano, quin necessaria sit copula carnalis Affinitas consequens, quae exsistebat in vetere iure, nunc abolita est.

Computatio graduum. Affinitas ita computatur, ut, *qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa* (ib. § 3), vel aliis verbis: Tot sunt gradus affinitatis ex una parte, quot sunt gradus consanguinitatis ex altera parte.

Ambitus huius impedimenti nunc se extendit in linea recta ad quemlibet gradum, in linea vero collaterali usque ad secundum gradum inclusive. Est igitur ambitus nunc valde restrictus. Notandum est adagium: «*Affinitas non parit affinitatem.*» Quare inter consanguineos viri et consanguineos mulieris nulla affinitas exsistit,

ideoque e. g. nihil obstat, ne duo fratres ducant in matrimonium duas sorores; pater et filius matrimonium ineant cum aliena matre et filia; immo filius cum aliena matre et pater cum filia huius matris.

Multiplicatio huius impedimenti hodie accidit in duobus solis casibus (c. 1077, § 2):

1. quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis, a quo procedit;
2. iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti. Hinc e. g. Petrus, qui successive in matrimonium duxit duas sorores, est dupliciter affinis cum tertia sorore.

Cessatio huius impedimenti obtinetur per legitimam dispensationem, quae autem *numquam* (nec etiam in articulo mortis) conceditur in linea recta, si affinitas orta est ex consummato matrimonio. Affinitas in secundo gradu lineae collateralis numeratur inter impedimenta minoris gradus, ut iam supra dictum est.

XII. Impedimentum publicae honestatis.

918. Notio. *Impedimentum publicae honestatis* (quod et quasi-affinitas vocatur) *est propinquitas personarum orta vel* a) *ex matrimonio invalido sive consummato sive non; vel* b) *ex publico vel notorio concubinatu* (c. 1078).

Explicatur. Hoc impedimentum introductum vel saltem ita determinatum est a novo Codice; nam impedimentum publicae honestatis antea exsistens fuit aliquid prorsus aliud; oriebatur enim ex sponsalibus (usque ad primum gradum) et ex matrimonio rato (usque ad quartum gradum inclusive). Novum impedimentum publicae honestatis satis affinis est veteri impedimento affinitatis ex copula illicita; oritur autem ex quocumque matrimonio invalido, quamvis coniuges putativi sint in bona fide. Si oritur ex concubinatu, requiritur, ut id sit *publicum* vel *notorium;* non sufficit igitur occultus concubinatus. Talis publicus vel notorius concubinatus censetur matrimonium *mere civile* a parte catholica initum.

Ambitus huius impedimenti se extendit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum

et consanguineos mulieris et vice versa (c. 1078). Cum hoc impedimentum sit meri iuris ecclesiastici, non ligat non baptizatos saltem directe. *Indirecte* autem, quando scil. non baptizatus vult matrimonium inire cum baptizato, qui ligatus est hoc impedimento, ligatur etiam non baptizatus.

Cessatio huius impedimenti obtinetur legitima dispensatione. Inter auctores disputatur, utrum hoc impedimentum transeat in affinitatem veram, ita ut cesset, an vero integrum permaneat, si matrimonium invalidum postea convalidatur vel si concubinatus transit in verum matrimonium. Utraque sententia est probabilis. In praxi praestat ad maiorem securitatem clare enarrare speciem facti in dispensationis petitione. — Impedimentum publicae honestatis in secundo gradu enumeratur inter impedimenta minoris gradus, ut iam dictum est.

XIII. Impedimentum cognationis spiritualis.

919. Notio. *Impedimentum cognationis spiritualis est propinquitas personarum orta ex collatione et susceptione baptismi.*

Explicatur. Quamvis etiam ex collatione et susceptione confirmationis oriatur cognatio spiritualis (c. 797), tamen inde amplius non iam exsistit impedimentum matrimonii. Ad hoc autem ut ex baptismo exsurgat impedimentum, hae condiciones sunt necessariae:

1. *vera et valida administratio baptismi sive privati sive sollemnis.* Quare non oritur impedimentum ex caerimoniis sacramentalibus postea suppletis, neque ex baptismo sub condicione iterato, nisi tamen idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit (c. 763, § 2).
2. *minister baptismi et patrinus debent esse baptizati.* Hoc enim impedimentum est iuris mere ecclesiastici atque non obligat non baptizatos.
3. *patrinus debet scienter et libere exercere munus suum atque habere ceteras condiciones, quae a iure de valore actus requiruntur.* Quaenam sint istae condiciones, dictum est supra n. 570. Hinc e. g. si Protestans admittatur ut patrinus, invalide admittitur, neque proinde contrahit impedimentum cognationis spiritualis.

Ambitus huius impedimenti valde restrictus est in novo Codice. Etenim impedimentum non

exsistit nisi a) inter baptizatum et baptizantem; b) inter baptizatum et patrinum (c. 1079).

Cessatio huius impedimenti, quod enumeratur impedimentum minoris gradus, obtinetur legitima dispensatione.

XIV. Impedimentum cognationis legalis.

920. Notio. *Impedimentum cognationis legalis est propinquitas personarum orta ex adoptione legali civili.*

Explicatur. Ius ecclesiasticum ante novum Codicem adoptavit vetus ius civile Romanum; nunc autem adoptat ius civile uniuscuiusque patriae. Statuit enim: «In iis regionibus, ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit *illicitas,* iure quoque canonico matrimonium illicitum est» (c. 1059). «Qui lege civili *inhabiles* ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere» (c. 1080). Non satis clare apparet, in quibus regionibus adoptio legalis sit impedimentum prohibens vel dirimens. Videtur esse impedimentum *dirimens* in Hispania (art. 84), Italia (a. 60 et 104), Helvetia (a. 100), in nonnullis statibus Americae Latinae, e. g. in Bolivia (a. 108), Brasilia (a. 183), Costarica (a. 140), Peruvia (a. 143). Cf. Ferreres, Theol. mor. II 1051 sqq. Videtur esse impedimentum *prohibens* in Germania (§§ 1311 et 1741), Gallia (a. 348), Belgio (a. 348).

Videtur *nullo modo obstare matrimonio* in Anglia, Hollandia, Austria, Portugallia, Argentinia, regno Chilensi, Mexico aliisque regionibus Americae (cf. De Smet, De spons. et matr.[3] n. 499).

Cessatio huius impedimenti videtur non solum accidere legitima dispensatione ecclesiastica sed etiam dispositionibus *civilibus.* Cum enim ius canonicum canonizaverit hac in re ius civile, si iam ex iure civili non amplius obstat impedimentum, videtur quoque cessare in foro ecclesiastico.

Art. 4. De cessatione impedimentorum.

921. Praenotamen. Impedimenta matrimonii cessare possunt tribus modis:

1. *lapsu temporis,* e. g. tempus clausum, ligamen per mortem compartis;

2. *consensu contrahentium legitime praestito,* e. g. impedimenta erroris, vis, metus;

3. *legitima dispensatione;* de qua nunc specialiter tractandum est, et quidem: a) de notione et divisione dispensationis; b) de eius auctore; c) de eius causis; d) de modo petendi dispensationem; e) de eius exsecutione.

§ 1. De notione et divisione dispensationis matrimonialis.

922. Notio. *Dispensatio matrimonialis est relaxatio legis irritantis vel prohibentis matrimonium in casu particulari legitime facta a legitima auctoritate ecclesiastica.*

Divisiones. Distinguitur:

1. dispensatio pro foro *interno* vel pro foro *externo.* Notare autem oportet: *dispensatio data pro foro externo valet etiam in foro interno, at non vice versa.* Ita saltem ordinarie;

2. dispensatio ad matrimonium *contrahendum* vel ad matrimonium invalide initum *convalidandum;*

3. dispensatio *in forma gratiosa* vel *in forma commissoria,* prout directe et immediate per Curiam Romanam conceditur vel committitur episcopo vel sacerdoti, ut nomine S. Sedis dispenset. Hodie dispensationes solent concedi in forma commissoria.

§ 2. De auctoritate dispensandi.

923. Principium. «*Praeter Romanum Pontificem nemo potest impedimenta iuris ecclesiastici (sive impedientia sive dirimentia) abrogare aut illis derogare; item nec in iisdem dispensare, nisi iure communi vel speciali Indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit*» (c. 1040).

Romanus Pontifex *nequit* dispensare in impedimentis, quae certo dirimunt matrimonium iure naturali aut iure divino positivo, ut in impedimentis ex defectu consensus, ex ligamine matrimonii consummati; *non dispensat* (quamvis possit) in impedimentis consanguinitatis primi gradus lineae collateralis, affinitatis lineae rectae saltem si affinitas orta est ex matrimonio consummato, criminis orti ex coniugicidio notorio, raptus; in aliis impedimentis dispensat, si adest proportionata causa.

I. **Romanus Pontifex** exercere solet suam dispensandi facultatem:

1. *per Congr. S. Officii* super impedimentis mixtae religionis et disparis cultus; item super interpellationibus faciendis in applicatione privilegii Paulini (c. 247, § 3);

2. *per Congr. de Sacramentis* pro foro *externo* super omnibus aliis impedimentis (fidelium ritus latini); item super matrimonio rato. Si tamen agitur de impedimento professionis religiosae, dispensatio petenda est a Congr. de Religiosis;

3. *per Congr. pro Ecclesia Orientali* pro matrimoniis catholicorum ritus orientalis, sive inter se sive cum fideli ritus latini sive cum infideli matrimonium contrahunt (c. 257);

4. *per S. Paenitentiariam* super impedimentis occultis et pro foro *interno* tantum (c. 258).

924. II. **Dispensandi facultas Ordinariis locorum competens.**

Claritatis causa distinguimus facultatem dispensandi, quae competit Ordinariis locorum: 1. in casibus ordinariis; 2. in casibus urgentis necessitatis; 3. in periculo mortis.

1. **In casibus ordinariis** locorum Ordinarii possunt dispensare:

a) *in impedimentis dubiis dubio facti,* dummodo agatur de iis, in quibus Rom. Pontifex dispensare solet (c. 15), e. g. si dubium est, num in impedimento criminis vera promissio matrimonii facta sit;

b) *in proclamationibus faciendis, in tempore clauso, in votis non reservatis.*

925. 2. **In casibus urgentis necessitatis,** quando scil. impedimentum detegitur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri potest, usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur, locorum Ordinarii possunt dispensare super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici (sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus), exceptis duobus, scil. iis, quae proveniunt ex s. presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta consummato matrimonio. Debet tamen scandalum forte exsistens removeri et, si conceditur dispensatio super cultus disparitate aut mixta religione, exigi, ut a contrahentibus praestentur consuetae cautiones (c. 1045, § 1).

Hanc dispensandi facultatem Ordinarii locorum possunt exercere a) tam pro subditis suis ubique commorantibus quam pro aliis, e. g. peregrinis, vagis in proprio territorio degentibus;

b) non solum ad contrahendum sed etiam ad convalidandum matrimonium (ib. § 2).

926. 3. **In casu urgentis periculi mortis** locorum Ordinarii habent sub iisdem condicionibus eandem facultatem ac in casibus urgentis necessitatis. Insuper possunt tunc dispensare super *forma* in matrimonii celebratione servanda (c. 1043). Hinc e. g. episcopus potest ex iusta causa dispensare, ut, si coniux putativus versetur in urgenti periculo mortis, matrimonium contrahatur coram confessario sine praesentia testium; nequit autem dare sanationem in radice, de qua infra n. 940.

Dispensando ab impedimentis in casu sive urgentis necessitatis sive urgentis periculi mortis Ordinarii locorum possunt quoque legitimare prolem illegitimam (cf. infra n. 928, 4).

Nota. Vi facultatum specialium Ordinarii locorum possunt quoque alias dispensationes con-

cedere, ut apparet infra ex appendice adiecto huic operi.

927. III. Dispensandi facultas competens parocho et confessario.

1. In casibus ordinariis nulla facultas dispensandi competit parocho et confessario.

2. In casibus *urgentis necessitatis*, de quibus supra n. 2 et in quibus Ordinarius loci non possit adiri vel non nisi cum periculo violationis secreti, eandem facultatem ac Ordinarius loci habent: a) parochus; b) sacerdos, qui legitime assistit matrimonio, deficiente parocho; c) confessarius. Sed haec dispensandi facultas limitata est *ad casus occultos* (c. 1045, § 3). In impedimentis enim *publicis* Ordinarius loci adiri potest et debet sine gravi incommodo.

3. In casu *urgentis periculi mortis*, de quo supra n. 3 et in quo loci Ordinarius adiri nequit, eadem dispensandi facultas, quae concessa est Ordinario loci in tali periculo, conceditur etiam: a) parocho, b) sacerdoti legitime assistenti matrimonio, deficiente parocho, c) confessario. Limitatur autem dispensandi facultas confessarii ad forum *internum* et nequit exerceri nisi in actu sacramentalis confessionis (c. 1044). Hinc e. g. si confessarius audiens confessionem moribundi detegit, eum vivere in matrimonio invalido civili et insuper impedimentum criminis obstare validitati matrimonii, potest, si tempus deest recurrendi ad Ordinarium, dispensare cum ab hoc impedimento tum a forma celebrandi matrimonii. Si ambo coniuges cognoscant nullitatem matrimonii, debent prius curare, ut sint in statu gratiae et deinde coram confessario consensum maritalem praestare. Sin autem unus solus cognoscat nullitatem matrimonii, sufficit, ut iste (in statu gratiae exsistens) renovet consensum maritalem, quia consensus alterius partis censetur virtualiter perseverare (c. 1133).

928. Nota. 1. Parochus aut sacerdos, qui in urgenti periculo mortis dispensaverunt pro foro externo ab impedimentis vel forma matrimonii, debent statim Ordinarium loci certiorem facere de concessa dispensatione eamque adnotare in libro matrimoniorum (c. 1046). Per se patet, confessarium, qui pro foro interno in actu sacramentalis confessionis dispensavit, nemini aliquid dicere posse vel debere.

2. Qui habet *indultum generale* dispensandi, habet quoque ordinarie (nisi aliud expresse dicatur) sic dictam *facultatem cumulandi*, i. e. potest dispensare cum super eodem impedimento multiplici tum super pluribus impedimentis in eodem matrimonio occurrentibus (c. 1049).

3. Si quando cum impedimentis *publicis*, super quibus ex indulto dispensare quis potest, concurrat aliud impedimentum, super quo dispensare nequeat, suam facultatem dispensandi exercere *nequit*, sed pro omnibus S. Sedes adiri debet; si tamen impedimenta, super quibus dispensare potest, comperiantur *post* impetratam a S. Sede dispensationem, suis facultatibus uti poterit (c. 1050).

4. Qui vi *indulti generalis*, ut episcopi, parochi, confessarii, in casibus supra enumeratis (non autem vi rescripti particularis) dispensant super aliquo impedimento dirimente, eo ipso etiam legitimant prolem, excepta tamen prole adulterina vel sacrilega (c. 1051). Cf. infra n. 943.

5. Dispensatio concessa super *impedimento occulto* a S. Paenitentiaria in foro interno: a) *sacramentali*, non valet pro foro externo, ideoque nova dispensatio est necessaria, si postea impedimentum evadit publicum; b) *non-sacramentali*, valet etiam pro foro externo, etsi postea impedimentum publicum evaserit, nisi aliud ferat S. Paenitentiariae rescriptum. Haec dispensatio S. Paenitentiariae adnotetur in secreto libro Curiae episcopalis (c. 1047).

929. *Scholion.* De casu perplexo. Casus perplexus vocatur a theologis ille casus, quando detegitur impedimentum dirimens immediate ante celebrationem matrimonii, ita ut neque celebratio matrimonii differri queat sine gravi incommodo, neque tempus suppetat ad dispensationem obtinendam. Propter amplissima indulta concessa Ordinariis locorum, parochis et confessariis (de quibus supra) hodie casus perplexus vix est possibilis, ideoque non vacat loqui de diversis modis agendi excogitatis ab antiquis theologis.

§ 3. De causis dispensationum.

930. **Necessitas causae.** Concilium Trid. (sess. 24, c. 5 de reform. matr.) statuit: «In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio vel raro, idque ex causa et gratis concedatur.» Per accidens ex iuris concessione in *5 impedimentis minoribus* non requiritur causa *ad validitatem* dispensationis. Etenim dispensatio in tali impedimento concessa «nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit» (c. 1054).

Distinctiones. Distinguuntur: 1. causae *finales* (motivae), quae per se sufficiunt ad obtinendam dispensationem, et causae *impulsivae*, quae quidem per se non sufficiunt, sed tamen adiuvant ad obtinendam dispensationem;

2. causae *infamantes* (inhonestae, turpes), quae ex delicto oriuntur atque infamiam parere solent (e. g. graviditas sponsae ex fornicatione), et causae *honestae*, quae nec delicti nec infamiae notam habent, e. g. proles numerosa viduae;

3. causae *canonicae*, quae secundum stilum Curiae Romanae ut finales et sufficientes habentur, et causae *non-canonicae* (rationabiles, certae), quae sunt eaedem ac causae impulsivae supra explicatae.

931. **Causae canonicae** dispensandi solent enumerari sedecim:

1. *angustia loci*, et quidem vel *absoluta* (si locus non continet plus quam circiter 1500 incolas et distat ab alio loco ultra miliare = 1500 metra) vel *relativa*, si familia oratricis est valde propagata in loco;
2. *aetas virginis superadulta*, i. e. si virgo excessit aetatem 24 annorum. Haec causa non admittitur pro viduis;
3. *deficientia vel saltem insufficientia dotis;*
4. *lites super successione bonorum;*
5. *paupertas viduae*, quae numerosa prole est onerata;
6. *bonum pacis;*
7. *nimia, suspecta familiaritas vel cohabitatio;*
8. *praegnantia sponsae ideoque legitimatio prolis;*
9. *infamia mulieris ex suspicione copulae habitae;*
10. *revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice contractum est;

11. *periculum matrimonii mixti vel coram acatholico ministro celebrandi;*
12. *periculum incestuosi concubinatus;*
13. *periculum matrimonii civilis;*
14. *remotio gravium scandalorum;*
15. *cessatio publici concubinatus;*
16. *excellentia meritorum.*

932. **Causae non canonicae** sunt multae, e. g. a) ex parte *mulieris:* difficultas inveniendi alium virum aeque commendabilem, infirmitas aliique defectus, auxilium parentibus praestandum; b) ex parte *viri:* infirmitas ita ut indigeat adiutorio bonae uxoris, cura prolis susceptae ex matrimonio praecedente; c) ex parte *utriusque:* propositum matrimonii iam divulgatum, quod sine infamia mutari nequit, virtutes et boni mores utriusque, bonum parentum.

§ 4. De modis petendi dispensationem.

933. 1. Omnes dispensationes matrimoniales petuntur nomine contrahentium, ac proinde petitio facienda est non in prima, sed in tertia persona, e. g. Titus petit. Iuxta stilum Curiae nupturientes, qui petunt dispensationem, vocantur: oratores, orator, oratrix, latores, lator, latrix.

2. Pro *externo* foro parochus, et quidem ordinarie parochus sponsae, petit dispensationem mediante Curia episcopali; pro foro *interno* confessarius petit dispensationem vel per Curiam episcopalem vel, si adest periculum laesionis sigilli, directe a S. Paenitentiaria.

3. Si petitur dispensatio super *impedimento publico*, tunc in libello supplici exprimi debent:

a) nomen et cognomen oratorum, dioecesis originis vel actualis domicilii;

b) species etiam infirma impedimenti; hinc e. g. in consanguinitate non solum gradus sed etiam linea indicanda est;

c) numerus impedimentorum;

d) variae circumstantiae, e. g. utrum agatur de matrimonio contrahendo vel iam contracto;

e) causae dispensationis;

f) generalis status fortunae oratorum.

4. Si petitur dispensatio super impedimento *occulto*, tunc in libello supplici adhibenda sunt nomina ficta, et confessarius debet serio invigilare, ne secretum confessionis violetur; sed nihilominus debet clare exprimere speciem accuratam impedimenti et causas dispensationis.

5. Si petitur dispensatio super duobus vel pluribus impedimentis, quorum unum est publicum alterum occultum, tunc dispensatio impedimenti publici obtinenda est, sicut supra n. 3 dictum est, sed reticito impedimento occulto. In petitione autem dispensationis super impedimento occulto mentio facienda est etiam impedimenti publici, cuius dispensatio iam obtenta vel saltem petita est in foro competenti.

§ 5. De modis exsequendi dispensationem obtentam.

934. **Regula generalis.** Iuxta vigentem disciplinam Curia Romana solet omnes dispensationes matrimoniales concedere *in forma commissoria;* Ordinarii autem locorum solent dispensare *in forma gratiosa,* saltem si agitur de impedimentis publicis. Dispensationes super publicis impedimentis Ordinario oratorum commissas exsequatur ille Ordinarius, qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad S. Sedem, etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda est dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio aut quasidomicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci, in quo matrimonium contrahere cupiunt (c. 1055).

Omnes, qui ex potestate a S. Sede delegata dispensationem concedunt, in eadem expressam pontificii indulti mentionem faciant (c. 1057), e. g. his similibusve verbis: Auctoritate Apostolica mihi commissa dispenso. . . .

935. **Clausulae adiectae.** Accepto Rescripto exsecutor sedulo debet attendere omnes clausulas adiectas. Si enim clausulas *essentiales* ac *substantialem* procedendi formam non servaverit, exsecutio est irrita (c. 55). Clausulae autem tunc tantum essentiales censentur, cum per particulas: si, dummodo, vel aliam eiusdem significationis exprimuntur (c. 39).

Principaliores clausulae sunt:

1. *«Si preces veritate nitantur.»* Regulariter ad validitatem dispensationis requiritur, ut momento «fulminationis» vera sint, saltem quoad essentiam, omnia exposita in libello supplici. Ante exsecutionem igitur dispensationis necessaria est sic dicta *«verificatio precum»*, nempe nova et brevis investigatio, num reapse vera sint ea, quae in petitione allata sunt. Si detegitur essentialis error, tunc novam dispensationem seu sic dictas litteras *«Perinde valere»* oportet petere. — Solummodo excipiuntur *impedimenta minoris gradus* supra n. 885 indicata, in quibus dispensatio non vitiatur, quamvis sit obtenta obreptione vel subreptione (c. 1054).

Pro *foro externo* aliquando determinatus modus verificandi preces praescribitur. Pro foro autem *interno* sufficit, ut confessarius summarie repetat declarationes iam antea a paenitente factas.

2. *«Imposita eis pro modo culpae arbitrio tuo gravi paenitentia salutari.»* Quae quidem paenitentia distincta sit a paenitentia sacramentali; omissio autem istius paenitentiae non reddit invalidam dispensationem petitam (S. Paenit. d. 12 Nov. 1891).

3. *«Statim his laceratis»,* i. e. Rescriptum S. Paenitentiariae est lacerandum statim, i. e. infra *triduum* post exsecutionem dispensationis. Nihil autem obstat, ne confessarius pro sua eruditione transcribat hoc Rescriptum et transcriptum conservet, salvo tamen sigillo confessionis.

936. **Nota.** Pro foro *externo* exsecutio dispensationis facienda est in scriptis (c. 56) et adnotanda in libro matrimoniorum; pro foro autem *interno* solet praescribi, ut dispen-

satio verbis pronuntietur; quod quidem hoc vel simili modo fieri potest: Post consuetam absolutionem a censuris et peccatis confessarius dicat: Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento affinitatis (vel criminis), ut eo non obstante matrimonium cum dicta muliere contrahere valeas. Eadem auctoritate prolem susceptam vel suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Passio D. N. I. Ch., merita B. M. V. etc. — Ex rationabili causa dispensatio potest etiam pronuntiari in lingua vernacula.

Art. 5. De matrimonii invalide contracti convalidatione.

937. Praenotamen. Quando detegitur aliquod matrimonium contractum esse nullum propter impedimentum dirimens, magna circumspectione opus est. Quadruplex via procedendi patet:

1. **dissociatio coniugum**; quae quidem ordinarie propter multa incommoda inde orientia vitanda est, quae tamen necessaria est, si impedimentum est indispensabile, neque putativi coniuges possunt cohabitare sicut frater et soror; ante dissociationem putativorum coniugum solet necessaria esse declaratio nullitatis matrimonii facta ab Ordinario loci;

2. **relinquere putativos coniuges in bona fide**; quod quidem non est licitum, nisi adsit urgens causa;

3. **fraterna cohabitatio**; quae potest permitti, si a) nullitas matrimonii est occulta, et b) si non adest proximum periculum incontinentiae;

4. **convalidatio matrimonii invalidi**; quae quidem fieri potest tribus modis: a) per simplicem renovationem consensus sine ulla dispensatione; b) per simplicem dispensationem; c) per sanationem in radice. De singulis his modis singillatim tractandum est.

§ 1. De convalidatione matrimonii per renovationem consensus.

938. Per simplicem renovationem consensus matrimonium invalidum potest convalidari in tribus casibus:

1. quando matrimonium fuit invalidum *ob solum defectum consensus* (e. g. qui fuit datus ficte vel sub metu aut vi vel cum errore substantiali);

2. quando obstabat impedimentum, quod sponte cessavit lapsu temporis, e. g. impubertas, ligamen;

3. quando obstabat impedimentum, quod libere potest removeri per factum alterius contrahentis, e. g. disparitas cultus per baptismum libere susceptum. — Renovatio consensus debet esse novus actus voluntatis in matrimonium, quod constat ab initio nullum fuisse (c. 1134).

Quantum ad *formam istius renovationis consensus* sequentia notentur:

a) Si nullitas matrimonii est *notoria*, consensus matrimonialis debet publice renovari iuxta normas in celebratione matrimonii stabilitas (c. 1135, § 1). Ratio est, quia secus non cessat scandalum.

b) Si nullitas matrimonii est *occulta* sed *utrique* coniugi nota, tunc privatim et secreto renovari potest consensus ab utraque parte (ib. § 2).

c) Si nullitas matrimonii est *occulta* et *uni soli* coniugi nota neque potest sine magno incommodo alteri coniugi manifestari, tunc «satis est, ut sola pars impedimenti conscia consensum *privatim et secreto* renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret». Ita Codex iur. can. c. 1135, § 3. Quare iam inutiles sunt varii modi, quos veteres theologi excogitaverunt, ad inducendum coniugem ignarum impedimenti, ut renovet implicite consensum.

d) Si matrimonium est nullum ob defectum formae, e. g. si matrimonium mixtum non fuit contractum coram competenti sacerdote, tunc nequit convalidari, nisi denuo contrahatur in legitima forma, i. e. coram parocho et duobus testibus (c. 1137). Ab hac forma nemo potest (extra periculum mortis) dispensare nisi S. Sedes, eiusve delegatus.

§ 2. De convalidatione matrimonii per simplicem dispensationem.

939. *In articulo mortis* alterutrius pseudo-coniugis matrimonium potest convalidari ab Ordinario, a parocho, immo a quolibet sacerdote, dummodo agatur de impedimentis dispensabilibus et adsint omnes condiciones requisitae, ut supra dictum est n. 926 sqq.

Extra articulum mortis adhiberi potest simplex dispensatio a) *impedimenti publici* ad convalidandum matrimonium, si ambo pseudo-coniuges parati sunt ad praestandum novum consensum in forma legitima; b) *impedimenti occulti,* si renovatio consensus est possibilis iuxta ea in paragrapho praec. dicta. Si adest difficultas ex hac parte, praestat recurrere ad sanationem in radice, de qua statim.

§ 3. De sanatione in radice.

940. Notio. *Sanatio in radice est dispensatio a S. Sede concessa, qua matrimonium invalidum redditur validum, et quidem (ex fictione iuris) quoad effectus iuridicos non a tempore concessae dispensationis, sed inde ab initio contractus matrimonialis* (c. 1138).

Brevius dici potest: Per sanationem in radice matrimonium invalidum redditur *quoad effectus iuridicos* aeque validum, ac si inde ab initio nullum impedimentum dirimens adfuisset. Ideo post sanationem in radice non iam requiritur: a) legitimatio prolis naturalis, b) renovatio consensus, quippe qui sanatus sit in radice. Effectus autem moralis et notanter *gratia sacramentalis* per sanationem in radice non tribuuntur matrimonio ab initio, sed a momento dispensationis concessae. Ita saltem sententia communior. — Sanatio in radice concedi unice potest a S. Sede (c. 1141) eiusve delegato.

941. Condiciones requisitae ad sanationem in radice, sunt:

1. ut impedimentum dirimens, de quo agitur, sit *dispensabile,* i. e. ne sit iuris naturalis aut divini.

Quare matrimonium contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini (e. g. ligaminis), etiam si postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice ne a momento quidem cessationis impedimenti (c. 1139, § 2);

2. ut in principio matrimonii adfuerit verus consensus maritalis.

Si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus (c. 1140, § 2);

3. ut iste consensus maritalis virtualiter perseveret neque sit certo revocatus (ib. § 1);

4. ut adsit gravis et urgens causa, e. g. renovatio consensus maritalis nequit convenienter obtineri.

942. Petitio et exsecutio sanationis in radice.

Cum sanatio in radice obtineri et applicari possit etiam *insciis pseudo-coniugibus* (ib. § 3), quilibet eam petere potest. Ordinarie autem petit hanc dispensationem confessarius vel parochus, qui in petitione explicare debet graves causas, ob quas non simplex dispensatio sed sanatio in radice petatur. — In exsequenda sanatione obtenta sedulo attendendae sunt clausulae appositae in Rescripto S. Sedis. Deinde etiam curandum est, ut pseudo-coniuges sint in statu gratiae, quando sanatio conceditur, quia tunc recipiunt sacramentum matrimonii.

943. ***Scholion.* De filiis illegitimis.** Filii legitimi generatim sunt omnes, qui concepti aut nati sunt in matrimonio vero aut saltem putativo (c. 1114). Omnes alii filii sunt illegitimi, qui distinguuntur: a) *naturales,* qui nati sunt ex *simplici fornicatione;* b) *spurii,* qui nati sunt aut ex adulterio (filii adulterini) aut ex sacrilegio (filii sacrilegi) aut ex incestu (filii incestuosi).

Legitimatio filiorum illegitimorum optineri potest triplici modo:

1. *per subsequens matrimonium* parentum sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum (c. 1116). Hoc tamen modo non legitimantur filii spurii, sed naturales;

2. *per professionem sollemnem* filiorum in ordinibus religiosis aut per professionem simplicem in nonnullis institutis speciale privilegium habentibus. Haec legitimatio valet pro ordinibus suscipiendis, sed non pro acceptandis dignitatibus;

3. *per rescriptum Summi Pontificis* vel per dispensationem concessam ab eo, qui vi *indulti generalis* dispensavit ab impedimento dirimente (c. 1051), e. g. in periculo mortis vel in alio casu urgenti. Legitimatio obtenta debet notari in libro baptismorum.

Caput IX. De matrimonio et divortio civili.

Caput istud dividitur in duos articulos: 1. de matrimonio civili; 2. de divortio civili.

Art. 1. De matrimonio civili.

944. Notio. *Matrimonium civile est contractus maritalis (etiam christianorum) initus coram magistratu civili.*

Dicitur: *contractus maritalis,* qui scil. non solum pactum de effectibus civilibus sed etiam ipsa iura maritalia respicit.

Matrimonium civile hodie viget ubique fere terrarum, sed non eodem modo; est enim:

vel *obligatorium* pro omnibus e. g. in Gallia, Germania, Helvetia;

vel *facultativum,* quando nupturientibus christianis optio permittitur celebrandi matrimonium aut religiosum aut civile, e. g. in Anglia, America septentrionali;

vel *subsidiarium,* quod acceptatur a gubernio, quando nupturientes aut nequeunt aut nolunt contrahere matrimonium religiosum, e. g. in Austria, Hispania.

945. Principium 1. *Matrimonium civile inter christianos non agnoscitur ab Ecclesia neque ullos effectus canonicos producit.*

Rationes praecipuae, propter quas Ecclesia semper reprobavit matrimonium civile, sunt:

Matrimonium civile: 1. laedit ius Ecclesiae, quae sola habet potestatem in matrimoniis christianis, quippe quae sint sacramenta; 2. reddit matrimonium rem profanam; 3. fovet indifferentismum et divortia.

Effectus matrimonii civilis sunt potius negativi quam positivi. Etenim:

a) matrimonium civile non habet vim sponsalium, sed, quia censetur publicus concubinatus, inducit impedimentum publicae honestatis;

b) proles nata ex matrimonio civili est illegitima;

c) personae viventes in matrimonio civili invalido habentur tamquam publici peccatores; sunt enim concubinarii, ac proinde nequeunt admitti ad sacramenta neque ad sepulturam ecclesiasticam neque ad actus legitimos;

d) qui post divortium prioris matrimonii legitimi contrahunt et consummant matrimonium civile, habent impedimentum criminis;

e) clerici maioristae et religiosi sollemniter professi contrahentes matrimonium civile incurrunt excommunicationem S. Sedi reservatam aliasque poenas, ut supra dictum est n. 770.

Religiosi *simpliciter professi* incurrunt excommunicationem Ordinario reservatam (c. 2388, § 2).

Nota. Quamvis matrimonium civile *qua tale* nullum effectum canonicum producat, tamen istud matrimonium, in quantum contrahitur cum vero consensu maritali, est *validum:* a) inter omnes acatholicos; b) in casibus, in quibus matrimonium celebrari potest sine assistentia sacerdotis (cf. supra n. 879 sq.).

946. Principium 2. *Nupturientes christiani licite possunt ex rationabili causa observare statuta legis civilis quoad matrimonii celebrationem, dummodo excludatur intentio suscipiendi ipsum sacramentum matrimonii coram magistratu civili* (c. 1063, § 3). Ita expresse quoque docet Leo XIII. in Encyclica «Arcanum».

Quaeres. *Num licet assistere matrimonio civili tamquam magistratus vel testis?*

Respondetur: 1. Affirmative, si nupturientes nihil intendunt nisi effectus mere civiles; pariter si intendunt et contrahunt verum et validum matrimonium;

2. Affirmative probabiliter etiam, si nupturientes certo et scienter contrahunt matrimonium invalidum, dummodo adsit gravis causa et desit specialis prohibitio Ecclesiae. Etenim, huiusmodi Officiales assistendo ex gravi causa tali matrimonio civili non videntur praestare nisi cooperationem materialem ad peccatum nupturientium. Ita sententia communior.

Art. 2. De divortio civili.

947. **Notio.** *Divortium civile est separatio coniugum a potestate civili pronuntiata.* Quae quidem separatio est vel quoad vinculum matrimonii vel quoad torum et habitationem solam.

Principium. *Lex civilis permittens divortium perfectum matrimonii validi est iniqua et gravissime reprobanda.*

Ratio est, quia statuit rem intrinsecus malam scil. destructionem vinculi matrimonialis eamque producentem pessimos effectus.

948. Corollaria. 1. **Coniuges** possunt quidem ex gravi causa petere a potestate civili divortium imperfectum, numquam autem divortium perfectum quoad vinculum matrimonii (S. Off. d. 19 Dec. 1860).

2. **Iudex** civilis a) debet suam incompetentiam agnoscere in rebus, quae attingunt sacramentum matrimonii, neque potest pronuntiare divortium civile, si exsistit specialis prohibitio pro aliqua regione;

b) potest pronuntiare divortium civile alicuius matrimonii certo invalidi, e. g. matrimonii civilis catholicorum;

c) nequit absque gravissima causa pronuntiare divortium perfectum alicuius matrimonii christiani. Exsistente autem tali causa, si iudex nihil aliud intendit, nisi *solos effectus civiles dissolutionis*, videtur licite posse pronuntiare divortium. Ita sententia hodie communior, contra nonnullos putantes tale iudicium esse actum intrinsecus malum.

Ratio est, quia iudex sic agendo nihil aliud facit, quam concedit istis coniugibus *impunitatem legalem,* si novum idque invalidum matrimonium postea contrahunt. Seu aliis verbis: Tale iudicium nihil aliud esse videtur nisi *destructio prioris matrimonii civilis;* quod quidem non est actus intrinsecus malus. Neque etiam sequitur grave scandalum ex actione iudicis, quippe qui ab omnibus cognoscatur agere coactus a lege civili.

949. 3. **Advocati** utpote non coacti vi officii rarius habent sufficientes causas excusantes ad patrocinandum causae divortii. In praxi autem confessarius non debet inquietare catholicos advocatos, qui absque gravissimo incommodo nequeunt declinare munus actoris pro divortio, dummodo scandalum inde ne oriatur et soli civiles effectus intendantur.

APPENDIX.

Subiunguntur nonnulla Curiae Romanae documenta recentia, quae pro confessario videntur scitu utilia.

Post novum Codicem suppressae erant omnes facultates quinquennales, triennales etc., nunc autem episcopi iterum obtinere possunt huiusmodi facultates, quae infra recensentur.

I.

Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii.

Denunciatos de crimine sollicitationis monendi ratio.

De denunciatis semel aut iterum de infando sollicitationis crimine solet plerumque, praeviis scilicet opportunis diligentiis, Suprema haec Sacra Congregatio decernere ut: *Moneantur nomine et sub secreto Sancti Officii.* Cui monitionis huiusmodi impertiendae munus committitur, sacerdotem denunciatum, qua par est circumspectione, penes se vocabit, eumque gravibus quidem, plus minusve pro rerum adiunctis, sed paternis insimul atque omnino genericis, ne ullo modo sive directe sive indirecte denunciantes prodantur, verbis commonefaciet «*pervenisse ad aures Sancti Officii, eum in sacro poenitentiae tribunali non semper, qua decuisset prudentia ac sanctitate, se gessisse, ita ut non immerito timendum sit, ne sacramentum ipsum reconciliationis in animarum perniciem, ausu temerario, convertere attentaverit: sua igitur quam maxime interesse sibi in posterum accurate cavere, ne ad procedendum ad graviora Sacra Congregatio compellatur*». Opportuno vero tempore Sacram Congregationem de resultantibus certiorem faciet; servato, ceterum, quoad omnia et cum omnibus arctissimo secreto Sancti Officii.

II.

Sacra Congregatio Consistorialis.

Formula II.

Facultates quinquennales pro Revmis Ordinariis regionum Europae, Italia et Russia exceptis.

Revmi Ordinarii locorum eo anno, quo Summo Pontifici «Relatio dioecesana» fieri debet ad normam can. 340, § 2 — etiam in casu quo propter recenter adeptam possessionem

dioecesis dispensatus Episcopus fuerit ab exhibenda Relatione — possunt a respectivis SS. Congregationibus facultates quae sequuntur impetrare; salvis clausulis in rescriptis quoad usum facultatum adpositis.

Pro prima vice memoratas facultates impetrare poterunt etiam extra tempus praescriptum, duraturas tamen dumtaxat usque ad annum «Relationis dioecesanae» proxime futurum.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 17 Martii 1922.

C. Card. **De Lai** Ep. Sab.,
Secretarius.

I. A S. Congregatione S. Officii.

1. Permittendi sacerdotibus et laicis ad tempus, et sub diversis clausulis pro casuum et circumstantiarum diversitate adiiciendis, lectionem librorum prohibitorum, exceptis semper operibus de obscenis ex professo tractantibus.

2. Tantum pro regionibus ubi catholici acatholicis permixti vivunt, exceptis proinde Gallia, Hispania et Lusitania: Dispensandi in mixtis nuptiis super impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus cum clausulis, limitationibus et instructionibus pro casuum et locorum diversitate adiiciendis.

II. A S. Congregatione de Disciplina Sacramentorum.

Excipiuntur ab indulto sequentium facultatum Helvetia, Gallia, Hispania, Lusitania et Belgium:

1. Dispensandi iusta et rationabili ex causa super matrimonialibus impedimentis minoris gradus quae in can. 1042 recensentur, nec non super impedimentis impedientibus de quibus in can. 1058 ad effectum tantum matrimonium contrahendi.

2. Dispensandi ex gravi urgentique causa quoties periculum sit in mora et matrimonium nequeat differri usque dum dispensatio a Sancta Sede obtineatur super impedimentis maioris gradus infra recensitis:

a) consanguinitatis in secundo gradu aut in tertio cum primo mixtis, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur;

b) consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu;

c) affinitatis in primo lineae collateralis gradu aequali vel mixto cum secundo;

d) publicae honestatis in primo gradu, dummodo nullum subsit dubium quod coniux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

3. Dispensandi tempore et in actu Sacrae Pastoralis Visitationis aut Sacrarum Missionum, et non ultra, super omnibus matrimonialibus impedimentis supra memoratis cum iis qui in concubinatu vivere reperiuntur.

4. Sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis minoris gradus si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem consensus, dummodo tamen prior consensus perseveret et absit periculum divortii, monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis et debita facta adnotatione in libro matrimoniorum.

III. A S. Congregatione Concilii.

1. Reducendi per quinquennium, ob diminutionem redituum, perpetua Missarum onera ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, quoties nemo sit qui de iure teneatur et utiliter cogi queat ad eleemosynae augmentum, et sub lege ut de Missarum ita reductarum satisfactione a singulis celebrantibus Curia dioecesana quovis anno legitime doceatur.

2. Transferendi per quinquennium intra fines dioecesis onera Missarum in dies, ecclesias vel altaria alia a fundatione statuta, dummodo adsit vera necessitas nec divinus cultus idcirco minuatur aut populi commoditati praeiudicium inferatur, exceptis tamen legatis quae in certis locis adimpleri facile possunt per eleemosynae augmentum, et cauto ut de translatarum Missarum satisfactione quovis anno Curia dioecesana a singulis celebrantibus legitime doceatur.

3. Transferendi per quinquennium exuberantia Missarum onera etiam extra dioecesim, cauto tamen ut quam maximus Missarum numerus intra fines dioecesis celebretur atque adamussim serventur praescripta Codicis iuris canonici circa cautelas adhibendas in Missis committendis.

IV. A S. Congregatione Religiosorum.

1. Facultas dispensandi super illegitimitate natalium ad ingrediendum in Religionem, quatenus a Constitutionibus Instituti requiratur, dummodo non agatur de prole sacrilego commercio orta, ad petitionem Superiorum, et dispensati ad munia maiora ne eligantur iuxta praescriptum can. 504.

2. Facultas permittendi celebrationem trium Missarum de ritu in nocte Nativitatis D. N. I. C. in ecclesiis religiosorum non comprehensis in can. 821, § 3, cum facultate pro ad-

stantibus ad S. Synaxim accedendi, ita tamen ut dictae tres Missae ab uno eodemque sacerdote celebrentur.

3. Facultas dispensandi super aetatis excessu pro admittendis ad habitum religiosum, quatenus a Constitutionibus Instituti requiratur, audita in singulis casibus Superiorissa Generali vel Provinciali atque praevio earum consensu et respectivi Consilii, dummodo postulantes aetatem 40 annorum ne excesserint et polleant ceteris qualitatibus requisitis.

4. Facultas dispensandi super defectu aetatis canonicae ad S. Ordinem Presbyteratus, non ultra . . . menses, etiam pro Religiosis exemptis, dummodo a suis Superioribus litteras dimissoriales acceperint et quatenus ordinandi ceteras qualitates habeant a SS. Canonibus requisitas et praesertim curriculum theologicum expleverint ad normam Canonis 976,2, Codicis I. C.

5. Facultas dispensandi super dotis defectu cum Monialibus et Sororibus in toto vel in parte, dummodo status oeconomicus Instituti detrimentum ne patiatur, et postulantes talibus sint praeditae qualitatibus, ut eas magnae utilitati Instituto fore certa spes habeatur.

6. Facultas confirmandi Confessarium ad quartum et quintum triennium, dummodo maioris partis Religiosarum, convocatis etiam iis, quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, consensus capitulariter ac per secreta suffragia praestandus, prius accedat, proviso pro dissentientibus, si quae sint ac velint.

7. Facultas permittendi celebrationem SS. Missae Sacrificium Feria V in Coena Domini, facta licentia personis habitualiter in communitate commorantibus sese reficiendi S. Synaxi, etiam ad adimplendum praeceptum paschale.

8. Facultas permittendi Monialibus descensum in ecclesiam, ut ipsae eam maiori sollertia mundare et decorare possint, exeuntibus prius ab ecclesia extraneis omnibus, non exceptis ipsis Confessario et Monasterio inservientibus et extra Claustra degentibus, portae illius claudantur et claves Superiorissae tradantur, Moniales vero semper binae sint et porta per quam aditus interior ad ecclesiam patet, duplici clavi claudatur, quarum una a Superiorissa, altera a Sanctimoniali ab Ordinario deputanda custodiatur et non aperiatur nisi in casibus enunciatis et cum praescriptis cautelis.

9. Facultas permittendi Monialibus egressum e claustris urgente casu operationis chirurgicae subeundae, quamvis non secumferat periculum mortis imminentis aut gravissimi mali, per tempus stricte necessarium, praescriptis debitis cautelis.

V. A S. Congregatione Rituum.

1. Deputandi vicarium generalem vel alium sacerdotem in aliqua ecclesiastica dignitate constitutum ad altaria fixa et portatilia consecranda, servato ritu et forma Pontificalis romani.

2. Deputandi sacerdotes, si fieri potest, in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos, ad altaria fixa et portatilia exsecrata consecranda, adhibita formula breviori B pro casibus can. 1200, § 2, Cod. I. C.; dum in casu can. 1200, § 1 iam indulta fuit per ipsum canonem facultas et adhibenda est formula A.

3. Deputandi vicarium generalem vel alium sacerdotem in aliqua ecclesiastica dignitate constitutum, ad consecrandos calices et patenas, servato ritu et forma Pontificalis Romani.

4. Quando in Missa Hebdomadae Maioris dicitur Passio, pro sacerdotibus, qui binas Missas, ex speciali Indulto Apostolico obtinendo, celebrant, legendi in una Missa tantum ex Passione postremam partem (altera autem die etc.), praemissis «Munda cor meum» etc. — Sequentia sancti Evangelii secundum (Matthaeum).

5. Benedicendi obiecta pietatis, signo crucis (pro Episcopo seu Ordinario) servatis ritibus ab ecclesia praescriptis. Occasione tamen visitationis pastoralis et quando multi petunt, et plura ac varia exhibent eiusmodi obiecta benedicenda, saepe etiam cum diversis formulis; hisce in casibus permittitur unica et brevis formula ab Episcopo seu Ordinario recitanda, dum fit signum crucis super obiecta; nempe: «Benedicat haec omnia Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Amen.»

6. Celebrandi Missam de Requie lectam semel in hebdomada ab Episcopo seu Ordinario in proprio Oratorio.

VI. A S. Poenitentiaria.

1. Absolvendi quoscumque poenitentes (exceptis haereticis haeresim inter fideles e proposito disseminantibus) a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis ob haereses tam nemine audiente vel advertente quam coram aliis externatas incursis; postquam tamen poenitens magistros ex professo haereticalis doctrinae, si quos noverit, ac personas ecclesiasticas et religiosas si quas hac in re complices habuerit, prout de iure, denunciaverit; et quatenus ob iustas causas huiusmodi denunciatio ante absolutionem peragi nequeat, facta ab eo seria promissione denunciationem ipsam peragendi cum primum et

quo meliori modo fieri poterit, et postquam in singulis casibus haereses coram absolvente secrete abiuraverit; iniuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentorum, et obligatione se rectractandi apud personas coram quibus haereses manifestavit, atque illata scandala reparandi.

2. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui libros apostatarum, haereticorum aut schismaticorum, apostasiam, haeresim aut schisma propugnantes, aliosve per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos defenderint aut scienter sine debita licentia legerint vel retinuerint; iniuncta congrua poenitentia salutari ac firma obligatione supradictos libros, quantum fieri poterit, ante absolutionem, destruendi vel Ordinario aut confessario tradendi.

3. Absolvendi a censuris eos qui impediverint directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem.

4. Absolvendi a censuris et a poenis ecclesiasticis circa duellum statutis, in casibus dumtaxat ad forum externum non deductis; iniuncta gravi poenitentia salutari, et aliis iniunctis, quae fuerint de iure iniungenda.

5. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui nomen dederint sectae massonicae; aliisque eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur; ita tamen ut a respectiva secta vel associatione omnino se separent eamque abiurent, denuncient, iuxta can. 2336, § 2, personas ecclesiasticas et religiosas, si quas eidem adscriptas noverint; libros, manuscripta ac signa eiusdem transmittenda aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, destruenda; iniuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentatione sacramentalis confessionis et obligatione illata scandala reparandi.

6. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui clausuram Regularium utriusque sexus sine legitima licentia ingressi fuerint, necnon qui eos introduxerint vel admiserint; dummodo tamen id factum non fuerit ad finem utcumque graviter criminosum, etiam effectu non secuto, nec ad externum forum deductum; congrua pro modo culpae poenitentia salutari iniuncta.

7. Dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressore voti castitatis perfectae et perpetuae, privatim post completum XVIII aetatis annum emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, huiusmodi poenitentem monendo, ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si coniugi supervixerit.

8. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de necessaria consensus secreta renovatione, ac iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

Item dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo pariter sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis; iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

Corrigenda.

Lege pag. 453 art. 1 et non art. 7.
,, ,, 455 ,, 2 ,, ,, ,, 4.
,, ,, 461 ,, 2 ,, ,, ,, 3.

Doctrina in n. 745 proposita non quidem proprie corrigenda, sed tamen complenda est ex iis, quae dicta sunt n. 690.

INDEX RERUM ALPHABETICUS.

Numeri referuntur marginales.

A.

B.

D.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

Q.

R.